1203

Oreste Baldstella

Trans

NICOLAI PARTHENII

GIANNETTASII

NEAPOLITANI E' SOCIETATE JESU

ANNUS ERUDITUS

IN PARTES QUATUOR,

SEU

STATA TEMPORA DISTRIBUTUS.

ILLUSTRISS., ET EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI

ANTONIO RAMBALDO I.

S. R. I., COLLALTI, ET TARVISII

COMITI, &c.

DICATUS.

PARS I. Ver Herculanum.

PARS II. Æſtates Surrentinæ.

NEAPOLI, Apud Dominicum Raillard, MDCCXXII.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/nicolaipartheniiO1gian

PARS PRIMA.
VER
HERCULANUM.
EDITIO SECUNDA.

Reimprimatur, Neap. die 17. Julii 1715.

NICOLAUS CAN. ROTA PRO-VIC. GEN.

D. Petrus-Marcus Giptius Can. Dep.

Reimprimatur, Neap. die 27. menſis Julii 1715.

ARGENTO REG. ET PRÆSES.

Peſcarini.

VERIS HERCULANI

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Extremus Campaniæ tractus Sebethum inter & Sarnum amnes deſcribitur : & quod operis inſtitutum ſit , exponitur.

ULTIMUS ille Felicis Campaniæ tractus, qui à Sebetho amne ad Sarnum excurrit, & quà ſoli ubertate, quà cœli temperie nobilis, non minus Hercule, quam Veſuvio, toto terrarum orbe celeberrimus eſt. Ille à debellatis Hiſpaniis in ea loca victor invectus, Herculanium, & Pompejos condidit : atque Iberi Gerionis boves feſtivo ſociorum cœtu ducens, primam triumphi ſpeciem oſtendit : Ex qua triumphi pompa ab Herculanio ab ſe nuncupato, ad Sarnum uſque deducta, novum ibi conditum oppidum, Pompejos appellavit, ut nimirum ambo perpetua eſſent ſuarum trophæa victoriarum. Hic ſuis incendiis non minorem, quàm Æthna famam conſecutus : atque ad ſe, eruptioneſque ſuas contemplandas, remotiſſimas etiam gentes evocavit. Eſt autem amœniſſima proſpectu ora, & quà oppidis, quà villis, quà etiam ædificiis ornatiſſima :

Ultimus Campaniæ tractus & Hercule, & Veſuvio celeber deſcribitur.

in medio Biceps Veſuvius aſſurgit, ambituque ſuo ad duo, & viginti paſſuum millia complectitur; dorſo non admodum difficili, & fermè toto vinetis, ac fructiferis arboribus conveſtito. Ad Septentriones Nolanum, ac Neapolitanum campum habet: ad Orientem Nucerinum: Sarnum ad Meridiem, & Stabienſem agrum ſpectat: ab Occidente verò Cratere alluitur: in quem molli demiſſus clivo deſcendit: atque Herculeo promontorio finitur: in hoc Herculanium ſedet: in ipſo promontorii flexu Herculeus olim portus: qui Herculis ab Hiſpania redeuntis claſſem accepit: nunc Veſuvianis incendiis obrutus, omnino interiit, ut ne veſtigium quidem ſuperſit. A Sebetho ſecus oram euntibus, gemini occurrunt vici, unus ad Terducium, Barna alter indigenis dictus: hinc ſub ipſius clivi exordium Porticus, elegans oppidulum, inſequitur: omnis verò, quæ à Sebetho Porticum uſque planities extenditur, innumeris Nobilium ædibus diſtincta, atque exornata conſpicitur. Propè à Porticu nobilis villa eſt, quæ ab albo ſaxo Græcum nomen obtinuit: non ſecus, ac extremum Italiæ promontorium à candido lapide, Leuco petra veteribus appellatum. Eſt autem tum ſitus amœnitate, tum ſtructuræ elegantia perquam conſpicua: in ea Nymphæum, ad fallendum æſtivis horis otium magnifico conſtructum ſumptu viſebatur: variæ illud imagines ex omnigeno concharum genere, bellè, affabrèque effictæ, exornabant: inter quas præcipuæ erant, Pan fiſtula canens, cæruleo in mari natantes Nymphæ, Delphino Siren, Tauro Europa obequitans: aliaque iſtiusmodi è poetarum penu commenta. Quibus ſummam venuſtatem adjungebant quatuor è Pario marmore docta artificis manu ſculpta ſigna: erant hæc, clavâ inſignis Hercules, Pan fiſtula, Adoleſcens Genius, & nuda Arethuſa. At plurimam loci famam Carolus V. auxit: qui ex Africa victor rediens, hac in villa triduò ad genialem otium, atque amœnitatem ſedit: mox Herculeum æmulatus novam ex debellatis Afris pompam egit. Ad Barnam ædes, & villa altera Cardenidum eſt, & fontium elegantia, & hortorum amœnitate perquàm nobilis: in qua eruditæ familiæ perpetua ferè otia, & liber literatis hominibus aditus patuit.

Et fines, & ſingula quæque loca graphicè exponuntur.

Leucopetra amœniſſima Villa, & Carolo V. Hoſpite nobilis ob oculos ponitur: vulgo dicitur *Pietrabianca*.

Porticum Retina ſequitur, frequens vicus, copiaque rerum percommodus: ubi propter plurimam loci opportunitatem, Romanæ olim claſſis, quæ ad Miſenum ſtationem habebat, degere claſſiarii milites ſolitavere: non longè in ipſo promontorio Herculanium eſt: inque Favonii plagam vergit, atque ſaluberrimis idcirco auris continuò perflatur. Salebroſa, quæ ſuccedit, ac durior ob incendia, ſoli facies:

Retina vicus, *Reſina*.

Herculanum, *Torre del Greco*.

etſi

etſi multis in locis domita agricolarum induſtria ſit: nempè nulla adeò immitis terræ indoles, quam continuus labor non evincat. In feliciore mox plano novum eſt oppidum, cui à Virgine ſalutata factum à minoribus nomen: quod & apricum, & populoſum eſt. Tandem ad ipſam Sarni ripam Pompei ſedent, Nucerinorum quondam, finitimorumque populorum commune navale, atque emporium: trans alteram Sarni ripam læta, atque exculta planities ad Aureum montem pertinet; cujus perquam jucundiſſimus proſpectus Theſſala Tempe imitatur: ad illius vero radicem, inque intimo Crateris receſſu Stabiæ viſuntur. *Terre della Nunzia-ta.* *Stabiæ Caſtellamare*

Hac autem amœniſſima terrarum ora, nihil admodum eſt, quod recurrente Vere, vel apricius, vel opportunius, vel elegantius inveniri poſſit: quocirca eo tempore ad animi voluptates à Natura factam merito dixeris: tanta enim cœli indulgentia, tanta camporum, & collium amœnitas, tanta litorum opportunitas; ut plus ad alliciendos animos valeant, quàm ad exterrendos ſuis incendiis Veſuvius, qui unus tantæ felicitati modum facit. Et ſi ſuo cinere, ubere veluti fermento (eſt & id ex tanta vaſtitate lucrum) adeo terram imbuerit, ut generoſiſſima omnis generis vina ex illa proveniant: fructus verò præſtantiſſimi naſcuntur; ut nulli fertiliſſimo quantumvis ſolo invideat. Falerna pyra maxima, & mitia, Appia poma, & ſerotina, Neſpila, Cotonea, odoris fragrantiſſimi: ſorba tantæ magnitudinis, ut pomorum præ ſe ſpeciem gerant: tandem, ut cuncta compendio complectar, nihil admodum eſt, quod in hoc genere accedat.

Ad Porticum noſtræ familiæ ædes, ac villa, quà elegantia, quà opportunitate nobiles: in quibus diutino morbo præpediti degere ſolent, ut miti illa aëris temperie faciliùs convaleſcant: in hanc ego villam ſolitus verno tempore valetudinis ergo divertere: ne verò otioſus ſedeam erudita cum amicis colloquia identidem habeo. Interdum, ut aliquam à ſtudiis intercapedinem faciam, ad humaniſſimum Mœcenatem me confero, apud quem eleganti exceptus convictu, docta nonnulla inter epulas, aut curioſa permiſcemus. Illa verò, ut ex temporaneo ſermone inter nos habita, in commentaria reverſus domum mox refero, quæ in præſentiarum luci committere ad juventutem ad erudita ſtudia incitandam viſum eſt. Atque id unum præſentis operis, cui Herculano Veri, quod in locis Herculi ſacris, actum ſit, nomen fecimus, inſtitutum eſt.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Plurima de Sebetho amne, deque illius fonte, ac rivo Neapolim ſubterlabente ſcitu digna, quæſita inter eundum ſunt.

POſt Martias Id: cum nitidiſſimus poſt continentem multorum dierum imbrem, ſol illuxiſſet, & vacatione ſtudiorum exedræ ſilerent, Balbo comite, ciſioque monhippo invectus, ad Barneſes Mecœnatis ædes proficiſcor: ut placidiſſimum illum diem, cum benevolentiſſimo, atque eruditiſſimo viro paulò hilariùs tranſigerem. Et ſanè innubis cœli facies, & grata vel in primis temperies, viridantis undique ſoli amœnitas, molliſſimum iter, jucundiſſimus quaquaverſus proſpectus ſumma animum oblectatione afficiebant: nec parvum gaudio additamentum ipſe erat Balbus, ingenuus, ac liberalis juvenis, & quà moribus, quà literis limatiſſimus: atque ob id mihi vel in paucis charus. Dum autem regifico ædificatum luxu Sebethi fontem percurrimus, ita me ille interpellat: Quam aptè de hoc fluvio ſcripſiſti Nautic. VII.

Sebethi laudes, & origo exponuntur.

Et ipſe

Pauper aqua, at multo dives Sebethus honore.

Quo nimirum Neapolitani Vates, ipſeque vel in primis, donaſti. Miror ſanè tam præexiguo rivo, qui uno, aut altero ſaltu vadari potuiſſet, ampliſſimum hunc pontem, quem nec ſuperbus ipſe Tibris dedignaretur, imo & Rhenus etiam pati poſſet, impoſitum. Cui tum ego: At præclariſſimæ urbi debebatur. Quid enim exteræ gentes, quæ quotidie huc confluunt, dixiſſent, ſi in conſpectu hujus urbis, qua majorem poſt Romam Italia non vidit, ut illius digna imperio cenſeri poſſit, in humilem pontem, ac ſublicium incidiſſent? Præterea ſi non fluvio, at certè celeberrimo illius nomine dignus erat. Quocirca mirari jam deſine, Balbe, ſi magnificus iſtic additus Sebetho pons ſit. Hic Balbus: occluſiſti os, non oppedo. Verùm age, dicendus ne fluvius, an potiùs rivulus? memini enim me quondam apud ſcriptorem quendam legiſſe, innominatam hanc eſſe aquam, atque inter paludes juxta Veſuvium hauriri. Cui ego: At ſcriptor ille, quem innuis, nec me fugit, Poetarum Principem non triverat, qui ſub Sebethidis Nymphæ nomine bellè de noſtro amne luſit Æne: VII.

Sebethus à Virgilio, Columella, Joviano, Syncero, Alſilio, &c. celebratur.

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale; quem genuiſſe Thelon Sebethide Nympha

Fer-

Fertur, Theleboum Capreas dum regna teneret.

Neque etiam Columellam legerat, qui de Hortorum cultu ſcribens, hæc de illo habet:

Et Stabiæ celebres, & Veſvia rura,
Doctaque Parthenope Sebethide roſcida lympha.

Extat etiam perantiquus lapis ex vetuſtorum mœnium ruinis erutus hac cum epigraphe:

MEVIUS. EUTYCHUS.
ÆDICULAM. RESTITUIT.
SEBETHO.

Non igitur innominatus noſter hic Sebethus, quando ab antiquis uti numen, non ſecus, ac cæteri amnes, habitus, cultusque ſit. Quem merito Jovianus ſacro cum Parthenope nexu conjungit, dum bellè, ac feſtivè canit

Sparge tuas, Sebethe, nuces: en colligit uxor
Parthenope.

Hic Balbus; Tu etiam, inquit, in Bellicis idem conjugium ex quo Sirenes illæ tuæ ortæ ſunt, his verſibus celebraſti

Et olli
Parthenope formoſa parens; quæ vecta per altum
Jonium, grajis è finibus: inque beati
Litora Crateris cùm deſcendiſſet, amicis
Excepta hoſpitiis à ruricola Sebetho,
Sirenum genus Euboïcis prima intulit oris.

Cui ego: Ita enim verò. Et ſanè tot, tantisque carminibus, ut tu modo ajebas, à noſtris poetis, præcipuè Statio, Joviano, ac Sincero celebratus fuit, ut jam maximos etiam fluvios, totoque orbe notiſſimos, fama ſui nominis, æquet. Sed age, tum Balbus, & unde nam ille emicet, quæſo ut exponas. Et ego. Faciam quando id tibi gratum intelligo. Duobus paſſuum millibus ab Aquis Regiis, ſive Doliolo: qui ultimus ejus collis, qui Neapolim intercurrit, clivus eſt, fons ſcatet, ex quo veluti è labro, ſive Cratere aqua, quaſi bulliens, emicat, atque in ſubjectum planum effunditur: atque ob id Labulla noſtris popularibus dictus eſt. Erumpens ex hoc fonte aqua cuniculis primum ad duo paſsuum millia excipitur: mox geminas in partes diffinditur; una ad meridiem per paludes fluens Sebethum efficit: id vero eleganter, ut cætera, Altilius in celebri Iſabellæ Aragoniæ epithalamio depinxit:

Fluvii Fons prope Neapolim, Labulla dictus, & quare.

Parte alia, quà perſpicuo delabitur alveo
Irriguis Sebethus aquis, & gurgite leni
Prata ſecat, liquidisque terit ſola roſcida lymphis.

Altera verò rivi pars rectâ per Aquas Regias, & viam, quę Capuanam in Portam ducit, Neapolim magnifico arcuum

Alter Sebethi rivus Neapolim quaquaversùm per ſubterraneos cuniculos incredibili omnium commodo alluit.

ſtructu

ſtructu inducitur: perque univerſam penè urbem variis ramulis dividitur; ut penſilis illa ſupra aquam innatare videatur: quocirca neſcio an alibi quid mirabiliùs reperias? id enim ex eo fit, ut ſubterraneo veluti mari urbs alluatur, ac perennibus undique fontibus irrigetur, quod & maximè civium commodo, & oblectationi cedit. Hic Balbus, quis crederet? id me prorſus fugiebat: miratusque primum in Pontano, cum elegantiſſimum illius opus perlegerem: & adeo placuit, ut etiam verba meminerim: *Priſcæ quoque*, inquit, *urbis munificentia præter ipſa mœnia, maximo eſt indicio, fluvius intra urbem inductus, excavato ſaxo, in quo vetus urbs tota inerat fundata: eaque cuniculatio, atque effoſſæ ſpecus deductæ ſubter, maximè celebres urbis vias, atque ad ſingula quadrivia, in quæ urbs omnia quondam diſtributa erat, exciſi putei è quibus vicinia hauriebat*: Cui tum ego: laudo memoriam tuam adeo ſingularem. Verùm eſt ampliùs quod mireris: etenim cum hac ætate, quàm ampliſſima creverit noſtra Neapolis, inque altos ſe clivos erexerit; mirum ſanè eſt videre aquam ad eminentiora evectam, perque innumeras fermè vias ſubterfluere. Id autem noſtræ petræ clementia factum eſt: cum enim fiſſilis illa ſit, quam facilè illiusmodi cuniculationem quaquaverſus inducere. Quod etiam ad purgandam urbem, atque immittendas in mare ſordes quàm maximè conducit: id autem neſcio an alibi invenias. Ita enim verò, tum Balbus. Sed age, & cur iſte per urbem diſtributus tàm fabrè, ac comodè rivus, Formellis Pontano vocatus ſit, ediſſere? ludit enim feſtiviſſimus poeta hoc carmine:

Formellis unde dicitur?

Eſt inter natas fæcundæ prima Labullæ
Nomine Formellis.

Hoc etenim ſub Nymphæ nomine rivum illum appellat, à quo D. Catherinæ templo, quod juxta Capuanam portam ſitum eſt, vulgò cognomen inditum. Cui ego: quia Aquæductus quo rivus delabitur, extructi fornices Formæ, & Formellæ à noſtris dicuntur: atque hinc fluvio cognomen factum eſt. Intelligo, tum Balbus. Sed cedo, cur tu in hactenus editis tot operibus, hujus Nymphæ, atque illius facundæ parentis Labullæ nullam mentionem feciſti? & tamen Neapolitani poetæ ſummis illam laudibus celebrarunt: nam præter laudatum Jovianum, Donatus Francus in ſua Neapoli, venuſtè luſit hoc modo:

Donati Franci de Labulla carmen elegantiſſimum.

Sed quo me rapis heu raucum puriſſima Nympha
Nympha Labulla urbem fonte perenne rigans?
Illabens ſubter vicatim mœnia circum.
Perque domos largo flumine, perque vias.

Atria

Atria aquis, domus omnis aquis, urbs omnis abundat
Nilis & centum ſontibus unda venit.
Præbet ubique libens ſitienti pocula lympha,
Splendidior vitro dulcior ambroſia.

Alibi verò Nymphæ hujus, Sebethique amores ita perquàm molliſſimè proſequitur:

Cantabat vacuus curis Sebethus ad amnem,
Si vacuum ſineret perfidioſus amor.
Ipſa veni ad ſalices, & opacæ umbracula vitis,
Ipſa veni ad noſtros culta Labulla modos.
Culta Labulla veni: ſunt hic tibi ſerta parata,
Nexa ſimul calathis, juncta ſimul violis.

Cui ego: optimè me admones, Balbe; faciam ut in Bellicis non deſideretur præclariſſimæ hujus Nymphæ, atque in nos benevolentiſſimæ tam ſplendidum nomen. Et Balbus: Id abs te expecto. Et, quæſo, ut te ocyus moveas: nam ut video lentè nimis de illuſtri opere agis, ut de illo curam depoſuiſſe videaris. Atque hæc, ut dicta, in Mecœnatis ædes pervenimus.

CAPUT TERTIUM.

Dum ad nitidum Xyſti fontem una cum Mecœnate conſeſſum eſt, Authoris in Ægyptum navigatio, quæque ſub exordium acciderunt, narrari cœpta.

Cum ego, & Balbus è ciſio, quo Neapoli ad Mecœnatem veneramus, deſcendiſſemus, humaniſſimum ſtatim virum in Xyſto deambulantem convenimus: qui vix accepta ſalute, in amplexus ruens, benevolentiſſimè, ut ſemper excepit: & Fortunatiſſimus, inquit, hic mihi dies, quo veſtra præſentia, ac colloquio frui licet. Mox ubi ad fontem, qui medio in Xyſto nitidiſſimus aquis ſaliebat, alteq; circum cupreſſus coronabant, conſeſſum eſt; ſumma me, inquit Mecœnas, cupido inceſſit, Parthenie, ut ex te Navigationem illam tuam, quam VI. Naut. innuis, audirem: nam, ni mea me fallit opinio, mira quædam & curioſa continebit. Cui ego: Facerem libenter, ni merito vererer, ne tibi tædium allaturus eſſem: adeo prolixa res eſt. Et ille: Imo faſtidia derges, & uſque ad prandium longum in medio tempus exiſtit. Tum ipſe: Næ ergo malè morigeratus, qui tibi, cui me plurimum debere profiteor, id negem. Quæſo tamen, ut parcas, ſi non eam habeam in promptu verborum copiam, qua condiri ſermo poſſet; ut tuis eruditis auribus minus faſti-

Parthenii navigatio in Ægyptum, Mecœnate adhortante, narratur.

ſtidioſus exiſteret. Et ille: Mitte iſtam curam: ſimplicem, ac puram ego elegantiam in familiaribus vel maximè colloquiis deſidero: in quibus odioſa ut plurimum emendicata illa ex ſententiolis, affectatoque dicendi cultu, elegantia: non ſecus ac in quotidiano convictu ſimplicem apparatum quæro: cupedia, atque intinctus in feſtos dies rejiciamus. Age igitur, ordire, ut ajunt, telam: ego te ab ovo uſq; ad malum attentiſſimis auribus, ſummaque audiam voluptate. Neq; id grave futurum duco tuo iſti adoleſcenti, cujus perſpecta mihi indoles eſt. Tum Balbus: Imo gratiſſimum vel ex hoc præcipuè, inquit, quod tibi placere ſentiam: cui non minus quam Parthenius ſum beneficiis quamplurimis implicatiſſimus. Ego verò: Atque audite. Ut verò rem penitus teneatis, altè ordiar, atque à capite, ut dicitur. Eam ipſe à natura indolem ſortitus ſum, ut intra anguſtos patriæ fines contineri vix ferrem: quocirca à puero crevit mecum amor, univerſum, ſi potuiſſem, terrarum orbem peragrandi: quem ego quotidie, ea adductus ratione roborabam; quod hic ſapientis animi, atque excelſi genius eſſet: & quod una hac via abditarum rerum ſcientiam, atque omnium populorum mores, ac ſtudia conſequi quàm faciliter valuiſſem. Ut enim ait Strabo, prudentiſſimi apud veteres heroes habiti, qui in remotiſſimas regiones peregrinati fuiſſent. Ita prudentiſſimum ab Homero Ulyſſem decantatum, quem ſemper ἄνδρα πολύτροπον appellat: quam verò prudentiam non aliunde hauſit, quàm quod, ut idem cecinit

Peregrinationis maxima utilitas, Antiquorum exemplo comprobatur.

Πόλλων δ' ανθρόπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Hoc loco Mecœnas: Ita enim verò: atque ob id Hercules, ac Dionyſius ſummis laudibus commendati, & prudentiſſimi, fortiſſimique habiti: nec aliter Pythagoras, ac Tales Mileſius immortalitatem nominis conſecuti: qui ex longa, quam in penitiſſimas terrarum plagas peregrinationem ſuſceperunt, redeuntes, ſecum unà in Græciam diſciplinas, leges, ipſamque humanitatem devexere: quæ mox in Italiam feliciter transvecta. Cui tum ego: Eruditè, tu quidem, ut ſoles. Etenim cum ex uno ſolo, quamvis ubere, atque exculto cuncta plantarum genera minimè proveniant; quare optimè poeta

Non omnis fert omnia tellus.

ita prorſus una Civitas, una Provincia rerum omnium, ſcientiarumque notitiam ſuppeditare non ſatis eſt: atque ob id perquam utilis eſt peregrinatio; quæ, ut optimè Menander: βίον πίθησι σωφρονέστερον. Hoc loco Balbus, qui numquam ultra Campaniæ fines pedem extulerat. At ego, inquit, iſtud tuum ingenium non probo: ſiquidem ex longa peregri-

gri-

grinatione magna, ut plurimum ſit vitiorum acceſſio, probitatis nulla: & externos etiam mores, patriis poſthabitis, facilè induimus: quod & Scythæ Anacarſidi eveniſſe proditum memoriæ eſt: quod & ei capitale fuit: quocirca meritò Ælianus, ut ait Philoſtratus, gloriabatur, quod numquam extra Italiam navigaſſet: imo ne noviſſet quidem mare: atque ob id ſumma à ſuis obſervantia habitus, magnaque auctoritate valuit. Cui tum ego: Verùm aliter ſapientiſſimi quique arbitrati ſunt: nec tantum patriç noſtrç tribuendum, ut non eſſe etiam in aliis locis res plurimas exiſtimemus, ex quibus non mediocre referre lucrum poſſimus. Sed ne longè ab inſtituto deflectamus, illa mihi ſemper hæſit animo cupiditas, viſendi orbem univerſum: cumque per ætatem, ac parentes non liceret, pictum in tabulis mundum, quod unum in me ſitum erat, aſſidua meditatione percurrebam. Non tamen id ſitim fallebat, ſed magis, magiſque accendebat: quocirca occaſiones omnes quærebam, quo expleri tandem animus, potirique voto potuiſſet. Commorabatur Neapoli homo quidam Britannus genere, qui cum meus pater mercimoniorum cauſſa ſummam familiaritatem contraxerat: atque ob id frequenter ad nos ventitabat: & quoniam mira conditus urbanitate, & moribus candidiſſimis toti familiæ erat acceptiſſimus: ſimul ac domum ingrediebatur, obviam ſtatim omnes occurrebamus, & ſalute data, atque accepta, ſeſſum nobiſcum recipiebamus. Ego ſæpè illum de exteris nationibus, apud quas peregrinatus fuerat, plurima interrogabam: gaudebat ille hac mea indole, meque præ cæteris diligebat. Sublato mox peſtilentia patre cum univerſa familia, unus ego penè miraculo ſuperſtes fui. Hoc loco Mecœnas: Num, inquit, te etiam peſtis corripuit? Et ego: Ita verò, nec tantum tumore ad inguina enato, ſed etiam puſtulis laboravi: ac tanta vis veneni fuit, ut etiam correpto cerebro, delirium moverit. Et ille: Quo pharmaco convaluiſti? Cui ego prorſus nullo: neque enim tum erat, qui mei curam ſuſciperet. Ille verò: Suſceperunt certè ſuperi, qui te nobis ſoſpitem ſervaverunt; ut tot nimirum eruditos libellos conſcriberes. Credo equidem, tum ego: verùm pœnitet me tanti beneficii, haud pares, ut debueram, gratias reddidiſſe. Sed pergamus porrò, ne hujus diei gaudia triſti illa recordatione corrumpamus. Cum igitur peſtilentia mancipatus, mei jam juris eſſem, acriùs ad id, quo nihil antiquiùs habueram, animum intendebam. Fortè fortuna accidit, ut longo poſt tempore in Britannum illum veterem amicum offenderem: qui ut me, quem peſte cum tota familia periiſſe crediderat, ex improviſo, ac præter

Quamquam alii aliter ſentiunt.

ſpem vidit, illico in amplexus irruit, tantaque lætitiá affectus eſt; ut non ipſe majorem percepiſſem, ſi in redivivum parentem incidiſſem: tanta in extero homine charitas erat: quæ ſæpè numero in noſtratibus, imò & in propinquis ipſis deſideratur. Poſtea verò quam ille de mea familia plurima, ego de ſua percontatus eſſem, eò tandem, quò maximè volebam, devolutus ſermo eſt: ſe nimirum navigationi accingere. Tum ego ingenti erectus ſpe: Numnam, inquam, in Britanniam? Minimè, ille: ſed in Ægyptum. Et ego: Sed qua navi? Tribus, inquit ille, Britannicis, quæ hic ſtant in anchoris: quapropter ſi tibi eadem mens perſtat, oblata occaſio eſt, qua explere deſiderium tuum poſſis: ipſe tibi commeatum, cæteraque neceſſaria ſuppeditabo. Tum ego tanto perculſus gaudio ſum, ut numquam alias: quocirca cum gratias homini tam benevolenti, quàm qui maximè, plurimas egiſſem, conſtitutaque profectionis die, domum bona plenus ſpe, me recipio. Hic clam, ne is ſub cujus tutela eram, & qui ſæpius à ſimili conſilio me retrahere conatus fuerat, rem reſciret, ad navigandum me accingo: tota verò ſupellex, totum viaticum quod mecum ferrem, pauci admodum libelli, quibus otium fallerem, & bis centum aurei ex iis, qui Venetiis cuduntur, fuere. Ubi verò dicta profectioni dies præfulſit, hoſpite, ut ajunt, inſalutato, in portum convolo, conſcenſaque ex tribus illis navibus prætoria, quæ ad belli caſus inſtructa erat, vela fecimus. Hic Mecœnas: Audax ſanè conſilium, & ſupra ætatem. Ita verò, tum ego, non inficior, ſed danda ipſi ætati venia, & magnanimo illo deſiderio, quo ardebam miro modo. Eſt etiam & illud, quod acri me ſtimulo incitabat: ſic ſcilicet fieri poſſe, ut veluti emancipatus mei tandem juris eſſem. Sed redeamus quò nos ventus ferebat: erat hic Aquilo, qui ſecundo in velum flatu ſpirans, brevi nos ad ultimos Crateris noſtri fines deduxit. Hic ego illud Statii repetens:

Cum Britanno quodam familiari ſuo ſuam navigationem inſtituit.

Dextra ſalutavit Capreas, & margine lævo
Sparſit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.

Vale, inquam, chariſſima mihi quondam, Parthenope, valete patrii colles: & tu tandem amœniſſime terrarum ſinus vale: me terræ aliæ, alii colles, aliique ſinus vocant. At parcite mihi, quæſo, ſi vos ego in tam tenera ætate relinquo: impatiens quando mihi datus à natura animus, inter anguſtos unius terræ fines contineri: omnes luſtrare terras, ſinus omnes excurrere, populos omnes adire, cunctorum mores, legeſque edoceri, unicum illius votum eſt. Spero tamen fore, ut ad vos incolumis redeam, iterumque ſoſpi-

tes

tes vos, ac ſalvos ſoſpes ipſe, ſalvusque reviſam. Imo & illud lucri ex peregrinatione futurum, ut ex collatione reliquarum regionum chariora mihi in poſterum habenda ſitis: ita enim natura comparatum, ut abſentia deſiderium pariat: nec niſi ex amiſſione, quanta res ſit, cognoſcamus. Atque hic cum omnem quaquaverſus Craterem oculis complexus eſſem, fateor me patrii ſoli charitatis ſenſu correptum, ut ſpontè lacrymæ proſilirent: verum magna ſtatim inductione animi erectus, lacrymas deterſi, mæroremque omnem illicò excuſſi.

Sed jam freti anguſtiis ſuperatis, per exteriora Peſtani ſinus hibernum verſus Occidentem obliquato velorum ſinu navigabamus. Dies, qui primus à Martiis Kal: erat, sereniſſimus effulſerat, quam ſerenitatem ſuis ipſe auris placidiſſimus Aquilo roborabat: mare modicos in fluctus aſſurgens, interque cæruleum recurrentium undarum colorem, niveam earumdem admiſcens ſpumam, pulchram oculis ſpeciem exhibebat. Ego ad navis ſpondam ſedens, illius curſu, quo pennata quaſi ſagitta, pervolabat, fluctusque diffindebat, mirificè delectabar. Et jam deſcendente in occaſum Sole, Leucoſiæ in conſpectum ventum eſt: nec longè Palinurus, quique Buxenti ſinum montes intercurrunt, conſpiciebantur. Hic corporibus procuratis, in puppis cubiculum unà cum amico me recipio: ille ſtatim ſomno correptus altè indormivit: ego verò, & ſi nullum mihi mare faſtidium creet, nihilo tamen minus, cum numquam aſſueverim in perpetua illa navis agitatione quieſcere, vix claudere oculos quivi, niſi circiter diluculum: quo propter nimiam laſſitudinem, leviſsimo ſopore perfuſus ſum. Ex quo brevi excitatus, inque altum navis tabulatum egreſſus, rogo ubinam eſſemus? Tum amicus, qui me prior aſcenderat: Inter Strongylon, inquit, quæ una ex Æoliis eſt, & Calabriæ litora. Tum ego lætus & alacer omne circa pelagus, terras omnes avidiſsimè contemplabar. Præfectus, quoniam reliquæ naves longè aberant, inferiora vela demitti jubet, ſociosque expectari: etenim cum per anguſtias Sicilienſis freti jam curſus celeraretur, timebat ne in Batavos ex Oriente redeuntes, quibuscum internecinum id temporis Britanni bellum exercebant, ex improviſo inciderent. Ubi verò reliquæ duæ naves prætoriam aſſecutæ, directo inter Libonoti plagam, & meridiem clavo in ventum vela laxavimus: & quando langueſcere Aquilo cæptaverat, cuncta nautæ ſuppara explicuerunt. Totum autem diem cum navigaſſemus, ad Brutium tandem promontorium perventum eſt. Hic menſa, erat enim jam veſper, inſtructiſsimè in puppi adornata,

cœna-

cænavimus : & mirùm ſanè, quot præ lætitia , Campanoque Libero exſtimulante , calyces Britanni fregerint . Hic Mecœnas : Quid tu ? Cui ego : Vix tandem obtinuere, etſi me precibus oneraſſent , ut unum exhaurirem : ut enim te certò non fugit , à vino ſemper abſtinui . Et ille : Teneo equidem : atque idcircò te interrogavi : verùm contende, quò cœperas ; res enim mihi accidit quam gratiſſima . Et ego : Attendite : filumque narrationis retexo : Thracio è Brutio ſinu modicis auris perflante, tota nocte navigatum eſt : ubi verò diluculum illuxit, in Pelorum , quod unum ex tribus Siciliæ promontoriis eſt, devenimus. At quia æſtus, qui antea è puppi deſcendebat , jam refluere incipiebat , & tenuiſſimus ventus erat , in ipſo freti veſtibulo inhæſimus. Hic ego amœniſsimum illum proſpectum intuens , miram oppidò voluptatem hauriebam. Hoc loco Mecœnas , Quæſo, inquit , ut admirabilem illum terrarum ſitum , vivis , ut ſoles, coloribus depingas. Cui ego : Faciam , quando ſic jubes, ſed vereor ne tempus non ſuppetat. Ille verò : Abundè tempus erit , & ſi abſolvi narratio hoc mane nequit ; à prandio, quod ſuperfuerit, occantabis. Tum ego : Benè eſt : dicam igitur , quando aures mihi veſtras datis intenſiſſimas. Dextra ad occidentem Solem Neptunius mons eſt , Mamertina etiam juga appellant , qui ſenſim in molles clivos demiſſus in humilem tandem Pelorum deſcendit. A Peloro ad meridiem quam longiſſima ora excurrit , collibusque iiſdem circumplectitur : in illius ferè umbilico, ubi educta in eam ſe leviter falcem curvat, qua nihil mirabiliùs terrarum orbis jactat, portumque efficit tota Europa celeberrimum , Meſſana ædificata eſt ; quæ in eos ſenſim, quibus coronatur clivos, aſſurgit : & quà portus commoditate, quà ædificiorum magnificentia, quæ theatri in modum poſita, ſuperbiſſimam venientibus ſcenam exhibent : urbium quotquot in Sicilia ſunt , facilè princeps : colles adeo pectiti , & quà vineis, quà arboribus omnis generis conveſtiti , ut nihil liceat videre pulchriùs . Læva ultimus Calabriæ Apenninus conſurgit : qui & ipſe modicos in colles ſe ſubjicit, inque Scyllæum jugum exporrigitur : ex quo longiſſima pariter ora Herculeum verſus promontorium , quod poſtremum Italiæ ad Occidentem eſt . Ipſo in freto , Meſſanam contra , Columna Rhegina, quæque à Neptuno nomen etiam obtinuit, poſita eſt : quam ſupra Cœnys promontorium , nec procul cognominis amnis interfuit : infra Regium Julium, una ex quatuor celeberrimis urbibus , quæ in extremo Italiæ angulo ſumma olim potentia floruere : & tantæ tum magnitudinis, ut à Columna Rhegina ad promontorii uſque flexum om-

Meſſanæ laudes, ac deſcriptio.

omnem mœnibus, edificiiſque oram occupaverit. Amœnam finibus oram, lætiſſimis diſtinctam hortis, frequentibus interpictam ædibus, ac villis, aprici, viridesque colles præcingunt: qui & ipſi proſpectu jucundiſſimi, altiſſimos alios ſupra ſe vertices, ſylvas opaciſſimas oſtentant. Plurima tum in Italo, tum Sicilienſi latere oppida ſitu, aſpectuque pulcherrima viſuntur: quapropter mira ſpectantibus voluptas, ut & oculi viſu, & gaudio ſaturari animus abundè valeat. Dum autem avidus ſingula contemplabar, nunciatum præfecto, ipſo in aditu juxta portum quatuor ſtare in anchoris Batavorum naves, & eas bellico apparatu inſtructiſſimas. Quo ille nuncio perculſus, declinare Siculum litus, inque Herculeum promontorium curſum vertere conſtituit: quod & illicò præſtitit: nam ortus ex improviſo * Borrhapeliotes, in vela, præfectique vota ſecundus perflavit: id mihi ingratum primùm accidit: miro enim Meſſanæ urbis deſiderio, videndæque Carybdis tenebar: at cum recogitarem mox, ita fieri, ut è periculoſa pugna evaderem, æqui, bonique duxi: ſolabarque deſiderium evaſione periculi. At brevi in novas iterum anguſtias, ac mærores delapſus ſum. Etenim cum Batavi noſtras naves Britannicas eſſe, & numero, inſtructuque impares, eductis illico anchoris, explicatisque in ventum velis in nos contendunt. Hic Mecœnas: Huic ego navali pugnæ libens interfuiſſem. Credo equidem, tum ego: quippè virilis tibi animus, ac regius eſt: at mihi, qui vix è pubertate exceſſeram, & pugnas nonniſi in tabella videram, non exiguum mærorem futurum illud certamen incutiebat. Quod autem quam maximè timebam, illud erat, quod nec tu certè æquo animo tuliſſes: ne ſcilicet Britanni deſperata victoria, ne in hoſtium, quos capitaliter oderant, manus inciderent, tormentarium in pulverem ignem injicerent: & ſic immani omnes incendio conflagraremus. Tum Mecœnas: Hunc ego morem tam barbarum, quam qui maximè, haud equidem ferre potuiſſem. At ferendus, tum ego, vel invitis erat. Hic Balbus: Anne, inquit, ex eo elegantes illas Diras, iſtum adverſus morem concepiſti, quas tandem in Navalibus produxiſti? adeo mihi placuerunt, ut etiam verſus teneam. Cui ego: Rem ipſam putaſti. At Mecœnas: Recites quæſo, Balbe. Cui hic: Geram hunc tibi morem: etſi id poetæ veſtri ingratiis fieri certò ſciam: ſed det mihi veniam: & tibi, cui multum debet, gerat vel ipſe morem: ſtatimque recitavit:

Major at interdum tibi, Dux Romane, timenda
Pernicies eſt illa; furens ne barbarus ira,
Nempè ignominias, & victi nomina ferre

Im-

* *Maeſtrale.*

Britannicas Naves adoriuntur Batavi.

Britanni, deſperata victoria, ne in hoſtium manus incidant, pyriũ in pulverem injiciunt ignem, incendioq: abripiuntur.

Diræ in hunc morem exeerandum.

Impatiens, pyriam ſubjecto fomite cellam
Incendat: rituque fero, atque immanibus auſis
Devoveat ſeſe Diris, & vindicet igni.
Hoſtis ne palma victor potiatur, iniqua
Sorte amat oppetere, & vivum ſe tradere flammis.
Victorem, victumque pyra comburier una,
Eſt aliqua & victis victoria. Qui furor? aut quæ
Humanas tantum vexat dementia mentes?
Tantum & vindictæ ſtimulus mortalia corda
Torquet agens? Verùm non hæc conſtantia fortis
Eſt animi, rerum diſcrimina, nulla timentis,
Quæ fortuna ferat contraria, quæ varians Mars.
Sed timidi, imbellisque, acri qui pectore non ſe
Exſuperare valet, fatumque aſſurgere ſupra.
Quippè inimica premit cùm ſors, caſusque ſiniſtri,
Haud equidem vitam miſero contemnere multum eſt.
At virtus animi fortiſſima, robur ahenum
Pectoris, arbitrium ſortis perferre: neque unquam
Caſibus adverſis frangi: generoſus & ille eſt,
Qui valet eſſe miſer, ſcævamque evincere ſortem.
Sed quid de tali virtutem pectore quæro?
Cui non humani ſenſus, cui nulla feroci
Eſt pietas innata animo: riget aſpera tantùm
Barbaries, & bruta rigent rabiesque furorque.
Dicite crudeles gentes, quæ lacte ferino
Pavit Hyperboreis genitrix vos ſæva ſub antris?
An Piſtris fuit illa? an Piſtri immanior Orca?
An quæ ſubjectos vos deſpicit Urſa? maligni,
Credo equidem, rigor ille poli morem indidit atrum:
Ni forſan permixta Erebo, & caligine cæca
Vos æterna ſinu Nox obſita fudit: & ipſæ
Eumenides genitos vos excepere ſorores?
Quæ mox anguineo lactantes ubere, iniquum,
Immanemque animis inſtillavere furorem:
Quo ſenſus crevere truces, & barbara corda:
Digna parente Erebo, Dirisque altricibus illis.
Vulcano quibus eſt potius flammante cremari,
Quam ſit victori faſces ſubmittere: & æquo
Ferre animo, Mavors, & ſors quæcumque pararint:
O precor! ò miſeri! Stygios dediſcite mores:
Quos non Hircanæ, quamvis feritate potentes,
Non Lybicæ coluere feræ, non Dipſades, & qui
Æthiopum rabidi vaſtant deſerta dracones.
Naturam veſtram induite, & revocate relictam
Formam hominis, revocate animos: communia vos ò

Ju-

Juraque Naturæ moveant, legesque Deorum.

Ut recitavit, quamplurimas, inquit Mecœnas habeo tibi gratias, Balbe, quod iſtis me verſiculis demulſiſti: meque intuens, Perge porro & pugnam illam enarrato. Tum ego: Ubi primum Batavorum naves adventare præfectus animadvertit, armari illico omnes juſſit, atque ea expediri, quæ ad repellendum hoſtem neceſſaria ducebantur: potior verò, atque impenſior cura circa tormenta fuit, quibus longè diſtinere Batavos poſſe arbitrabatur: magno igitur concurſu in inferius tabulatum itum eſt. Ex his verò, qui in ſuperiore permanſerant partim ſclopis, partim haſtis præmuniti, partim ad regenda vela conceſſerunt. At priùs quàm omnis multitudo in diverſas ſe partes divideret, hac fermè oratione ad pugnam præfectus incitavit: Si paribus nobis armis decertandum eſſet, haud equidem in præſentia vos, ſocii, ad ineundum certamen inflammare oporteret; quando veſtra pluribus mihi cognita experimentis virtus eſt. Siquidem oſtendiſtis ſæpè quam fortes vobis animi, & in pugnas paratiſſimi: quia verò & numero navium, & bellico apparatu nos hoſtes ſuperant, idcirco veſtri accendendi ſunt animi, ut fortiores affecti, virtute numerum, inſtructumque penſetis: neque id, quod nunc à vobis efflagito, novum eſt: demonſtraſtis enim non ſemel, quam valida virtus ſit, cum in anguſtiis verſatur, & quantum creſcant animi, cum in certo ſe periculo conſtitutos deprehenderunt. Quocirca ſic vobis ſtatuite, ut hodie vel maximè præſtandum ſit, quod alias tanta laude præſtitiſtis: vel igitur nova victoria relatum decus cumulandum eſt, vel honeſta morte occumbendum. Vix hæc locutus, plura tempus non patiebatur, ſignum dari juſſit: navibusque in trianguli formam inſtructis, adventantes jam hoſtes opperiebatur. Hic amicus me admonet, ut in ultimum tabulatum deſcenderem, ibique in tuto pugnæ exitum expectarem. Cui ego: Nę ipſe lepus, qui in caveam me conijciam. Hac in puppi cum reliquis in caſus omnes ſtare mihi certum eſt: condamque me in Numinis ſinu, ubi tutiſſimus conquieſcam. Hoc loco Mecœnas: Laudo, inquit, conſtantiam, atque animoſum pectus, quod ab illa ætate minimè expectabam. At illud unum, tum ego, non parum mihi animum torquebat, quod nullus inter tot heterodoxos catholicus Sacerdos eſſet qui me per ſacram confeſſionem expiaret. Hic Balbus: At non certò, quod unum reſtabat, atque in te ſitum, prætermiſiſti? Cui ego: Intelligo: non omiſi certè, ſed in genua accidens, quo majori potui animi dolore, veniam à Deo enixè precatus ſum.

Britanni ad pugnam inſtruunt ſeſe.

C Sed

Cœpta eſt pugna, mox dirempta.

Sed jam reboare fulminalia incœperant: etenim ubi primùm Batavorum prætoria intra teli jactum eſſe videbatur, explodi hoſtilis præfectus tormenta juſſit. Exploſaque illicò ad triginta, tanto fragore, ac fumi nimbo, ut mihi erupiſſe Æthnam viſum ſit. At quoniam vel revera intra ictum non dum venerant, vel præ nimio maris æſtu recta collimare non poterant, ictus ferè omnes incaſſum ceciderunt. Cum verò latus hoſtica navis obverteret, ut reliqua in nos tormenta exoneraret, noſtra ſuas bombardas exploſit: mirum ſanè, & ego miraculi loco duxi, quæ longior præ cæteris erat, directò in clavum pilam tanto impetu evibravit, ut in plures illicò partes perfregerit: quo caſu veriti hoſtes ne ventorum arbitrio in tranſverſum ageretur, vela illicò demiſere: reliquæ vero Batavorum naves prætoriæ timentes, ad illius ſe auxilium converterunt. Nos interea fortuna uſi, & vento, qui jam vehementior ſpirabat, in altum curſum defleximus. Hoſtes quia nos aſſequi deſperabant, & jam ingentem inſtare tempeſtatem videbant, Meſſanam ſe iterum receperunt. Ego perquam lætus quod ſine periculo tam curioſo ſpectando interfuiſſem, gratias Numini egi quam ampliſſimas: precatusque, ut quemadmodum cœperat, navigationem illam fortunaret. Hoc loco Mecœnas: Gratulor, mi Parthenie, te ex alea illa quam maximè periculoſa feliciter evaſiſſe: & ni me fallo, tum navalis belli rudimenta poſuiſti: quod jam tradere facili tuo illo carmine, cujus modo Balbus mentionem fecit, meditaris. Cui ego: In ea ætate de hoc ne cogitaveram quidem: eſt tamen nunc, fateor, maximum incitamentum. At nos ex irato Marte, in furentem Æolum, turgidumque Neptunum, nempè è patella in prunas, ut ajunt, incidimus: ingens de repentè tempeſtas exorta eſt: tantoque nimborum apparatu, ut brevi nos abſorptura videretur: & ſanè quam horrendum erat videre aërem identidem coruſcare, atque exardeſcere, fremere Oceanum, atque immani æſtuantium undarum volumine, ac geminato, nunc in cœlum attolli, nunc ſcindi, ac reboare, nunc in Tartara reſorberi: denſiſſimas cogi nubes, inque nigerrimam ſe noctem cœlum inducere: audire ingentes tonitruum fragores, fulminum ictus, ac ventorum conflictus perquàm horribiles: quin & ipſius maris interminatus proſpectus (qui enim extremi cernebantur, montes nubes obduxerant) terribilis maximè, ac formidandus erat. Hic Mecœnas: Quid tu, inquit, in tali rerum ſtatu? Cui ego: Jam me ſuſceptæ peregrinationis cœperat pœnitere: verùm quia jacta jam alea, revocari non poterat, quod dura neceſſitate impendebat, ferendum virtute arbitrabar, & ne timori

Tempeſtas ſuboritur.

mori

mori ſuccumberem, certis animum ſtimulis erigebam: ſed ne feramur extra lineam: nam ſi ſic ſerò domum redibimus; & ego defatigatus penè ſum. Tum ille ſubridens: Ne dubites, conſtitutos præteriri terminos non patiar: ut convivii magiſter, penès quem negotium, nos admonuerit, pranſum ibimus: ſi verò brevis futura non ſit coqui mora; velim illam æqui, boniquc conſulas, faciet enim id veſtrum gratia. Cui tum ego: Nolo tecum officiis contendere, ut qui impar juſta retribuere: quocirca geram tibi etiam ea in re morem: etſi à lautiore convictu non parum abhorream. Verùm his prætermiſſis, redeo ad propoſitum. Præfectus vir magni animi, & tempeſtatibus exercitus, ſuprema confeſtim vela demitti, atque uno artemone relicto, violentiſſimum accipi ventum juſſit: & quoniam hinc Libycus, illinc Thracias mutuo occurſu confliċtabantur, modo hàc, modo illàc obliquare ſinus cogebamur: adverſisque ex partibus irrumpentes undas excipere. Quia vero jam navis aquam haurire cœperat, ad antliam, ut illicò egereretur, magna feſtinatione itum eſt. Poſtea verò quam ſolidum in ea diem perturbatione, periculoque transduximus, quod minimè ſperabamus, evenit: nam cùm, occidente Sole recrudeſcere venti ſoleant, tum è contrario remiſſa procellæ vis eſt: exortoque ex improviſo Borrhapeliote, qui præterito die ſibi maris imperium vindicaverat, vela iterum placidiſſimus intendit: tùm gubernator in Hibernum Orientem, ut ratio poſtulabat, clavum convertit: & quamvis magnus eſſet undarum æſtus, magnumque mihi faſtidium crearet, proſpero nihilominus curſu tota nocte navigavimus. Hic Mecœnas ſic me interpellat: Haud equidem ea tu nocte oculis ſomnum vidiſti? Cui ego: Quis crederet? tanta laſſitudo fuit, ut cum brevi cœna ex nautico pane, nauticoque ritu apparatum, aceto nimirum, oleoque imbuto, me refeciſſem, ſtatim condormivi: imo perpetua illa navis agitatio, cui jam aſſueveram, conciliare mihi ſomnum viſa eſt.

Manè inſequentis diei, ubi experrectus, in ſupremum tabulatum aſcendi, miram cœli ſerenitatem, ac pacatiorem jam factum Oceanum ſummo gaudio conſpexi: perflabat idem ventus, noſque felici, ut optabamus, curſu deferebat. Ego amicum rogo, ubinam eo puncto verſaremur? Et ille: In apertiſſimo Jonio: & ut nautæ conjiciunt circiter quinque & quadragenas longitudinis partes. Et ego: Sed qua in latitudine? Ille verò: Id ipſum indagare jam gubernator adnititur. Eamus, tum inquam ego: aveo enim inſpicere qua id ille arte perficiat, & quo inſtrumento: his etenim in ſtudiis me aliquantulum verſatum non inficior.

Qua arte Naucleri Regionum latitudinem indagent.

Itum igitur in puppim eſt. Hic Gubernator collocato in ſuperiore parte quadrante Geometrico perquam amplo, ac Solis altitudine indagata, ſe conjicere affirmabat nos juxta quinque & trigeſimas latitudinis partes verſari. Interea loci, qui in ſpecula vigil excubabat, ſe navim videre admonet, eque æſtivo oriente vela quamperobliqua facere. Tum ego: Faxint ſuperi ne iterum nobis pugnandum ſit: illa tamen me cogitatione ſolabar, quod facilè ex una navi victoriam reportaremus: tandem duabus, non ampliùs clepſidris exactis, obviam illam habuimus: erat autem, ut ex vexillo ſtatim deprehendimus, Veneta, quæ nos gemino tormentorum ictu ſalutavit: nos pari illam officio complexi ſumus: mox dimiſſo lembo, quo ex portu ſolviſſet, quidve afferret novi? interrogamus. Veneti ſe ex Cipro navigare, nec niſi Cydonia tranſiſſe, nullosque in piratas incidiſſe: nec niſi Gallicum inter navigandum myoparonem longè conſpexiſſe. Quibus cognitis, curſum per eandem plagam, Rhombum novi dicunt, totum eum diem continuavimus. Sub veſperam langueſcere ventus cœpit, ac pacatior maris æſtus reſedit: quocirca totam mox noctem ſumma quiete, placidiſſimoque curſu vela fecimus: Prima ſed jam ferrugine illuceſcente, illud Cretæ promontorium conſpeximus, quod Arietis frons dicitur, cujus ego aſpectu quam maximè delectatus ſum: ut autem vento Cretenſi è litore perflante uteremur, univerſam eo die inſulam radimus. Inclinante die cœlum rubeſcere, idemque Apeliotes vehementer ſpirate occæpit, idcirco, velum in eum dedimus: quo ea nocte uſi, & ſecuto mox die, circiter IV. à meridie, in Alexandriæ conſpectum pervenimus. Hic jactis juxta Pharum anchoris, in navi pernoctavimus. At ea mihi nox tam prolixa viſa eſt, quam quæ prolixiſſima: tanto nimirum deſiderio flagrabam videndi principem olim urbem, non modo Ægypti, ſed totius penè Africæ: & Nilum in primis, de quo plura inaudiveram. Atque in hoc ſermonis articulo convivii magiſter ſupervenit, monetque prandium jam eſſe inſtructum, cuncta edulia eſui matura. Tum Mecœnas: Eamus, ne longiori mora cibi corrumpantur, à prandio quæ tibi Alexandriæ acciderunt, lubentiſſimè audiemus: omnes igitur illicò aſſurreximus, inque procœtonem, ubi menſa inſtructa erat, ire pergimus.

CA-

CAPUT QUARTUM.

A prandio dum ad otium cum Mecœnate conſeditur, plurima de Alexandria, quæque ibi Authori viſa, quæque mira acciderunt, expoſita.

POſtquam lautiſſimè apud Mecęnatem tractati ſumus, miratique hominis tum in converſatione affabilitatem, tum in convivio munificentiam, quæ precipuæ illius dotes ſemper fuerunt, Age ſis, inquit, & quid tibi accidit Alexandriæ, quæque in ea obſervaſti, exprome: etenim cum dies non ſint adeo longi, illos brevi ſomnulo diffindere non eſt neceſſe. Cui tum ego: Et ſi mihi mos ſit breviſſimos etiam dies, quales hiberni ſunt, per quam modico ſopore meridiare, tamen abſtineam nunc ab ea conſuetudine, ut tibi inſerviam. At ille, ut qui humanitate limatiſſimus: Nolo, inquit, ne minimum quidem tibi incommodi afferre: eamus ergo ad meridiandum. Cui ego: Ne quæſo facias, nam mihi ingratam rem facies, neque id vel leviter nociturum. Nec plura, narrationem exordior. Benè mane lembus ex urbe, in quo Turca quidam inſpector, ad nos venit, inque prætoriam ſtatim inſiluit, rogatque præfectum, unde veniret? quas merces: quos homines veheret? nam ex vexillo Britannos eſſe deprehenderat. Hic Mecœnas: Callebat ne præfectus Turcicam linguam? Cui ego: Minimè. Sed Turca Gallicè loquebatur, quo ſermone Britannorum plurimi, & hi præcipui, qui mercaturam exercent, utuntur. Cùm autem Præfectus ſe ex Britannia venire, perque Italiam tranſiſſe, & quas merces, quos ſecum homines advexiſſet, ſignificaſſet, ille ſtatim facultatem dedit, ut quibus libitum, in terram deſcenderent, urbisque commodo uterentur: ſtatimque in portum ſe recepit, cuncta ad urbis præfectum relaturus. Nulla igitur mora interpoſita, atque in portum nos etiam, tenui perflante aura, devehimur. Mox ego, & amicus qui cum veneram, in litus inſilivimus, cæpimusque urbem circuire. At vix paululum progreſſi, Æthiopem obviam habemus: quem ſtatim ac vidi, me alias vidiſſe memineram: ſed ubi, & quo tempore non ſatis recordabar: atque ob id, ut in tali caſu fit, attentius illum inſpiciebam, & ille ac ſi me alias cognoviſſet, in me oculos attentiſſimos habebat: tandem Italico ſermone exclamans, ille, ille equidem eſt, ſtatimque advolans arctiſſimè complexus eſt. Hoc loco Mecœnas: Res iſta, mira oppidò, ac curioſiſſima: cedo, quid tandem? Accipe tum ego: rem ediſſeram ab ovo. Meus genitor mancipium

Quæ ſibi Alexandriæ acciderunt, Auctor exponit.

Æthiopis, mancipii olim ſui, gratitudinem narrat.

cœ-

coëmerat Æthiopem genere, atque ex iis, qui ſub Ægyptum incolunt: hominem adeò frugi, ac tam bonæ indolis; ut verè ex illis eſſe videretur, quos inculpatos Homerus vocat. Domi apud nos decem annos vixerat, tanta vitæ innocentia, tanta integritate, tanta item ſedulitate, ut major deſiderari non poterat: me una cum fratre, quem peſtilentia ſublatum jam dixi, quotidie in ſcholam ducebat, indeque domum reducebat: tanta diligentia nos tempeſtivè admonens, ut nunquam negligentiæ nos ludimagiſter reprehenderit: tantam verò à nobis modeſtiam exigebat, tantam linguæ continentiam, tantam in diſcendo ſolertiam, uno verbo: tantam noſtræ educationis curam gerebat, ut parens alter videretur: quocirca unicè à tota familia diligebatur. Una tantum in homine noxa, & capitalis quidem illa: nunquam enim, neque ratione, neque admonitione, neque ullis unquam blanditiis adduci potuit, ut Maumethe ejurato, Chriſto nomen daret: ut ſæpenumero quam plurimi viri religioſi, qui illum convincere certis argumentis conati ſunt, luſerint operam. Hoc loco Balbus, cui ingenium peramœnum erat; Quid mirum, inquit, Æthiopem lavabant. Tum Mecœnas: Argutè, & ſalsè dictum: at miſeret me hominis, cui id deerat, quod virtutum omnium origo eſt: & quo ſine, cæteræ quantæcumque illæ ſint, nihil omnino proſunt: imperſcrutabilia ſanè Dei judicia, quæ nos homunculi aſſequi nullo modo poſſumus. Sed age: quid tum poſtea? Et ego: Cum tot annos ſerviviſſet, manumiſſus tandem à meo patre; imo etiam tanta pecunia donatus, quanta ſatis eſſe videbatur, ut in Ægyptum deferri potuiſſet. Atque hic ipſiſſimus ille erat, qui tum me complexus eſt: memorque præteriti beneficii vices rependere ſatagebat. Hic Mecœnas; oblata quando occaſiuncula, patiamini, quæſo, inquit; ut memorabile hoc loco exemplum referam, quo maximè accendi, incitarique animus poſſit, tum ad faciendam gratiam, tum ad retribuendam: quo vita hominum, mutuaque ſocietas fulcitur miro modo. Cui ego: Imo rogamus, ut lubeat: nec quidquam evenire gratius iſto poteſt. Et ille: Novi hominem Germanum genere, ſed ab ipſis, ut ajunt, unguiculis apud Polonos educatum: qui nobili loco natus, & corpore, & ingenio pollens, militiam ſimul atque à puberibus exceſſit, ſecutus eſt: cumque multa tum prudentiæ, tum fortitudinis argumenta exhibuiſſet, Leopoli, eo tempore prępoſitus, quo Turcæ, capto Caminecio, univerſaque Podolia, toti Poloniæ imminebant. Mox victi celebri illa pugna ad Colſinium, de pace agere cœperunt. Sic enim barbari illi ſunt; ut victi facilè conſternantur, ubi verò timorem

Germani cujuſdam Nobilis, à Prætore Turca gratiſſima benevolentia excepti, Hiſtoria.

rem

rem excuſſerunt, iterum inſoleſcant: optimum idcircò conſilium tum eos urgere, ac premere vehementius, cum ingenti clade fracti, animos deſpondent. Miſſus igitur Leopolim de pace acturus legatus, quidam ex infimo penè ordine, ut gentis mos eſt, qua nulla ſuperbior. At quia hyems recurrebat, & iter illud maximè lutoſum, Leopolim tardiſſimè, largo perfuſus imbri, multoque ſordidus luto fecialis Turca pervenit. Præfectus, quo de modò dicebam, vir comis, & ad demerendos ſibi barbarorum animos factus, illum domi ſuæ excepit, ſtatim calida lavari juſſit, calidisq; fotum pannis conquieſcere: deindè, ut recreatus, elegantiſſimo convivio exhilaravit: quin etiam apud ſe omnes eos dies eſſe juſſit, quos Leopoli, ut pacis prima poneret fundamenta, tranſegit: ad quam ſanciendam magno Polonorum commodo multum illa Præfecti urbanitas juvit: quæ tam potens natura eſt, ut vel barbaros etiam homines conciliet, atque efficiat mitiores: tandem non ſine munere diſceſſit.

Præfectus pacta mox pace, cum nec pares à Polonis gratiæ, nec ſtipendia ſolverentur, Sarmatia exceſſit: inque Italiam ſe contulit: dum verò Venetiis viſendæ urbis gratia ſubſiſteret, illud animo votum concepit, cujus prætextu miſſionem petiverat, ut nimirum Jeroſolymam ad venerandum Servatoris noſtri tumulum ſe conferret. Sæpè cadit, ut concepta ſimulata pietate vota, ritè deindè perſolvantur: nempè in religionem ſuapte natura pendet animus, & divinus atque immortalis ille cùm ſit, erga divina, atque immortalia ſummopere afficitur. Conſcenſa igitur navi eundem, quem tu curſum tenuit: niſi quod non Alexandriam, ſed Canopum tandem appulerit. Hinc in Principem Ægypti urbem, ubi Turcicus Prætor, Baſſam barbari vocant, jus dicit, delatus eſt. Quodam die dum urbem circum luſtraret, magnum lictorum clamorem turbam ſummoventium exaudivit: ſciſcitatus quid rei eſſet? adventare Prætorem cognovit: ſubſtitit illicò, pompam illam barbari præſidis viſurus: præibant prætoriani milites Turcico more armati, duobus verſibus, ſequebatur Arabico equo invectus Prætor: qui Germanum conſpicatus, attentèque intuitus, acciri hominem juſſit, ducique in prætorium. Germanus ubi ſe evocari à Prætore cognovit, & ſi magni animi, in ancipiti tamen timore fuit: quid nimirum ab ſe barbarus homo vellet: paruit tamen, nec ſecus facere ei liberum: atque illicò perrexit. Ut venit, in ſecretius conclave, uti prætor mandaverat, introductus eſt. Hic Prætor noſti me, inquit? Et ille comminus intuitus; Ni mea me, inquit, opinio fallit, memini te alias vidiſſe, ſed quo loci non ſatis teneo.

Tum

Tum Prætor : Dicam ego, cui tenacior memoria : Ille ego ipſe ſum, quem tu Polonico bello, tanta Leopoli humanitate, tanta benevolentia complexus es, cùm acturus de pace, illuc pluvia benè madidus, lutoque conſperſus pervenerim. Non tu ille, qui tum præſidebas ? Cui Germanus: Ita enim vero : gratulorque quod hic te ego tanto in honore conſpiciam. At Prætor: Me, quando apud nos, non natales, non favores apud Principem locum habent, ſed egregia facta, quibus quilibet ſibi nobilitatem, ac favorem parit, meæ virtutes in hoc honoris, potentiæque faſtigium evexere: quod apud vos rarò accidit; etſi cultiores vos eſſe jactetis; quibus neſcio quæ majorum nobilitas, & favor amicorum, quam veræ, ſolidæque virtutes, pluris æxtimantur. Sed gratias ſorti habeo, quod in hoc me gradu collocaverit, teque huc advexerit, ut accepti olim beneficii, cujus non mihi excidit memoria, grates rependere tibi valeam: quocirca quæſo, ut indices in quo juvare te poſſim: faciam lubentiſſimè : ſtatimque afferri quædam ad id parata munera, quibus eo loci veſtigio, ac temporis donatum voluit: juſſit inſuper certa in domo liberaliter tractari : nam apud ſe hominem retinere gentis ritus non permittebant. Ille cum Prætori gratias egiſſet, tria petiit: primum, ut ſibi ſua facultate liceret in Palæſtinam ire: ſecundum, ut ipſe Religioſis hominibus ex D. Franciſci familia, qui ſua ſub ditione erant, faveret, & qua poſſet ope opitularetur : tertium, ne unquam in Poloniam armatus rediret. Tum Prætor ſubridens, primum, ac ſecundum, quæ in mea ſunt poteſtate facilè impetrabis : tertium quod in Principis voluntate ſitum, ſpondere non poſſum. Quia verò optimè noverat, quò Germani petitio ſpectabat; ut nimirum magnificè de ſua virtute ſentire videretur, quod ſi tamen, adjunxit, penès me erit, haud equidem committam, ut fortiſsimos Polonos laceſsam. Nec plura : hominem benevole dimiſit. Uſque adeo collati in tempore beneficii numquam vel in barbaris memoria obliteratur. At tu perge porrò: nam quid ſimili abs tuo illo frugi Æthiope expecto. Cui ego : Haud equidem falleris : accipe igitur, quando audire tibi eſt animus. Ut me complexus, ac paterna charitate oſculatus eſt (quod etſi mihi inſolens viſum ; tanto tamen impetu advolavit, ut vitare complexum non quiverim) ſtatimque in lacrymas prorupit: & tanto gaudio, quaſi redivivum filium obviam habuiſſet : ubi verò ſe tantiſper continuit, quid, inquit, Dominus meus Alexander ? eſtne in vivis? Ego cum Patris nomen audiviſſem, primo expavi : mox veteris mancipii recordatus ; Tu ne, inquam, noſter ille

Achme-

Achmetis cum Parthenio confabulatio.

Achmetes? Et ille: Ipſiſſimus: ſed age quæſo: nam hic me ſtimulus pungit, vivit ne meus Dominus Alexander? Hic ego cum illacrymari cœpiſſem, ille inter gemitus, & lacrymas exclamans, Me miſerum, inquit, ſatis teneo illum fato conceſſiſſe. Mox ubi mutuis lacrymis modus aliquis eſt factus; omnem meæ familiæ tragædiam breviter enarravi: qua ille audita ſummopere indoluit: meque rogat, ut apud ſe diverterem: eſſe ſibi domum, & tantam rem domeſticam, ut mihi ſi non pro merito, pro tempore ſaltem poſſet aliquo modo inſervire: ſeque ſuperis maximas gratias agere, quod præſentem occaſionem præbuiſſent, qua teſtari erga noſtram familiam gratum ſuum animum, & memorem beneficii: imò gratiſſimum ei futurum ſi toto eo tempore, quo Alexandriæ commoraturus eſſem, domo ſua, ſuoque miniſterio, quod mihi exhibere ſummopere cupiebat, liberè uterer. Ego quia ſatis perſpectam hominis fidem, atque in nos officia: implicatumque habebam maximo beneficio, libertate ſcilicet, qua patris benignitate donatus fuerat, penulam ſcindi minimè paſſus ſum. At id amico grave fuit, tum quia in ſuam fidem, ac clientelam acceperat; ac proindè apud ſe me eſſe volebat: tum quia barbaro homini minimè fidendum eſſe arbitrabatur. At ego ſatis jam maris pertæſus, & navigii agitatione turbatus, in meam illum ſententiam adducere adniſus ſum, in quam tandem venit, captus tum humanitate Æthiopis, tum candore: quem ille non ore, ſed animo præſeferebat; mirum oppido: quando apud nos inverſi reperiuntur Æthiopes, qui animi colore, non vultus nigrigant; cùm igitur uti veteris mancipii hoſpitalitate decreviſſem, unà cum Britanno amico Æthiopem ſequor: qui non multis paſſibus in ſuam nos domum deduxit. Erat hæc ad occidentalem Nili ripam poſita, ſitu & amœno, & commodo: cui ad dexteram hortus erat non admodum amplus: ſed tum domus, tum hortus elegantiſſima ſupra hominis ſortem. Erant domi filius, cui Achmetidi nomen, & Ægyptia nurus: uterque textoriam exercebat. Vix venimus, cùm ſtatim Achmetes, quis ego eſſem, filium, & nurum docuit: qui illicò accurrentes patrio more venerati: mox ad accurandum prandium diſceſſerunt. Hic Mecœnas: Miram oppido voluptatem ex tua iſta peregrinatione percipio. Age ſis igitur, quid vos interea? Et ego: Pro foribus ſedimus ad Nili ripam, cujus ego aſpectu mirum in modum delectabar: dumque ſic otioſi conſidemus, Achmetem rogo curnam non in patriam rediiſſet? Et ille: Audi, quæſo, res eſt tam mira, ut operæ auribus ſit percipere. A tuo genitore, cujus ego ſine lacrymis vix recordari poſſum, liberta-

Quæ Achmeti poſt manumiſſionem acciderant, exponuntur.

te donatus, Meſſanam primùm tenui; deindè Liguſticam navem Alexandriam petentem, ſubivi: qua dum navigarem, in piratas incidi, à quibus omni auro ſpoliatus ſum; vectusque Rhodum: hic Æthiops quidam præerat: quem ſtatim conveni, & quid mihi accidiſſet, edoceo: ille miſertus popularis ſui, juſſit univerſa mihi à piratis reſtitui: nec mora, reddita illicò, etſi ab invitis ſunt. Erat Æthiops vir rigidæ indolis: cujus voluntati adverſari capitale erat. Et ſanè cum infamis illiuſmodi fæcis hominibus rigidus ſis, oportet: ſtabat in anchoris Rhodio in portu Græca navis ex Chio inſula, quæ onuſta mercibus Canopum brevi navigatura erat: quam, venia à Prætore impetrata, conſcendi: poſt biduum vela fecimus Canopum petentes. Verùm vix altum tenuimus, cùm orta de repente perquam horrenda tempeſtate, in Libyam, non ſine periculo, delati ſumus: ac Paratonium ſalvi ſubivimus. Hic ego: quoniam navis penè diſſuta, & jam ſummopere tæderet maris, terra iter aggreſſus, Alexandriam veni: atque in hanc ipſam domum primùm offendi: rogoque filium, quem minimè agnoſcebam: ut quando Æthiops ipſe eſſet, popularem ſuum ex longo, ac difficili itinere laſſum hoſpitio reciperet: annuit ille benigniſſimè, ac me ſtatim perhumaniter tractavit. Dum poſt cœnam confabulamur, omnem illi meæ tragœdiæ hiſtoriam enarro: Ille dum patriæ urbis, dum patris nomen, dum certa quædam ſigna recognoſcit, in amplexus confeſtim ruens; Tu, inquit, meus pater, & hæc tua nurus: hic ego quanto gaudio correptus ſim, ex te colliges. Cui ego: Intelligo certè: & tantam tibi felicitatem magnopere gratulor: Deoque gratias ago quamplurimas, quod tantum tuæ probitati dederit, moribusque candidiſſimis: Et ille: Id tui patris merito factum; ut nimirum haberem hic ego, quo te excipere, atque exiguas licet vices rependere potuiſſem. At hæc cum diceret, adeſt nurus, nunciatque omnia in promptu eſſe; quocirca aſſurreximus, inque ſuperiorem domus contignationem aſcendimus: hic modica menſa, ſed elegans inſtructa Italico more erat: inque menſa duę tantum ſediculæ, in quibus ut luberet ſedere, perurbanè nos Achmetes rogavit: contra ego illum rogo, ut ipſe, & nurus nobiſcum ſederent, ſatis eſſe ſi filius miniſtraret; ſcire eum me priſcis moribus inſtitutum, nec ulla re magis, quàm nativa ſimplicitate gaudere: at nec ratione, nec precibus adduci potuit, ut vel ipſe, vel ſaltem nurus accumberet: debere ſe, ſuosque omnes ea in me officia, quibus beneficientiſſimos proſequi dominos natura vellet. Dum ergo ego, & Britannus comedimus, ipſe cum filio, & nuru perquam fami-

Prandium à ſuo Achmete paratus Auctori.

familiariter, ac benevole miniſtrabant. Erat autem nurus modeſtiſſima mulier, atque urbaniſſima, & ſermone, ut ex geſtu conjiciebam, non invenuſta. Hic Mecœnas: Quid vobis, inquit, appoſuere? Cui ego: Ovum decumanum ſorbile, deinde oryzam ſcitè coctam, & butyro imbutam, perquam tenerrimum caponem elixum: aſſos poſt hæc palumbos delicatiſſimos intulere: pro ſecundis menſis, Ægyptias caricas, ac dactylos ſuaviſſimos. Tum Mecœnas: Satis lautè pro conditione hominis. At Balbus: Non vobis, inquit, oleraceam pultem appoſuit? Cui ego ſubridens: Bellè tu quidem; voluiſſesne colicolos, vel braſſicam capitatam? ſed iſta Neapoli invenies, ubi herbaceos homines, herbacea voluptas tenet: cæterum aliis in regionibus pecudes herbivoræ, non homines. Et ille: Itane perhonorificè de tuis ſentis? Et ego: Sentio, ut res eſt: ſolidos homini natura cibos paravit, in quibus plurimum ſucci, ac nutrimenti eſt: non verò leviſſimos illos, in quibus nihil prorſus, niſi excrementitius humor ſubeſt. Sed mittamus iſtæc: neque extra oleas ferri tempus ſinit: viden ut adveſperaſcat?

Ut nos abundè paſti, ad prandium ipſi conceſſere: interea ego & amicus ad feneſtram, quæ ad Nilum patebat, conſidimus: multaque de eo amne cum Britanno habui: & me mirari, quod minimè eum eſſe fluvium reperiſſem, quem fama, totque ſcriptorum monumenta referebant: atque in id ſermocinationis rediens Achmetes offendit: quem etſi invitum nobiſcum ſeſſum recepimus: mox ita interpello; Miror Achmetes, quod adeo tenuis Nilus, nec patiens navigiorum, quem tamen maximum fluviorum fama canit. Et ille: Hic, inquit, non Nilus, ſed perexiguus illius ramus, atque hùc arte ductus: & quia per univerſam urbem ad domeſtica miniſteria derivatur, exilis admodum in mare influit. Cæterum Nilus non ſeptem, ut priſcis temporibus, ſed quinque in mare oſtiis ſe exonerat: ex his Canopicum amplum, & navigabile: hoc ampliore alveo fluit Peluſiacum; reliqua tria naves non ferunt. Verùm ſi tu illum juxta Alcairum videres augeret oppido conceptam de ſe opinionem: ibi enim totus fluit, alveo quam ampliſſimo. Hic mihi magna inceſſit cupido illius urbis, atque univerſæ Ægypti perluſtrandæ: quo circa ſtatim hominem, quæ via duceret Alcairum, interrogo. At Britannus: Omitte, inquit, ſcitari ea, quæ tuæ ætati minimè conveniunt: mox cum me Achmetis fidei commendaſſet, ad ſuos revertitur, me craſtina die conventurum ſpondens. Interea loci, dum hæc dicerem, adeſt ephebus, monetque me ab auriga vocari; tum ego ad Mecœnatem, Quoniam tardiſſima hora eſt,

Nili non ſeptem, ſed quinque oſtia.

 & quaſi

& quaſi ultima, quæſo, ut liceat per te mihi Neapolim reverti: quæ ſuperſunt, & plurima quidem illa, alias narrabimus. Ille: Fac ut tibi lubet: ſed propediem te reſtituas, & primo manè; ut totum apud me diem feriatus agas: & ſocio tuo iſto adoleſcente, cujus mihi mores acceptiſſimi. Hoc loco Balbus gratias plurimas viro tam benevolo, quam qui maximè humiliter egit: mox ſi quid Neapolim vellet, rogamus, illicoque diſcedimus.

CAPUT QUINTUM.

Occaſione à Nilo dedita, quæſitum undenam fontes, fluviique orirentur, ac tanta perennitate fluerent.

De Fontium, Fluviorumque origine diſputatur.

QUodam die, qui feſtus erat, benè manè me janitor vocat, monetque eſſe ad januam quadrigam Comitis Acerrarum: meque aurigam unà cum expedito famulo præſtolari: tum ego interpetratus, quod erat, Lælium accerſo: & eamus, inquam, ad Mecœnatem, qui currum ſuum ad nos miſit, ut illo ad Barnenſes ipſius ædes duceremur. Tum Læl. Veniam, inquit, lubentiſſimè: mirum enim in modum ab illius tam inſigni comitate, morumque affabilitate ſingulari captus ſum: facultate igitur à Præſide impetrata, ad januam deſcendimus, ubi Mecœnatis famulus expectabat: qui, ut me vidit, Te meus, inquit, dominus ſalvere jubet, rogatque ne graveris hoc die, qui feſtus eſt, ad ſe venire, habere plurima, quæ oretenus dicat. Veniam libenter, tum ego: nec mora, in currum inſilio, ſequiturque ſtatim Lælius, currusque cortina occluſa, diſcedimus: dum curſu perquam celeri, ſex enim equis ſpadiceis currus trahebatur, deferimur, ità ad me Lælius. Fortunatus hic nobis dies recurret, quo tanti viri ſocietate, ac magnificentia frui licebit: quocirca niveo mihi lapillo: lapillo autem? imo gemma ſignandus erit. Cui ego: Ita vero: & ſanè, ut latinè fatear, nullus mihi in anno felicior dies, quàm quo ad Mecœnatem pergo. Credo facilè, tum Lælius: quod autem maximè in homine mihi placet, eſt ſumma majeſtas, cum pari affabilitate, mira eruditio ſine jactantia, convictus ſplendidus ſine ſuperfluitate: tantus autem illius erga te amor, ut deſiderari major non poſſit. Hæc vero, & alia uti dicta, ad Mecœnatem tandem perventum eſt. Illum autem pro foribus horti deambulantem offendimus: vix è curru exilivimus, cum obviam factus, nos, ut ſolebat, affabiliter excepit: & poſt mutuam ſalutem, in ſuperiorem ædium coaxationem aſcendimus: inter eundum ita ad me: Heri veſpere

ſpere dum animi gratia Halieutica tua legerem, in illud incidi:

Sed neque Samblaſide, ſileam felicia Chratis
Dona tui, Truttas, nec qua piſcator amicam
Arte tibi Calaber prædam petat. At mihi carmen
Suffice, namque potes, felicior indita quando
Vena tibi, noſtriſque volens da rebus honorem.
Dum te Crathis habet regnata ad flumina, & ipſæ
Inter læta tibi properant convivia Truttæ.

D. Ignatii Samblaſii Conſentini viri clariſſimi laus.

In quibus verſiculis dum liberius immoror, tuumque erga amicos gratiſſimum animum laudo, allatæ ſunt à Vulturno amne, quem propter ſcis meum eſſe ruſculum, ſex Truttæ pinguiſſimæ, & majuſculæ: quia verò quam rariſſimè iſtiuſmodi vos piſces obſonatis, idcirco te advocavi, ut illis paulò liberius indulgeas: & gratias ago, quod Lælium adduxeris: Cui, tum nos beneficium illud ſummo loco ponentes, gratias maximas perſolvimus. Ubi vero procętonem ingreſſi ſumus, ſedeamus hic in Meniano, inquit, ad amœniſſimum hunc proſpectum: & dum edulia adornantur, dicamus aliqua de tua peregrinatione. Cui ego: Geratur & hic tibi mos. Et ille: Dum animo verſarem Nilum, in quem ultimum aliàs ſermonem deduximus, illa mihi ſtatim orta cupiditas eſt, ſciendi nimirum undenam fluvii orirentur, & cur tanta aquarum perennitate continuò fluerent, & quando hic otioſi conſedimus, hac de controverſia videamus. Tum Lælius: Gratia tibi plurima, inquit, Mecœnas, quod iſtam in medium quæſtiunculam intuliſti, rem ego tam abſtruſam, quàm quæ maximè, ſcire ſummopere avebam. Quare age, me intuens, quid de quæſito ſentias, exprome: par enim cunctam hanc gratiam viro tui amantiſſimo, & cui plurimis implicatus es beneficiis libenter facere; Tum ego: Faciam: ſed res eſt ſatis perplexa, & prolixa nimis: aggrediar tamen, quando audire vobis eſt animus. At ingens me ſaxum movere vultis, & ire, ut ajunt, per extentum funem: ſiquidem nil tam difficile indagatu eſt in univerſa phyſica, quæ de naturis eſt: ex qua fateor aliquam me voluptatem haurire: nam clamoſam illam, atque à ſenſibilibus naturis abſtractam, iis reliqui, quibus & otii plurimum, & litium conſerandarum amor eſt. Ordiar igitur telam pertexere: ſed quàm breviſſimè, ut potero, ad intelligentiam tamen accomodatè. Vetuſtiſſima quorundam opinio fuit, acceptam è cœlo, tum pluviis, tum nivibus aquam per fontes remitti; atque una ex hac oriri fluvios arbitrati: quibus verò id argumentis efficiant, dicam compendio, ut ad alia citiùs pedem transferamus. Et primò iis, inquiunt, in locis,

Auctorum placita de Fontium origine.

An à pluviis, & nivibus?

atque

atque ea anni tempeſtate, qua frequentiores imbres, effuſioresque decidunt, frequentiores etiam fontes, atque uberiores ſcatent. Sic Galliam, Germaniam, atque his vicinam Italiam quampluribus irrigari rivis, ac fontibus videmus: & eos hyeme pleniore alveo, quam æſtate fluere: contra verò ijs in locis, ubi aut nullæ, aut rariſſimæ ſunt pluviæ, vel nulli, vel pauciſſimi fontes, atque hi plerumque deficiunt: quocirca aridas eſſe Æthiopiæ ſolitudines, & raró admodum inveniri in interiori Libya fontes compertum eſt: ibi enim cum fervida ſoli natura ſit, non datur humori locus. Imo in Ægypto, ac Peruvia cum numquam fere pluat, rariſſimos admodum rivos invenies. Hic Mecœnas: At in Ægypto Nilus fluit: qui unus inſtar multorum eſt: in Peruvia neſcio quem etiam amnem, & magnum quidem illum perlabi perhibent. Cui tum ego: Ita enim verò: At Nilus alienigena, atque ab interiore Æthiopia devehitur: non ſecus ille, qui litoralem Peruviam alluit, ex montana quæ altera Peruvia eſt, deſcendit. Et tum hic, tum Nilus, ex nivibus quæ montoſis in locis liqueſcunt, incrementa capiunt ſua. Atque hinc aliud argumentum exiſtere opinantur: eſt autem id: aquæ tum pluviis, tum nivibus mirum in modum in fluminibus creſcunt, tumidaque ea reddunt, ac veluti alunt: quis igitur ex iiſdem principio fieri eat inficias? nempè generantur ex his, quibus ex quodammodo nutriuntur, atque augeſcunt. Imò cum pauciſſimi fontes ſint, qui æſtivo calore, quando in pluvias, ac nives aër neutiquam concreſcit, fluere non ceſſent: vel ſi fluunt, tenuiſſimo vix pede, ac veluti latente progrediuntur, ut interdum eos ad irrigandos hortos agricolæ quærant, illud deduci manifeſtò putant: ab his ſcilicet ortum fontes, ac fluvios ducere ſuum. Tum Mecœnas: Etſi id mihi non videatur verum omninò, veriſimile quidem certè. Sunt tamen qui hærent animo ſcrupuli, fac quæſo, evellas. Cui ego: Faciam, inquam, ſi potero: indica tu mihi illos. Quid neceſſe, ut indicem? inquit ille: tenes quippè. Ego verò: Numnam ipſe divinus, qui quos habes in animo ſcrupulos conjectem? Tu Vates, tum ille: conjectare igitur tuum erit. Tum ego: Utar, uti jubes conjectura: An quia non altius pedes decem humidam ſe ſubter humum aqua inſinuat? Et ille: Ah! ah! divinaſti: id ipſum eſt: verum iſtuc, inquam ego, nihil prorſus officere opinantur: magnis enim in montibus vaſtas ineſſe lacunas exiſtimant, imo, & montium fermè omnium ſinus in immenſos fornices, ampliſſimasque cavernas concameratos, in quas ex altiſſimis jugis pluviales aquæ decurrentes confluant univerſæ: excipi autem illuc per rupium rimas,

Nilus ſua nivibus debet incrementa.

rimas, commiſſurasque, per quas ſua ſe levitate inſinuant, atque intrudunt: mox verò per rimas alias ex lacunis illis erumpentes ſcaturiunt, fluviosque progignunt. Hic ille: Ain' tu: Ajo enim verò. Nam qui ad eruenda metalla, in penititiſſimos montium ſinus irrumpunt, plurimos in illis deprehendiſſe lacus teſtati ſunt: quin imo in Caucaſo, ex quo ſuum Ganges ortum repetit; in Æthiopicis montibus, ex quibus oriri Nilum compertum eſt, vaſtiſſimas lacunas eſſe, qui ad ea loca profecti tradiderunt: ex his autem licet de reliquis conjecturam facere. Præterea obſervatum in alpibus eſt, ubi frequentioribus rimis rupes hiant, per quas nimirum faciliori aditu interlabi aqua, recipique poteſt; crebriores etiam fontes ſubjectos in campos emicare: ex hoc autem delapſis è cœlo imbribus generari fluvios manifeſto ſe argumento conficere arbitrantur. Atqui ſibi facile perſuadeat, tum Mecœnas, tot, ac tam vaſtis fluminibus, ac numquam intermiſſo curſu fluentibus tantum ex unis dumtaxat pluviis aquæ ſuppeditari? Ego non certè ſic animum induco. Tum ipſe: At illi veroſimilius ducunt: quando ex aquis ab unius tantum tecti deliciis pluvio cœlo deſcendentibus grandiſſimas impleri lacunas videamus: ex quibus quantumvis ad domeſtica miniſteria haurias, adhuc quod iterum haurias, eſt. Tum ille: Ita vero: non nego: at quæ cum vaſtis illis fluminibus comparatio? Unus Argenteus amnis, ut tu vocas (& merito novo fluvio, cujus argenteæ arenæ tale nomen impoſuiſti) tantum in Oceanum quotidie aquarum defert, ut incredibile penè ſit: oſtio enim tam immenſo patet, ut maris potiùs, quàm fluminis cognomen ſibi jure uſurpare poſſit: mitto Amazonium, mitto Croceum, (quem tu limato barbaro vocabulo Hoangem vocas) mitto Nilum, Euphratem, Indum, Gangem, & qui Gis veteribus, Niger id temporis à nigris, opinor, incolis, novis nuncupatur. Qui quidem omnes, etſi longo ab Argenteo intervallo diſtent, magni tamen per ſe, magnamque perpetuo curſu in mare aquam convectant. Verùm age, quid tu de horum placito ſentis? Tum ego: Acceptam ab imbribus aquam, iterum montes per devexa, ac valles in ſpatia camporum remittere: atque iſto modo plurimos ex minoribus oriri fontes, augeri cæteros, atque etiam inundare, in confeſſo eſt: torrentes enim hyeme fluunt, & eo tumidiore alveo, quò plures, atque effuſiores imbres deciderunt, æſtivo autem tempore areſcunt omninò: perpetuos verò amnes intumeſcere pluviis, ruptoque riparum repagulo, effundi, latèque omnia diluvio obruere, nemo unus eſt, qui neget. E lacunis itidem, in quas deciduæ aquæ coguntur,

Intra montium viſcera maximi lacus reperti.

Nonnulli Fontes ex pluviis fiunt; ſed non amnes; idque demonſtratur.

tur, rivos quoſdam erumpere, ne id quidem improbabile: nam ubi aditus per montium hiatus patuit, quid prohibet, ut aquę illæ non emicent? univerſos verò amnes ex his unis procreari, haud equidem ità certum, ut concedam. Id vero ex eo ipſo argumento, quod tu ingenioſè, eruditèque protuliſti: cui ſuam ineſſe vim planè fateor. Quin imo plurimi ſunt, & magni fluvii, quorum fontes non è montibus, ſed ex campeſtribus exiliunt, in planitie vero adunari tantum æquæ non poteſt: quando hæc ad duodecim vix pedes deſcendat. Hoc loco Mecœnas: Sed qui nam iſti fontes, qui è planis emicant! Cui ego: Tanais, ac Boryſthenes, ut reliquos, & eos plurimos miſſos faciam. At Lælius: Verùm Lucanus, non ineruditus poëta, Rhiphæo è vertice Tanaim deſcendere cecinit, his verſibus:

Tanaim falsò ex Riphæo monte naci, cecinit Lucanus.

Qua vertice lapſus
Rhiphæo Tanais diverſi nomina mundi
Impoſuit ripis, Aſiæque, & terminus idem
Europæ, mediæ dirimens confinia terræ.

Cui tum ego: Id Poëta ex veterum opinione aſſeruit: & parcendum ei eſt; quando ea ætate inexplorata eo loca Romanis erant. Verùm Mecœnas: Hactenus dictis aſſentior, dilucida quippè. Sed pergamus reliqua: nam res, ut conjicio benè longa. Rectè intelligis, tum ego: atque hinc eſt, quod fusè, atque enucleatè, ut res poſtulat, diſſerere non poſſum: contendam tamen preſsè, ſed dilucidè, ut potero.

Ariſtotelis opinio exponitur.

Complures ſunt, quorum dux eſt Ariſtoteles, qui concreto ex aëre, in aquam converſo, oriri amnes, ac fluere opinati ſunt. Tum Mecœnas: Magnum ſanè momentum iſti ſententiæ tantus vir affert: cui Cicero poſt Platonem primas defert: neque tu à Tullio diſſentis. Cui ego: Haud equidem fas mihi eſt, à tanto viro diſcedere; ſed tempus eſt, ut quo id argumento efficiant, videamus. Et ille: Iſtuc vehementer expecto. Arbitrantur igitur, tum ego, Peripatetici eo modo, quo pluviæ in aëre ex coacto vi frigoris vapore producuntur; inque ſubjectas mox terras aerii quaſi amnes delabuntur: ita etiam intra montium viſcera fluvios generari, atque effluere: ex eadem nimirum cauſſa quam efficientem vocant, eundem in aquam aërem immutari, perque rimas deinde, hiatuſque rupium erumpere; factoque vi alveo per lata camporum ſpatia, valleſque decurrere: quo tandem ſeſe in mare recipiant veriſimile quidem. Hic Lælius: Patiare, quæſo, inquit, ut te paucis interpellem. Ego: Imo gratum facies. Et ille: Præ frigore denſari aërem, inque aquam abire, quam plurimi hujus ętatis phyſici negant: nam, ut omittam plura, quæ ad hanc rem conficiendam congerunt, totus

Nonnulli negant, præ frigore denſari aërem, inque aquam abire,

hyeme

hyeme circa terras aër concreſceret, inque aquam converteretur. Cui ego: Rectè intelligis: eſt tamen ratio, quà iſtam coactionem fieri perſuadeant. Et ille: Audire abs te illam aveo, quod & gratum Mecœnati noſtro futurum exiſtimo. Tum Mecœnas: Imo gratiſſimum. Et ipſe: Dicam illico, ſed preſsè, non Aſiatico illo dicendi genere, quo utuntur in ſcholis, à quarum ut floſculis, ita longo illo, ac tumultuoſo ratiocinandi ambitu hic me contineo. Tum Mecœnas: Benè facis: pacatam ego iſtam tuam Minervam ſummopere amo: armatam Palladem deguſtabimus in Bellicis. Et ego: Sed audite jam. Vidiſtis, opinor, & quidem ſæpenumero ſtillatoriam uſtrinam, in qua miro artis magiſterio è varijs herbarum generibus, vinoque, atque alijs humoribus, aquæ, igneique rores educuntur: jam verò quod in hac induſtria fit artis, fieri etiam in montibus à natura arbitrantur: quæ enim cauſſæ illius extillationis ſunt; eædem in efficiendis fontibus inſunt: etenim concava rupium operculi præ ſe vicem gerunt: quæ quoniam ſuapte natura frigida ſunt, idonea quammaximè ad aërem in aquam tranſmutandum: infra lacunæ ſtagnant, & his ſubter incluſi ignes, qui calore ſuo ſenſim aquas attenuant, inque vapores ſolvunt: qui mox in rupium fornices incurſantes, illicò, præ illarum frigore concreſcunt, inque aquarum guttas abeunt, extillant, fluunt, atque jam fluvii præterlabentes immurmutant. Hic Mecœnas: Iſta intelligo: & liquida vel ex eo, quod è montibus plerumque amnes oriantur. Et ſanè cum Sebethum, cùm Clavium: adde etiam, ſi vis Vulturnum, mente concipio: haud equidem multum laboro; ut ita progigni flumina exiſtimem: at cùm Danubium, cum Nilum, Indumque & Gangem, omnesque ſimul fluvios animo complector, tum minimè induci poſſum, ut id mihi perſuadeam. Undenam enim tanta vaporum copia, tantæ aquę, tam vaſta concava, ut tantis, & tam vaſtis fluminibus jugis aqua ſuppeditetur? Cui tum ego: Rectè autumas: neque ego in hanc ire ſententiam unquam quivi. Nam etſi non inficiar quoſdam fontes ſuam ex his aquis originem ducere; plurimis quando in locis extillare rupes; inque unum confluentes guttas, crateres implere, exundare, ac fluere, compertum manifeſtò eſt: omnibus verò fluvijs perenni licet extillatione, ſuffici aquas poſſe nego, ac pernego. Hic Lælius: At ſi ea evolvamus, quæ explorata jamdudum ſunt, id neutiquam inſolens videbitur. Et primò refert Cardanus quendam ægrum ſingulis diebus ſex & triginta urinæ libras reddidiſſe: cùm vix ſeptem quà edendo, quà potando conſumeret: idque per ſexaginta ſolidos dies: quo

Explicatur modus, quo Peripatetici ſuã tuentur ſententiam.

Mira urinæ copia in aliquibus.

quo tempore, ex ſubducta ſumma confectum MDCCXL. lotij libras, ſupra potum, cibumque effudiſſe: cum vero de re tam inſolenti quæſtio inter phyſicos haberetur, in eam cuncti ſententiam abjerunt: nempè aërem arteriis, reliquoque corpore contentum in aquam coactum: novoque numquam deficiente, propter animantis reſpirationem, novam ſemper aquam concreviſſe. Traditum memoriæ & illud eſt, quod operæ auribus audire, adeo inſolens, & portento ſimile eſt. Quædam virgo, ex ijs, quæ ſe Deo manciparunt, tantum, præ vigiliis, jejuniis, aſſiduaque divinarum rerum meditatione ignem in ſe excitaverat, ut tota ardere videretur: ad eum autem ingentem calorem remittendum copioſiſſimum natura aërem attrahebat; qui mox viſceribus concretus, inque aquam mutatus, tanta per veſicam copia egerebatur, ut multis hebdomadis, ſingulis diebus CC. urinæ libras emitteret. Jam verò ſi in unius hominis extis tantus cogi aër potuit, quid mirum, ſi in tot montium vaſtiſſimis viſceribus tantus extillare humor denſato ex aëre quibit, ut affatim pabula rivis, fontibusque ſuppeditentur? Cui tum ego: Eruditè, tu quidem, Læli: ſed quæ tandem collatio tantulæ urinæ, cum immenſa illa aquarum mole, quam univerſa flumina continuò evolvunt? nulla quippè. Sed age, ſis, & preſſiori ratiocinatione rem conficiamus: & libentiùs id faciam, quod placere Mecœnati noſtro Geometrica ſentiam: neque ab his tu artibus abhorres. Ita, quæſo, tum Mecœnas: atque id abs te ego expectabam. Tum ego. Sed vos, quæſo, ut mihi veniam detis, ſi duriuſcula futura oratio ſit. At Mecœnas: Imo ipſi veniam rei damus, quæ elegantiorem cultum non patitur: quin & varietas ipſa pars eſt elegantiæ: & interdum etiam in Venere ſuperbus ille neglectus elegantioris cultus, omni elegantia venuſtior. Rectè æxtimas, tum ipſe: ſtatimque telam, ut ajunt, exordior. Accipiamus, ſi lubet, Eridanum, qui, etſi ex primis, quos terrarum orbis numerat, non ſit; Italorum tamen regem fluviorum ſuo jure Poëta vocat: imo ad veritatem indagandam commodiùs id faciet. Hic ad oſtia, quibus in Adriaticum ſe ſinum exonerat, profundus medio in amne, quà turgidior, ac vehementior currit, pedes fermè viginti: circa ripas verò non eſt tam altus: ſtatuamus igitur quindecim, non ampliùs pedes à ſummo gurgite ad imum deſcendere: paſſus ſcilicet tres: latitudo inter utramque ripam, ut eruditi tradunt M. paſſus amplectitur: una hora paſſus ſex mille conficit: quod vel minimum eſt. Jam verò rationem ſupputanti manifeſtum fiet: una tantum hora paſſuum aquæ, ut ajunt, cubicorum centies octogies centena millia,

Peripatetici ſententia improbatur.

millia, in Adriaticum infundere. Jam verò ſi totam hanc immenſam penè aquarum molem unus aër in guttas coactus ſuppeditaret; neceſſum foret concedere adjacentium circa montium cavernas uni Eridano ſingulis horis guttarum centies octogies centena millia: quotidie verò millies trecenties vicies centena millia; quarum quælibet, unum cubicum aquæ paſſum conſtituat, extillare: hanc autem menſuram explere gutta vix poterit, ſi intra unius arteriæ pulſum, nimirum puncto temporis, centies millies cadat. Verum quis adeò craſſæ Minervæ, ut id ſibi nullo negotio perſuadeat? nemo quippè. Hic Mecœnas: Ita prorſus: res eſt apertiſſima: quamvis in illis tam multiplicibus numeris, difficilè admodum ſit caput reperire. Cui ego: At ſunt quædam alia, quæ hactenus dictis fidem adjungunt: Et ille: Profer ea, quæſo. Tum ipſe: Iſtuc jam ibam. Compertum ex ſummis ſcopulorum verticibus, in quibus vel nullæ, vel anguſtiſſimæ cavernæ contineri queunt, copioſiſſimos fontes erumpere. Hi vero extillatione in illis coadunari non poſſunt. Imo ſi quæ coacto ex aëre illis in ſcopulis guttæ defluerent, ex lateribus, non vero ex verticibus erumperent: in quæ micare aqua ſua ſpontè nequit. Hic Mecœnas. Aſſentior & his: eſt ne aliud? Illud, tum ego; Ad certam aquę magnitudinem conficiendam, exempli gratia, palmarem, quadruplus mole aër, quadripalmaris nimirum, ſuccedat neceſſe eſt: tantus verò aër per hiatus montium ſuffuci non poteſt, nec plerumque res patitur. Tandem qui è campis exiliunt, hi certe extillatione oriri fontes minimè poſſunt: nam aqua inferiùs adunata ſua ſe vi tollere neutiquam valet, quippè gravis. Intereà, famulus advenit, & tempus, inquit, prandendi eſt; Si ita: Eamus, inquit Mecœnas: de his videbimus poſt: una igitur omnes aſſurreximus, inque menſam baſilicè inſtructam conceſſimus.

CAPUT SEXTUM.

A prandio incœpta priùs quæſtiuncula abſolvitur, atque ab Oceano oriri amnes demonſtratur: qui verò fiat, ut in montes emicent, incompertum eſſe oſtenſum.

POſtquam regia panè lautitie paſti, aſſurreximus, inque apriciorem proſpectum conſedimus: Redeamus ad controverſiam, inquit Mecœnas, ut tandem quid certi, ſtatuamus. Undenam igitur repetenda fluviorum origo; exprome, ſi lubet. Cui ego: Morem tibi illicò geram. Plurimi ſunt,

Oceanum aquarum omnium veluti Parentem multi faciunt.

ſunt, qui aquarum omnium parentem, inexhauſtumque fontem Oceanum putant: atque idcirco in eum flumina omnia confluere, ut eo relabantur, ex quo primum emerſere. Hoc Lælius loco ſic me interpellat: At in hac tu ſententia: habes enim VII. Nautic. hos verſiculos: quos patiare, quæſo, ut recitem: & eò præcipuè, quod Mecœnati tuo placere ſentio: Cui Mecœnas: Ita quæſo. Tum Lælius:

Fluviorum pater Oceanus, rex magnus aquarum
Quique ſinus centum, centum fluit æquora circum,
Atque plagas omnes terrarum fluctibus ambit.
Quin ſubtus terras & præter labitur omnes,
Per cæcos aditus, perque horrida Tartara Ditis.
Ceu toto in tenues diffuſus corpore venas
Inſinuat ſe ſanguis, agitque per omnia vitam.
Stagna lacus perhibent, hinc & vaga flumina, fontes,
Eque cavis quidquid ſaxis diſtillat aquarum,
Oceano ex alto conſurgere: namque ubi pontus
Deſcendit magnæ per crebra foramina terræ,
Quà via cæca patet, ſuperas ſe rurſus in auras
Emittit ſaliens: nam quantum vertice ab alto
Deſcendit maris unda, ſalit de gurgite tantum.
Hinc Tagus auratam voluens cum flumine arenam
Erumpit, Bætiſque alba præcinctus oliva,
Et qui tot terris, tot nomina gentibus Indus,
Caucaſea de rupe fluens, imponit: & ipſe
Purpurea Ganges unda, Tanaiſque nivalis.
Hinc gelidis venit Oxus aquis, & dives Hydaſpes,
Et Lycus, atque Hermus, fonteſque binominis Iſtri.
Nilus &, Ægyptum tumido qui gurgite dicat,
Vſque cacuminibus Lunæ devexus ab altis.

Hic Mecœnas: Id ſcilicet ex veterum opinione: nam hi montes, ex quibus erumpit, non illi quibus à Luna nomen factum. Ita vero, tum ego; ſtatimque Lælius:

Et Gis Æthiopum fama notiſſimus, & qui
Spumeus Alpino Veſuli de vertice currit
Eridanus, ſceptriſque potens Tiberinus, & ipſe
Pauper aqua, at multo dives Sebethus honore.

Virgilius Conſul Neapolitanus.

Nimirum, hic ait Mecœnas, quo à Neapolitanis Poëtis dignatus eſt: & inter hos primo loco Virgilium repono, qui non modo hac noſtra Civitate donatus, ſed Conſul etiam in Auguſti gratiam renunciatus. Cui tum Lælius: Si mihi liceret, ego in tui gratiam Parthenium noſtrum Conſulem crearem: nec ſanè expectationem falleret. Cui ego: Excidiſti è curru: redeas, quæſo, in viam: verùm omitte meos verſiculos cantitare: ceteroquin haud notam effugies. Et ille:

le: Nimirum, ut tibi adulari videar? Sed de hoc non laboro. Scio ingenuam Mecœnatis indolem. Cui Mecœnas: Recita, Læli; cæterum de Conſulatu, ut dicam, tanti illum Parthenius facit, quanti caſſam nucem. Et Lælius:

Orbe ſub occiduo Panucus, & alta fluenta
Amnis Amazonidum, centum qui flexibus errat,
Et ſata rura rigat latè felicia centum.
Cæruleiſque Canada vadis, flavusque Siopis:
Quique mari magno fluit ore, Argenteus amnis,
Et gemmas ſecum, & nitidas ſubvectat arenas.

Ut Lælius recitavit, Num, inquit Mecœnas, quod poëta cantitaſti, phyſicus probas? Cui tum ego: Ita enim verò: neque aſylum aliud patere video, ad quod me recipiam. Si ita, tum ille: neque ego diſſentiam. At quibus tu id argumentis conficias, exprome. Cui ipſe: Contendam equis, remisque, ut dicitur. Et primo: Summa quoniam ſacris literis adhibenda authoritas eſt, liceat mihi ex illis argumentum depromere. Æquiſſimum id poſtulas, tum Mecœnas: Rideo enim ego illos, qui phyſicis de rebus cum diſputant; ratiocinandi gratia, ut ajunt, ne ſcilicet impii habeantur, ſacras literas, divinam ſcilicet authoritatem, ſequeſtro ponunt: quaſi prima, & potiſſima ratio rerum omnium, non ipſe earumdem auctor, ac princeps Deus ſit. Cui tum ego: Gratias ago ob verbum iſtud pietatis, & prudentiæ plenum: quod ad eorum Philoſophorum, quos ego nunquam concoquere potui, impudentiam caſtigandam plurimum valet. Sed ad rem propius accedo: nimium enim prolixa cùm ſit, longiùs ab inſtituto diſcedere non patitur. In libro, qui Eccleſiaſtes inſcribitur, hæc notantur: *Omnia flumina intrant in mare: & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur; ut iterum fluant*: Ex quibus liquido conſequitur, fluviorum omnium parentem Oceanum eſſe, quare optime Hom. Iliad. XXI.

Ex Oceano flumina naſci, probatur primo ex auctoritate Sac. Scripturæ.

Οὐδὲ βαθυῤῥείταο μέγα σθένος ὠκεανοῖο·
Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα·
καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάωσιν·

Enim verò ſi, ut ſacer auctor, ait, in mare ſe fluvii exonerant, ut iterum fluant, jam ex Oceano oriri, tam manifeſtum quàm quod maximè. Et ſi, ut idem, inquit, & oculis tenemus, mare non redundat: id ſtatim, quod rectè arbitramur, exiſtit. Nam cùm quotidie immenſa penè aquarum moles è tot, tantisque fluminibus, èque tantis, diverſisque terris, in Oceanum infundatur; jam ſi hic illam in ſuum acceptam ſinum, non illico per interiores meatus rurſus remitteret, quis non videt futurum fore, ut brevi exunda-

Secundo probatur ex eo, quod Mare non redundat, immenſa aquarum acceſſione facta.

da-

daret? Hic Mecœnas: At huic rationi occurrere non videtur difficile: nam cum continuo vi Solis, præcipuè in torrida zona multum aquæ attenuetur in vapores, abeatque in aërem: uti etiam in Naut. VIII. non negas.

Attenuat quoniam Sol ferventiſſimus undas
Oceani magis:

Jam mirum non eſt, ſi Oceanus non intumeſcat: &, ut fluvii faciunt, cum pluvialibus aucti aquis ſe ſupra ripas effundunt, litora, terrasque obruat. Cui ego: Eruditè tu quidem: & gaudeo quod meis me verſiculis petas. Eſt tamen, bona tua venia, quod reponam. Ex utroque Mundi cardine, Arctico nimirum polo, ut Geographi dicunt, & Antarctico, verſus terrarum umbilicum, inque Æquidialem circulum, ut iidem ajunt, aquæ perpetuò deſcendunt, & continuò pluviis mare augeatur; haud ſanè vero videtur ſimile tantundem aquæ calore conſumi, quantum ex pluviis, ac liquatis in utroque polo nivibus, quantum item à fluviis nunquam intermino curſu conferatur. Si enim uti calculo vellemus, rationemque ſupputare, tantum quotidie in Oceanum aquæ ſubvectari reperiemus, ut minimè vitari poſſit, quin hic in terras refunderetur. Tum Mecœnas: Aſsentior & his: at hic ſtatim in eum ſcopulum offendo, ex quo declinare ſummæ artis, ſummique ingenii eſt. Qui nimirum fiat, ut aqua ſuaptè natura gravis ſeſe altius attollat, inque editiſſima montium juga, ex quibus plerumque fontes ſcatent, inſiliat: hæ Syrtes, hæc brevia; è quibus ſi evadi poteſt, confecta res eſt. Cui ego: Rectè intelligis. Si enim ex his cautibus patebit effugium, in tuto res eſt. Varias multi machinas excogitarunt, quibus aquam ex humili, in altiſſima ſubveherent: illas, quando lubet, ſatis, necne? breviter examinemus. Supra terras conſurgere Oceanum, ut extima illius ſuperficies, non modo camporum planis, ſed montibus ipſis editior ſit, nonnulli voluere: quo poſito, cauſſam quam expeditè reddiderunt. Intelligo, tum Mecœnas: nam ut habes in verſiculis modò à Lælio recitatis:

Exponitur modus, quo aqua ſuapte natura gravis, in editiſſimos montes aſcendat.

Quantum vertice ab alto
Deſcendit maris unda, ſalit de gurgite tantum.

At Lælius Mecœnatem intuens: Imo habet id etiam Bell. II. quos verſus dum tranſcriberem memoriæ mandavi: Recites, igitur, tum Mecœnas. Atque illicò Lælius:

Has ſed ſupremas liquidis reſonantia rivis
Flumina habent: cœcos quæ per telluris hiatus
Lapſa mari ex alto veniunt: atque incita rurſus
In mare per latas redeunt currentia terras.

Ergo, inquit hìc Mecœnas, in hac tu es ſententia? Minimè

mè verò, tum ego: altum enim hic mare pro profundo poëtico more dictum: vel ſi altum interpetretur quiſpiam: id ex aliorum placito factum, non meo, exiſtimet. Enim vero, ſi altior Oceanus ſtatuatur, quis non videt fore, ut hic in terras per oſtia fluviorum illico irrumperet, non vero in illum flumina confluerent? ejus enim indolis eſt aqua, ut depreſſiora ſemper in loca ſua ſe ſpontè incitet, & nativis quibuſdam ſtimulis perducat. Quæ quidem unica eſt ratio, cur fluvii tam pernici curſu, tanta aquarum contentione in mare ſe ſe præcipitent. Id in eo libro, quem de Aſtronomiæ principiis ſcripſi, demoſtratum, & breviter, & perſpicuè eſt. Hic Lælius. Non me fugit: auditor quippè tuus eram, cum tu illum in ſchola explicares: imo & argumentum teneo. Cui Mecœnas: Repetas, quæſo, Læli; nam etſi in eo libro mihi à Parthenio dono dato, legerim, cupio tamen ex te audire. Tum Lælius: Geram hunc tibi morem non modo patienti, verùm etiam volenti animo. Aqua ſuaptè natura ſic eſt, ut libera; nullis nimirum impedita repagulis, nullo aggere mancipata: ad devexa ſe loca deferat, humilia ſectetur, nec fluendi finem faciat, quouſque clivo omni ſuperato, in declivi ſit: fluit autem à montibus in valles, ex his in campeſtria enititur: ex quibus mox in mare lentiore licet gradu ſe promovet: altiores igitur montes, ex quibus rivi ſcaturiunt. Hic Mecœnas: Rectè concludis: gaudeo quod his in ſtudiis verſatus ſis. At Lælius: Utinam his inquit, tempus omne concedere mihi licitum: facerem, nec me quis negligentiæ accuſaret. Non ego ex illis ſum, qui contentionis cupidi magis, quàm veritatis ſunt: totique in illis occupantur, in quibus præter verbi controverſiam, nihil admodum eſt, quod quæras. Tum Mecœnas Lælium complexus, laudo, inquit, iſtam tuam indolem ſingularem: charior poſthac mihi, & jucundior eris: quæſoque Parthenium noſtrum, ut te etiam ipſe chariorem habeat, & meo etiam nomine commendatum. Cui ego: Imo chariſſimum: & id etiam faciam in gratiam tui: jam enim illius mihi ingenium perſpectum: odit ille, & merito illiuſmodi lites de umbra, ut ajunt, aſini, ac theatralem illam gloriolam tanti facit, quanti hilum. Atque hic quando jocari cœpimus, referam lepidam fabellam, quam operæ pretium eſt audire: juvat exhilare tantiſper animum. Tum Mecœnas: Ita, quæſumus, ut pro Lælio etiam ſpondeam. Ego vero: Atque audite. In quadam percelebri Hiſpaniarum ſchola, (Salmaticenſine, an Complutenſi, non ſatis teneo: nam multis ab hinc annis ab Hiſpano viro tum erudito, tum urbano rem accepi) duo ex noſtra familia in fre-

Oceanum non eſſe terra altiorem demonſtratur, atque hinc petendam rationem, quare Flumina in mare ſe præcipitent.

Lepida Fabella de Hiſpano quodã Phileſopho ſibi nimium plaudente in diſputando.

frequentiſſima auditorum corona, acriter, ut fit in diſceptationibus, de continui, ut ajunt, compoſitione, diſputaverant: qui theſes propugnabat, cum Ariſtotele ſentiebat: à quo ne latum quidem umquem diſcedere, Senatusconſulto cautum eſt: qui verò oppugnabat, à Zenone Stoicorum principe ſtabat. Qui quoniam peracutus, ac fervidæ indolis, palmam retuliſſe ſibi viſus eſt. Hic Mecœnas: Nimirum inanem plauſum à theatro. Nam veri nihil aſſecutus: latet quippè adhuc veritas. Imo & latebit quoad homines vivent, inquit Lælius. Sed quid tum poſtea? Cui ego: Accipite: Mirum ſibi in modum plaudens, ſuperbè circumſpiciebat: uti pavones ſolent, ubi caudam explicarunt: quam quidem hominis caudatam ſuperbiam non tulit, modeſtiæ amator Deus. Dum igitur, ſoluta concione, inter amicorum manus, ac plauſus effertur, quidam non notus hominem convenit; eque turba recedere jubet: habere ſe neſcio quid ſerii quod illi ad aures committat. Secedit ille: & quid iſtuc rei tandem eſt, inquit. Ille verò: Nobilis vir, qui ruri altera ab urbe leuca graviter ægrotat, te enixè rogat, atque obſecrat, ne graveris è veſtigio ad ſe venire, ut totius anteactæ vitæ confeſſionem excipias. Tum doctor perculſus improviſo illo nuncio, Quo pacto, inquit, tanta è contentione defatigatus, ac ſudore madidus, dieque jam inclinato, tantum itineris ſuſcipiam? veniam die craſtina. Et ille: Res moram non patitur, quippè morbus graviſſimus: neque ſeria tollere in craſtinum laudabile: imo ne expedit quidem. De via, ſollicitudinem omnem deponito: eſt ad januam equus curſorius expeditiſſimus, quo nullo incommodo quamcitiſſimè deveharis. Tum ille: inſtare iterum, ut in poſterum diem res differatur. At nuncius: Jam dixi ſeria non eſſe tollenda in craſtinum: quid ſi ille ipſa hac nocte fato concedat? certè tibi de illius ſalute ratio reddenda erit: age, move te ocyus; nam id tui inſtituti peculiare munus eſt. Hic doctor, ſontica adductus cauſſa, ut ajunt, acquievit: accepta igitur è Prætore facultate: ad januam ſe confert: inque paratum equum inſilit: jubetque nuncium ſedere poſt equitem: at ille renuit: ſeque expeditiſſimos, inquiens, habere ad curſum pedes: & ſanè tanta pernicitate ſequebatur, ut equum cæteroqui velociſſimum ſuperaret. Dum autem pergunt, Doctorem nuncius interrogat; qua de re controverſiam habuiſſent? De continui compoſitione, inquit doctor. Et Nuncius: Quid tu? Et ille: Zenonis ſententiam acerrimè, ut nunquam alias propugnavi. Quo, quæſo argumento? tum Nuncius. Cui doctor: validiſſimo illo, quod Achilles in ſcholis vocari ſolet: èque partium infi-

infinita multitudine, deſumitur. Dum autem argumentum ipſe repeteret, quidque contra adverſarius repoſuiſſet; ſibique plauderet miro modo, nuncius identidem occinebat, Quot abſurda, quot ridicula ambo effutiſtis: multos ſæpè ſophiſtas ineptire, nugaſque loqui audivi non ſine riſu, ſed qui magis quàm vos, neminem: atque ex intervallo illud græcè repetebat γνῶθι σαυτὸν. Hoc loco Doctor non ſine ſtomacho, Eſne tu inquit phyſicus? Et ille: Quam qui maximè: ab ipſis enim unguiculis his operam ſtudiis navavi: quocirca ea calleo, pluſquam aprugnum callum callet, ut dicitur. Sed ſi ita, cur, inquit doctor, ab eo vitæ inſtituto diſceſſiſti? Et ille: Ob quandam animi extumeſcentiam: qua tu etiam nunc quaſi follis tumes: ſi ſcires, quàm multa ſint, quæ te latent, faſtum iſtum certò deponeres. Hic doctor acriter irritatus, Argumentemur, inquit. Cui ſtatim nuncius: Ne quæſo crabronem irrites; pœnitebit quidem certè, cum te brevi deprehenſum animadvertes. Quoniam verò jam tenebris obduci cœlum incœperat, & iter per ſylvas videbatur ſatis impeditum, Quà imus? inquit doctor: & quando ad iſtius ægroti villam tandem venicmus? Brevi, tum nuncius, perque implexos calles, adituque difficiles ire occupavit. At doctor animadvertens equum frenum non audire, & volare veriùs, quam currere: & hærere ſemper lateri ducem, doctè diſputare, atque eruditè, & Græca etiam occinere, quæ vix ipſe intelligebat, non bonum quid ſuſpicans, cœpit expaveſcere: cumque ſalutari ſe crucis ſigno muniret, repentè equo, & duce evaneſcente, ſolus in media ſylva, multa jam nocte relictus eſt: tantoque timore correptus illico eſt, ut nihil propius factum ſit, quam occumberet. Nempè, tum Mecœnas, malus ille genius erat, magnus oppido philoſophus: quocirca non immeritò affirmabat multa ab illis abſurda, ac deridicula inter diſputandum dicta: voluit, haud dubium, bonus Deus hominis faſtum multare, ut ſic in poſterum diſceret de ſe ſuperbè non ſapere. Sed age redeamus ad propoſitum. Tum ego: Quidam, ut è vadis illis emergerent, in alia inciderunt: à Scylla nimirum in Charybdim; ut dici ſolet: opinantur enim non maria quidem omnia, ſed quædam tantum editiora eſſe: ea nimirum, quæ à terris quam remotiſſima: ex illis vero fontes ducere originem arbitrantur. Hic Lælius: At futile iſtuc commentum eſt: urget quippè eadem difficultas, idem premit argumentum: idemque abſurdum ſequatur, neceſſum eſt. Altiora illa, quæ finguntur maria in proxima, ac decliviora confluerent: hæc turgidiora jam facta, in terras irrumperent. Cui ego: Ita verò: neque qui-

Nonnulli aliqua tantum maria terris editiora eſſe voluerunt; atque hinc Fontium originem petendam. Sed impugnatur hæc opinio.

buſdam aſſentior, qui divina illa teneri vi, ne defluerent commenti ſunt: eſt enim perfugium inſcitiæ, nec magni eſt animi ad ſacram anchoram confugere, quando nulla à tergo tempeſtas premit, nullus urget adverſarius. Hic Mecœnas: At quædam ſunt in ſacris literis, quæ id videntur inſinuare. Etenim ſi intumeſcenti Oceano, ac præ undarum æſtu, ventorumque ira effervеſcenti, ne præſcriptos ſibi fines litora ſcilicet, tranſiliret, Deus juſſit; jam divina ſtare vi, manifeſtè conſequitur. Cui tum ego: Doctè tu quidem. Verùm illud ego præſcriptum, naturam ipſam aquarum interpetror: quæ cùm ita ab auctore creata ſit, ut intra terrarum alveos contineatur, eos egredi fines non poterit: eſt & illi certus limes, modusque conſtitutus, quem ſupra intumeſcere vi tempeſtatum negatum eſt: cæterum, ubi terrarum ſpatia depreſſiora ſunt, ut accidit in Belgio, tum perfractis aggeribus irrumpit, & latiſſimas circum terras inundat. Hic Mecœnas: Intelligo: perge porrò. Tum ego: Quidam hac tollere adniſi machina Oceanum ſunt. Aqua, inquiunt, quæ per ſubterraneos terrarum meatus in ima deſcendit, æquilibris, oportet ut ſit cum toto Oceano: eſt autem æquilibris ſi altior aſſurgat, molemque altitudine compenſet. At hi errant, quod ajunt, tota via. Etenim geminæ in eandem cùm ſe aquæ ſuperficiem rotundaverint, æquilibres conſtituentur: etſi una perexigua, altera major ſit. Liquida enim, ut Archimedes demonſtrat, non mole, ſed altitudine certant. Hoc loco Lælius: Iſtud clariſſimum, inquit: quod & geometrica olim à te ratione oſtenſum commemini: qua quidem nihil certiùs omninò eſt. At mihi, tum Mecœnas, illud favere huic æquilibro poſſe videtur: nam quotieſcumque duo humores non ſimilis, ſed diverſæ naturæ ſunt ἑτερογενῆ Græci dicunt, tum læviorem aſcendere, ſubſidere graviorem, atque iſto modo ſtare æquilibres exploratum eſt: cum verò ſalſior aqua, dulciore ſit gravior; jam emicare fluvios, ipſa liquidiùs aqua conſequitur. Atque iſta machina, nativa nimirum vi, ex humiliore ſe loco aqua ſubſtollit; montes exſuperat: ex quibus inde per devexa fluens, ea repetit loca, è quibus exiliit. Cui tum ego: Ingenioſè tu quidem: verùm eſt, quod ſtatim opponam. Dulcem præ ſalſa læviorem eſſe aquam non inficior, & do lubens: differentia, ut doctis placeat, ſecundum viceſimas, idque ad ſummum. Jam vero marinam aquam M. vel ſi lubet, MM. paſſus a fundo conſurgere ſtatuamus: quia verò fluvialis viceſimis conſtituta levior eſt, ſtatim exiſtit, viceſima milliaris unius, vel duorum, ſi ſecundum accipiamus, parte fluvios editiores eſſe: nimirum paſſibus L, vel C. ſunt au-

Alii, ut liquidorum æquilibrium adſtruant; aquas, quæ per ſubterraneos meatus in ima deſcendunt, altitudine Oceani molem compenſare, aſſerunt. Sed liquida non mole, ſed altitudine certant, ut oſtendit Archimedes.

Quamquam maris aqua gravior ſit; non tamen proportionem habet ad montium altitudinem.

autem editiſſimi montes, ut interdum ad plura paſſuum millia turriti ſurgant, inque altiſſimis verticibus aquæ ſcaturiunt; non ergo hoc argumento id, quod quærebatur, efficitur. Hic Mecœnas: Viciſti: domnus: ſed quam tandem viam inibimus? numnam ad impetum confugiemus? ad aram nimirum, ut dicitur. Cui ego: Probabilia conjectas: quippè non deſunt, qui vehementiſſimo extruſas impetu aquas tolli, erigique affirmaverint. Id vero fieri ajunt hoc modo: Oceanus identidem vel ex flatu, reflatuque ventorum, vel æſtu ex Lunæ acceſſu, receſſuque, vel halituum vi, qui in aquis latent, incrementa capit: ubi verò intumeſcens in litora, hiatuſque terrarum irruperit, tanta vi ſubterraneos cuniculos pervadit, ut altiſſimè aquam impellat, atque extrudat: hæc iſto modo impulſa in editiſſima rupium juga prorumpit, emicatque; perque crateres mox fontium delapſa fluvios efficit: continui vero flatus, atque æſtus cum ſint; idcirco continua illa in fontibus, & nunquam interrupta perennitas. Hic Mecœnas: Veriſimile iſtud quidem certè. Et ego: Imo multa ſunt, quæ fidem huic ſententiæ adſtruunt: & primo Scylla, & Charybdis, loca non minus fabulis, quam naufragiis celeberrima, magnoque naturæ miraculo, quàm maximè admiranda: profundi quidam hiatus ſunt, immenſamque aquarum copiam exhauriunt: quam deinde in Oceanum remittere, non defuere, qui dixerint. Hic ille: Haud equidem id mihi novum: habeo enim in memoria tuos illos verſiculos V. Naut.

An ex impetu altius aſſurgant aquæ, & quomodo?

Nam ſubtus terram, ut perhibent, Maneſque profundos
Tenditur immenſus per concava ſaxa meatus:
Illum trans Lybiæ fines erumpere Ponto
Ex imo voluere, viaſque ſecare latentes
Oceanum Eoum, fluctusque haurire Sicanos.

Cui tùm ego: Multum tibi, ut video, abs re tua eſt otii, ut meos etiam libellos evolvas. Ille verò: Haud equidem ingrati animi notam effugerem, ſi non haberem quotidie ad manus; quando tu illos mihi, quæ tua fuit humanitas, nuncupaſti. Imo tua, tum ego, humanitas fecit, ut tuo illos nomine dignareris. Atqui pergamus porrò: jam enim contenebrat, mihique videre janitorem videor ſupercilium contrahere, moræque impatientem jamjam iraſci: eſt enim capularis ſenex, atque iracundus. Quod igitur dicebamus, eo etiam argumento approbant; quod libero in aëre, vi ventorum, impetuque turbinum alliſum ad cautes mare altiſſimas ſe ſupra rupes efferat, cunctaq; ſpumis aſpergat: id verò faciliùs fiet, cùm aqua per arcanas terrarum fibras magno coacta, atque impulſa impetu præcipitatur.

Tum ille: Habeo & iſta; ſed ut dicam, quod ſentio, videntur mihi hic etiam ſyrtes eſſe, & vada, è quibus evadere minimè expeditum, ac commodum eſt. Etenim compertum, intumeſcentis æſtum Oceani ad V. vel VI. tantum orgias elevari: hæc verò altitudo ad rem nihil facit. Cui ego: Rectè animadvertis: eſt tamen impetus, qui multo ſupra VI. orgias aquam ab ſe impulſam attollere poterit, habenda etiam ratio: rem exemplo, ſi placet, explicabo: Hoc Lælius loco: Imo quæſumus: ſentio id enim Mecœnati noſtro placere: & ut tu IV. Bell.

Ardua ab exemplo fiet res planior.

Vectis exemplo aquarum elevatio explicatur.

Da igitur aures, tum ego: Eſto vectis ſuo fulcro innixus; inque uno illius capite globus ſit minor, exempli gratia lib. X. in alterum verò caput, major alter, librarum ſcilicet C. ex altitudinis unius exapedæ demiſſus incurſet: videbis illicò exilire minorem, & ad duas vel etiam tres exapedas attolli. Hic Mecœnas: Iſtuc do facilè: verum quid ex eo conficis? Quid? tum ego, majorem nimirum intumeſcentis Oceani molem, minorem aquæ per terrarum cuniculos impulſæ, quàm altiſſimè elevari: eſt enim ex majori corpore major impetus, qui minoris repugnantiam longè ſuperet. At Mecœnas. At reſponſio eſt in promptu: nempè alia liquidorum, alia ſolidorum habitudo corporum eſt: hæc tota ſimul incurſant, illa non ita: hæc unà enituntur, illa per partes. Dum enim aquæ mons, ut ait Poëta, æſtuante Oceano, in eam aquæ partem, quæ per hiatum intruditur, ſuperincumbit, non totam in eam vim exerit ſuam, nec tota connititur: major illius pars ad litora alliditur: in quæ diffractus eſt impetus; ideoque in eam non totus expenditur: imo hic dum per anguſtos, ac tortuoſos canales una ſimul cum aqua demittitur; ſenſim infringitur, atque hebetatur, ut tandem deſinat, pereatque omninò: & fortaſſe antequam aqua ad fontes perveniat. Præterea, ubi nullæ tempeſtates, uti Pacifico in mari, ubi nulli, aut vix ſenſibiles æſtus efferveſcunt, nulli etiam fontes ſcaterent, quod tamen neutiquam verum eſt. Tum ego: Gaudeo, quod à te deprehenſum me video: & fateor me iſtud argumentum prævidiſſe: quod quantam vim habeat, intelligis ex te: quare ineamus ſi lubet, cum aliis aliam viam. Lubet, tum ille: faciemus, ut phyſici, qui Eriſichthonis Metra, ut eſt in proverbis, mutabiliores ſunt. Cui ego: Quid mirum? phyſicos hic fingimus: pergamus igitur; & quando tantum otii conceſſum, non erit abs re tantiſper nugari. Quidam homines lepidæ indolis, & comminiſci faciles ejus eſſe naturæ terram commenti ſunt, qualem ſpon-

Sed maxima difficultate non caret hæc opinio.

Alii terram veluti ſpongiam finguntur, atque ideò ex inferioribus ad montium vertices aquam aſcendere.

ſpongiæ inditam ſcimus : bibulam igitur terram voluerunt : quo dato , brevi difficultatem omnem præcidunt : nam ſi ſic : dum una illius pars aquam ebibit , altera ſtatim attrahit , ſurſumque evehit : itaque fieri , ut aqua ab inferioribus hauſta , in ſupremos montium vertices evadat : atque hæc illa eſt antlia , quæ acceptos ab imo fontes , in editiſſima quæque loca ſubmittit . Tum Mecœnas : Habet ſpeciem veri : abeſſe tamen à veritate mihi facilè perſuaſerim . Eſto enim per hiantes terrarum fibras , quaſi ſiphunculos aqua è mari hauſta in montium juga ſeſe inferat : verùm ubi ad ea nulla vi , nullo impetu urgente pervenerit, illico ab aëre ſupprimeretur , adituque ne erumperet , flueretque prohiberetur. Eſt etiam quod non omnes terræ bibulæ , neque ita facti , diſpoſitique canales, ut aqua unà omnis , ſurſumque coacta elevetur : & tamen omnibus ex terris & duriſſimis etiam cautibus fontes emicant: non igitur procreari amnes poterunt iſto modo . Tum ego : Quam putamus rem , acu tetigiſti , quocirca futile iſtud phyſicorum commentum , quo ſe non expediunt difficultate , ſed magis induunt , omittamus . Neque illi evadunt à ſcopulo , ſyrtesque declinant ; qui univerſam ſubtus terram maris aquam permeare , opinati ſunt : idque ſe manifeſto putant conficere , quod in inſulis, inque continentium terrarum oris ſalſi , ut plurimum , fontes ſcaturiant : imo in mediterraneis etiam locis ſalſiuſculos exilire fontes compertum eſt . Hic Mecœnas : Id ego facile darem. Imo etiam ipſe , tum ego : ſunt quippè in terræ gremio . immenſæ penè cavernæ aquis benè plenæ : illas Græci ὑδροφυλακια , atque ἀβύσσυς appellant : idque ex eo etiam in manifeſtò eſt , quod interdum, cum terra movit , ingentes aquarum voragines patuere : atque in hunc modum plurimos lacus extitiſſe memoriæ datum eſt : verùm hæremus adhuc in vado . Hoc loco Lælius : Mirum oppido , inquit , quod in tanta aquarum copia , in qua verſamur , hæreat nobis aqua . Cui Mecœnas : Euge Leli : lepidus , tu & argutulus : ad me verò converſus , Perge tu porrò : nolo feſtinanti moras innectere . Et Ego : Certè hora eſt quaſi diei ultima ; atque ob id jocari non ſinit . Eſto igitur , ſe per terrarum gremium latè Oceanus inſinuet , qui tamen fiet, ut ex ſubjectis cavernis, ſuomet reluctante genio , exiliat in montes ? Et ille : ſi major virtus minori prævalet , quid prohibet , quin minor aqua à majori ſurſum impellatur ? Cui tum ego : In ſolidis id, non in liquidis verum eſt , quorum ea eſt natura , ut ſuperiùs dicebamus , ut altitudine pugnent non mole : cui enim, qui vel leviter Geometrica attigerit , non cognitum eſt , unam

Sed falsò.

non

non ampliùs aquæ libram cum mille decertare: nec vel tranſverſum unguem diſcedere ab æquilibrio? nempe ſive exiguæ, ſive ingentes aquæ fuerint, eadem premendi vi, niſuque præditæ: ſi una eademque ambarum altitudo ſit. Hic Mecœnas: Teneo & hæc. Sed quod tandem aſylum patebit, quo ſe recipiant? numnam ſe ad Vulcani aram vertent? Ad hanc ipſam, tum ego: Ajunt quidam, & vendibiles quidem Authores, aquas vi ignis rareſcere, atq; ebullire, qua mox efferveſcentia eleventur, altosque aſſecutæ fontes, efflueant. At ſi ità, tum ille; undè tantus in aqua frigus? A rupium natura, ajunt, quæ frigida plerumque eſt: nam quæ aliunde ſcatet, calida interdum: imo etiam in locis illis, ubi major ignis exardeſcit, fervet etiam, atque ebullit. Tum Mecœnas: ſed quid tu de iſtorum placito? Cui ego: Pluribus in locis ardere ignes, quorum vi, quæ ſuperiùs conſtituta fervere aquam: aſſurgere mox, atque effundi: oririq; amnes nonnullos iſto modo, non irem inficias: & ſi verò ſimiliùs ſit, præ nimio calore aquam in vapores attenuari, calidaſque mox in guttas concreſcere, atque extillare: ut in ollis evenire quotidie coqui animadvertunt: cæterum univerſos, & vaſtiſſimos quidem amnes ex his guttis originem ducere, falſum arbitror: ſiquidem gelida ferè ſemper ſcatet aqua, & immenſa, & nunquam intermiſſa perennitate. Quidam ſunt, qui in terrarum gremio, quæ loca Tartara nuncuparunt, immanem aquam eſſe, eamque animantibus ſpiritibus agitari putavere: qua inſtar ſanguinis nutriri terras, imo etiam vivere commenti ſunt: quo dato, ſua virtute moveri, ac ſurrigi, telluremque univerſam permeare, conſequi manifeſtò putant. Hic Mecœnas: At iſti homines, aut nugas loquuntur, aut delirant: ut hi plerumque ſolent, quibus ad novitates comminiſcendas prurit animus: Cui ego: optimè intelligis. Hoc loco Lælius: Ut video, res eſt indagatu difficilis, & quocumque te vertas, impeditos invenias aditus, & vix ſuperabiles vias. Cui Mecœnas: Rectè extimas. Latet in ipſis aquis demerſa veritas. Cui tum ego: Ita ſummo opifici viſum: cui uni nota eſt machina, qua aquas attrahat, quippè auctori. At in ultimum quando diei ſerum diſputando pervenimus, quæſo ut abeundi facultatem concedas: & ille: Do, inquit: ſed fac, ut te propediem reviſam.

Sunt, qui aquas vi ignis rareſcere putent, & ſic elevari.

At vaſtiſſimos amnes hinc originem ducere, non eſt credibile.

Quorumdam deliria.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

Inter eundum quædam, quæ ad ſuperiorem quæſtionem ſpectare videbantur, obiter perquiſita.

DUm unà cum Lælio è Barnerſi Mecœnatis villa Neapolim, quadriga vecti, redimus, ita me interpellat: Quædam mihi in promptu ſunt, quæ te de ſuperiore diſputatione interrogem: quæſo igitur ne id tibi grave ſit: ſcio quippè ex quanta contentione defatigatus, vix tandem quieſcas. Cui ego: Lubet: ſic pluſculum hoc temporis, quod ſupereſt, ut domum veniamus, non abibit ſine lucro. Tum ille: Idipſum volebam: ſcis enim me in omnes addiſcendi occaſiones, quaſi è ſpecula, imminere. Age igitur: ſi ab Oceano in terras aquam irrumpere multis adducti argumentis concedimus, cur nam ſalſa illa cum ſit, dulcis mox è fontibus ſcatet? Cui ego: ſi primum damus, & dandum jam putas, ab hoc ſe expedire non multi eſt otii: illa enim dum ſe per terrarum fibras inſinuat, ac per arenas, ſalebraſque interlabitur, quaſi per cola extillat, purgatur, ſalſedinemque exuens, dulceſcit: id autem ita fieri, ars ipſa comprobat: nam dum eadem aqua in extillatoria fornacula guttatim depluit, nativam ſalſedinem deponit: atque hinc eſt, cur circa litora ſalſiuſcula hauriatur: cum enim per exiguos meatus, atque arenulas, non tanto ſpatio extillaverit, quantum ad ſalſedinem exuendam ſatis erat. Intelligo: tum Lælius: eſt tamen qui me torquet ſcrupulus: ſunt enim vel in ipſis montibus ſalſi fontes; qui cæteroqui deberent ea ratione dulceſcere. Cui: Non nego, inquam: id verò idcirco evenire arbitror, quia laxiores interdum meatus patent; quo fit, ut colari aqua minimè poſſit: quocirca neutiquam mirum, ſi nativa adhuc ſalſitudine emicet. Imo cum etiam in montibus ſalis fodinæ ſint, quis infici illis aquam, inficietur? Tum Lælius: Aſſentior prorſus. Cui ego: Plerique ſunt, qui ſuperiorem tantùm Oceani aquam ſalſam eſſe arbitrantur, inferiorem verò dulcem: in quorum ſententiam ſi deſcenderis, jam rectè conficitur, dulces eſſe fontes oportere. Hic Lælius: At hi nugantur: quo enim modo fiat, ut id comperiant? Cui ego: Imo addunt experimentum, quo ſe illud exploraſſe confirmant. Num urinando? tum Lælius. Cui ego: Minimè vero: calamum ſatis longum, cujus ſupremum labrum, artiſſimè occludunt, in mare demittunt: mox illo reſerato, inferiorem aquam hauriunt: occluſoque iterum, calamum inde educunt; inque guttum aquam infundunt: liban-

Cur maris aqua, ſalſedinem exuens, dulceſcit?

Cur in ipſis montibus Fontes nonnulli ſalſi?

Oceani ſuperiorem tantum aquam eſſe ſalſam, cenſent aliqui: idque experimento confirmant: ſed non vero.

libantes dulcem deprehendiſſe teſtantur. At Lælius: Quid tu de iſto experimento? Et ego: Haud omnem illi fidem adhibendam eſſe exiſtimo: nam mihi nunquam voto reſpondit: & quotquot rogavi urinatores, quique ad multos etiam paſſus deſcendiſſent, ſalſam omnes reperiſſe aquam reſponderunt: quocirca qualis in imo, penitiſſimi Oceani fundo ſit, is tantùm novit, cui, utpotè auctori, abditiſſima quæque naturæ patent. Hic Lælius: Ita eſt, ut dicis: quare tu in re ſimili non immerito ceciniſti:

Multa latent homines, ſolis quæ cognita diis ſunt.

Verùm pergamus porrò. Compertum pleriſque in locis eſt, plurimos fontes eadem incrementa, ac decrementa habere, quæ Oceanus: hoc enim intumeſcente turgent, copioſioreſque fluunt: detumeſcente verò, ſubſidunt ipſi, ac tenujores præterfluunt: ſi ſic jam videtur liquidò confici æſtu aquam ad juga montium aſſurgere; ut inde relabatur. Cui ego: Aliquos fontes, & litorales vel maximè, oriri ex æſtu, & eas ob id pati vices, non certè negaverim: at omnes, neque concedo, neque ſi vellem poſſem. Enim verò ab æſtu cum mare intumeſcit, atque altius aſſurgit, eum ſervare modum compertum eſt, ut vix decempedam exſuperet: at aqua altiſſimos in vertices enititur: non igitur ab æſtu elevari tantùm poteſt; ut ſuperatis fontium jugis, victrix exiliat. Imo ſunt, qui contrarias vices ſortiti, Oceano æſtuante, decreſcunt, augentur vero ſubſidente: quo quid inſolentius dici poteſt? ex his ille inter primos eſt, qui Gadibus Herculis delubro proximus fons erat, qui, ut ait Plinius: *Alias ſimul cum Oceano augetur, minuiturque, alias verò utrumque contrariis temporibus*. Et ut idem ait: *In ripa Bætis oppidum eſt, cujus putei, creſcente æſtu, minuuntur, augentur, deſcendente: mediis temporibus immobiles*. Et ſanè tam mira ſunt, quæ de fontibus perhibentur, ut ſingulas illorum cauſſas indagare difficilè admodum ſit: quare fontium miracula meritò dicta ſunt: Hic Lælius: Si tantæ, inquit, anguſtiæ hic ſunt, ut quò te vertas, omnino ignores, cur non in cœlum confugimus? Cui tum ego: Nempè cœleſtium vi corporum elevari aquam dicamus? Id ipſum, cogitabam, inquit Lælius. Ego verò: Sed quot hic etiam ſcopuli, ſyrteſque occurrunt? tot ſanè, ut ad indagandas rerum naturas ne in cœlum quidem aditus phyſicis pateat: quam incertus iſtic in ea, quæ ſub Luna ſunt, ſyderum influxus: quam longiſſima intercapedo, qua propagari neceſſum foret. At Lunam, tum ille, in Oceanum influere in confeſſo eſt: quod vel tu in illis verſiculis, quos habes Naut. VI. profeſſus es:

Fontes litorales ex æſtu maris oriri poſſunt.

An cœleſtium vi corporum elevetur aqua?

Luna in Oceanum influit.

Ipſe

Ipſe ſed Oceani ſpumantia cærula duco
Reginæ arbitrio Lunæ, imperioque cieri:
Vimque illi arcanam, motu quæ concitet undas;
Eſſe puto: parent Lunæ freta turgida, quando
Illa abeunte cadunt maria, & veniente, tumeſcunt.

Cui tum ego: Sed eſto; quando meis me verſiculis prehendiſti, inſit ſyderibus vis iſta: Cur verò ex hoc potius loco in fontes aquam trahunt, non verò ex illo? Tum Lælius. Aſſentior; nihil enim habeo, quod huic reponam. Sed ſi iſtud præſtare ſydera non poſſunt, cur Intelligentiæ facere non poterunt? Ea his enim cura à ſummo opifice demandata, ut mundi elegantiæ, commodoque mortalium invigilent: quorum gratia cœleſtia corpora condita ſunt, & perpetuo motu circumaguntur. An timemus, ne in gentium errores incidamus, qui divinitatem fontibus tribuebant? Sed nos non ea eſſe numina, ſed ab Numinis adminiſtris regi, gubernarique exiſtimamus. Cui ego: Eruditè, Læli: verum ſcis me minimè ab his alienum, qui nativa vi ferri, rotarique orbes, ſyderaque univerſa, arbitrati ſunt: quod ſi ita, cur non potius innata quadam, atque arcana virtute ſurrigi ſurſum aquas putandum ſit? Latebit certè in iis arcanum neſcio quid, quod illarum naturam evincat. Sed quid, ille, ſi cum pleriſque arcanam iſtam vim eſſe Numinis providentiam affirmemus? Cui tum ego: Rectius hi faciunt, quam illi, qui editiorem ſtare Oceanum, divinoque juſſu cogi, ne in terras irrumpat, putavere. Cæterum, ut jam dicebamus, res eſt inſcrutabilis omninò: quæ cum dicerem tardiſſimè domum perventum eſt.

An Intelligentiis Fontes debeamus?

CAPUT OCTAVUM.

Authoris iter Alexandria Babyloniam uſque: quæque in eo evenerunt apud Mecœnatem enarrantur.

SEdebamus una cum Mecœnate ego, & Lælius ad fontem, qui medio in Xyſto poſitus, proceris circum cupreſſis obumbratur: cùm Mecœnas: Age, inquit, quando otium datur, quod tuæ peregrinationis ſequitur, enarrato. Cui ego: Faciam libenter, cùm nihil mihi antiquiùs, quam tuis juſſis obtemperare. Et ille: Scio equidem quantùm tua in me officia luceant. Et ego: Contendam igitur juſſa faceſſere, & ea brevitate, quæ id temporis plurimum placet. Cum ingens me cupido videndi Nilum eo in loco, quo totus, ac integer fluit, inceſſiſſet, Achmetem rogo, ut pro veteri amicitia ad id operam ſuam conferret. Et ille: Meus

Auctor Babyloniã proficiſcitur.

 filius,

filius, inquit, Arſinoen, quæ in intimo Arabici ſinus receſſu eſt, negotiorum cauſſa profecturus: quocirca jubebo, ut Babylonia iter faciat, teque illuc deducat: & ſi jubes veniam & ipſe; ut ibi meum, ac perantiquum ſervitium exhibeam. Cui tum ego: Nolo, ut affecta jam ætate, tantum laboris ſuſcipias. Ibo unà cum tuo nato: imo illum Arſinoen uſque comitabor: non omittam occaſionem videndi Erythræum, & ea vel maximè loca, per quæ dilectæ olim Deo gentes ſiccis pedibus transfretaſſe perhibentur. Interea loci, dum profectio adornatur, adeſt Britannus, cumque pro more me affabiliter ſalutaſſet, Quid ageretur? interrogat. Cui ego: Babyloniam, atque Arſinoen proficiſci meditamur. Tum ille: Babyloniam veniam ego cum duobus popularibus, de Arſinoe cogitationem omnem deponito. Longum enim iter, & periculoſum: imo veror, ne antequam redeas, naves ſolvant, in Europam rediturae: quod ſi ita, quid tu hic barbara in terra, & ſolus ages: Hic Achmetes ſic illum interpellat: Fateor, barbarum in præſentia ſolum hoc, in quo olim humanæ artes floruerunt: at utut nunc ſit, non certè magis barbarum, quam ſit veſtra Britannia: in qua tamen ſunt plurimi exculti, atque urbani. Sic in Ægypto, imo & in penitiſſima Æthiopia compluſculi ſunt, in quibus eas animi dotes reperias, quas interdum in pleriſque ex humaniſſimis populis requiras. Et ſi cuncta deſint, ſum ego ipſe, qui in cultiſſima totius Europæ Italia, inque urbe officiorum refertiſſima, diù vixi: & in domo, in qua etſi non ſuperbæ opes, nec tituli, ſumma tamen erat urbanitas. Hic Britannus: Ita verò: non inficior: ſed qua deinde occaſione, quo duce, in Italiam redibit? Cui Achmetes: Nunquam hic naves vel Gallicæ, vel Venetæ deſunt, quibus & tutò, & commodè navigare poſſit: idque meum erit curare: & jam nunc recipio: eamque diligentiam impendam, quæ ſervum, eumque memorem beneficii decet. Hic cum etſi ægrè amicus aſſenſiſſet, in diem craſtinum profectionem decernimus: pararique omnia, quæ neceſſaria ducerentur, Achmetes juſſit: quia verò hora erat quaſi XII. eamus, inquit Achmetes, ſi lubet pranſum. Cui Britannus, qui ſubiratus erat, & ſi iram læta fronte diſſimulaverat: Ite, inquit, vos, ego religione teneor. Hoc loco Mecœnas: Nempè graviter tulerat, habitam ab illo barbaram terram, in qua ipſe natus fuerat. Cui ego: Intelligis: ſed quid facias? ſic ſumus omnes, ut nimirum eos, qui de nobis, ac noſtris haud perhonorificè loquuntur, vix patiamur. At Mecœnas: Ita enim vero. Sed illi re vera ſapiunt neſcio quam barbariem: quocirca non immeritò dice-

re

re ſolebat illa Svecorum Regina, quæ certè virilem ſemper præ ſe animum tulit: Præter Italiam, Galliam, & Hiſpaniam, reliquum terrarum orbem barbarum eſſe. Cui ego: Addam, quod ex me affirmare non auſim, & ſi vellem temeritatis notam, vel certè maledicentiæ non effugerem, eruditiſſimus ille, ac ingenioſiſſimus Viera Luſitanus genere, ſed in America natus, cùm Romæ eſſet, & multarum gentium mores, atque ingenia cognoviſſet, aſſerere non dubitavit, extra Italiam omnia barbarie obſita: & inter primos Luſitanos ſuos cenſeri volebat: quod quidem ut dicebam, non ſic animum induco, ut mihi id facilè perſuadeam. Sed redeamus in viam, quæ longa cum ſit, aliò divertere, non ſinit. Cum Britannus abiiſſet, paſſus ſcindi potiùs laciniam, quam remanere, nos ad menſam ſedimus: nam nullo modo miniſtrare Achmetem ſubſtinui. A prandio tota in adornanda profectione cura fuit: nec quidquam bonus Achmetes eorum prætermiſit, quæ opportuna videbantur. Filio impensè juſſit, ut eam mei curam ſuſciperet, quam erga parentem ſe, uxoremque ſuam adhibuiſſet: meque tanquam veterem coleret dominum, ac ſolerter obaudiret: quod iterum, atq; iterum ſummoperè inculcavit. Primo manè adfuit Britannus, qui cum ad litus venimus, ubi lembus erat expeditiſſimus: hic Achmeti vale dicto, nam euſq; nos comitatus fuerat, lembum ingreſſi propter oram ire occupavimus. Jam dies ad umbilicum venerat, quando vehementiſſimus ex improviſo ventus exortus eſt: qui quoniam ex Oriente perflabat, in terram nos deſcendere coëgit: lembus in anchoris, in anguſto oræ receſſu ſtetit: nos interea corpora curavimus: quibus brevi procuratis, ſtatim omnes in arena dormivere. Ego, cui inſolens lectus ille erat, in vicinum tumulum conſcendi, circum undequaque oram ſpectaturus: quod quia ſalutare mox fuit, non niſi inſtinctu Numinis factum putavi. Vigilat quippè benigna Dei providentia, nec ſuos unquam perire ſinit. Etenim dum oculos circum flecto, & campeſtrem omnem regionem inſpicio: tres equites ex longiſſimo incitatiſſimo ad nos curſu convolare animadverto: quos ego ſtatim prædones Arabes eſſe, de quibus multa audiveram, ſuſpicatus, ſocios omnes excito, eoſque de prædonibus admoneo. Aſſurrexerunt illicò omnes, atque arma corripuere: quidam Anglus ſclopum, quem ſecum in promptu habebat, in eos direxit, alter, qui cum mihi neceſſitudo erat, fiſtulam prætendit: illi ut propius acceſſere, ingentem, ut barbaris mos eſt, clamorem ediderunt, ſimulque jacula emiſere: ſed ſive quia nimis feſtinanter, intorſerant, ſive Deus, cui me enixè

Criſtina Svecorum Regina præter Italiam, Galliam, & Hiſpaniam, reliquum terrarum orbem Barbarum eſſe cenſuit.

Et Luſitanos ſuos barbaros voluit Viera.

commendaveram, vim illorum infregerit, extra ictum ceciderunt: tum Angli iræ impatientes tormenta explodunt: ſtatim unus, qui majori tormento ictus fuerat, ex equo prolapſus, paulò poſt, indignam animam efflavit; alter graviter ſauciatus: qui illicò cum tertio è litore aufugit. Nos non minori feſtinatione, lembum conſcendimus: & quoniam aliquantum ſe venti vis remiſerat, nautas iter capeſſere, obnitique vento jubemus. Duplex enim periculum imminebat, ne vel prædones, aucti numero redirent: vel Turcicus præfectus, apud quos crimen capitale eſt, re comperta, ſupplicium de nobis ſumeret. Hic Mecœnas: Capitale igitur, ſe à prædonum vi, atque injuria defendere? non natura didicimus licitum cuique eſſe vim vi repellere? Cui ego: Apud Barbaram gentem immanis hic mos invaluit: adeo enim vindex homicidii gens eſt, ut in ipſam naturam peccet: dumque vitium unum cavere vult, in aliud incidit: nimirum difficilè reperire modum, ubi nulli culti mores, nullæ artes humanæ vigent. Sed redeo ad propoſitum: cum tota nocte navigaſſemus, primo diluculò Schediam tenuimus. Sedet hæc urbs in uno ex ſeptem Nili oſtiis, quod Canopicum olim, & Heracleoticum appellatum eſt. Hic ad publicam cauponam, quæ in ipſa Nili ripa inſtructa eſt, divertimus: quia vero vix tota illa nocte ſomnum oculis videramus, nos ad quietem, Achmetides ad accurandum cum caupone prandium ſe contulit. Poſt brevem ſoporem, ingens clamor de repentè exortus, nos excitavit: accurrimus illicò: & quid rei eſſet? percontamur: Tum Caupo. Egreſſa è Nilo Bellua in oppidum irrupit. Cui ego: Sumus hic ſatin' ſalvi: Et ille: Satis: validæ enim fores, & præſtructa in illis fovea; in quam ſi inciderit, feſtivam vobis ſcenam exhibebit: mox ego novarum rerum percupidus, quæ bellua eſſet, & quod periculum ab ea immineret, perquiro. Hoc loco Mecœnas: Crocodilus haud dubio; cujus capturam, & variam illam in Halieuticis tradidiſti. Cui ego: ita enim verò: at eo tempore ne de auditu quidem Crocodilum noveram: quocirca de illo Achmetidem, qui jam ſupervenerat, curiosè interrogo. Reſpondit ille, & pluribus, telámque orditus hoc modo. Eſt hujuſmodi animal, quod etſi in aliis fluminibus generari ferant, Nili proprium; lacerto ſimile, ſi unam tantum caudam excipias: tanta enim magnitudine excreſcit, ut XXVI. pedes æquet: imo interdum exſuperat: idque vel ex eo magis mirum, quod ab ovo anſerino æquali excudatur: amphibium animal, utpotè quod tum in terris, tum in aquis commodè vivat. Os ingenti rictu patet: maxillæque validiſſimæ LX. dentibus arman-

Turcica Gens adeo homicidii vindex eſt, ut in naturam peccet.

Schedia urbs in oſtio Canopico ſita.

Crocodilus deſcribitur, ejuſque captura.

mantur : arreptamque ovem uno ictu integram devorat : lingua caret : atque ob id mutum : caudæ longitudo, reliquo corpori ſuppar : quam in ſpiras ſerpentis more implicat : eaque natantes, reliquosque Nili piſces implicatos enecat : dorſum duriſſimis ſquamis obtegitur : venter molliſſimus ad ictus patet : quatuor graditur pedibus, quos tenaciſſimis unguibus armatos gerit : oculi ſvillis perſimiles prominent : eorumque acrior in terris acies, quam in aqua. Hoc loco Lælius, Patiare, inquit, ut te unum interrogem. Qui fiat, ut Crocodilus clariùs in terris, quam in flumine perſpiciat? cum cæteroqui piſces acutiſſimo viſu polleant. Cui ego : Quia nimirum huic belluæ ita à natura conſtitutus oculus eſt, ut refractos in aqua radios non benè uniat : hinc confuſus obtutus eſt : in terris cum minimè radii refringantur, in unum omnes collineant, clarasque rerum imagines depingunt. Hic ille : veriſimile : perge igitur quod cœperas : Tum ego : Podice caret, ajebat Æthiops, atque idcircò per os ipſum excrementa egerit : quæ in terreſtribus odora ſunt, & pro pigmentis mulieres utuntur, ut elegantiores appareant, & gratum item odorem ſpirent. Tantæ feritatis, ut nulla in Ægypto nocentior fera ſit. Atque hæc cum diceret, renunciatum eſt occiſum Crocodilum, mortuumque exenterari. Accurrimus cuncti ilicet, & quo modo enectum eſſet monſtrum, perquirimus. Æthiops quidam, narrabat unus è turba, prælongam humero perticam ferebat : in quem cum Crocodilus magno impetu irrueret, ille, ut erat vir magni animi, nil territus perticam objecit : quam bellua cum avidiſſimè excepiſſet, adegit ille tanto in ventrem niſu, ut exanimata ſtatim fera ſit : quam mox accurrentes alii confecerunt : uſque adeo validiſſimum telum eſt præſens ſibi animus : nec vinci homo poteſt, qui non timeat : donatus ob id Æthiops magno præmio : quo audito, ad videndam feram accedimus, & qualem Achmetides deſcripſerat, invenio : illam ego curioſè, atque attentè diù contemplatus ſum : dum autem exenterarent, quendam è circumſtantibus, qui doctior præ cæteris videbatur, eſſetne belluæ uſus? interrogo. Tanta ille humanitate reſpondit, quantam barbaro ab homine numquam expectaſſem. Dextræ maxillæ dentes, inquit, fortes ad amorem homines reddunt, qui in ventre lapilli generantur, febris rigorem, quem paroſiſmum Græci dicunt, expellunt : quam etiam vim in adipe eſſe ajunt : pellis aduſtæ cinis aceto dilutus, ſi iis membris, quos morbi gratia, ſecare oporteat, admoveatur, adeo ea torpida reddit, ut doloris omninò ſenſum adimat : idem ejuſdem pellis nidore evenire, nonnulli ajunt : ſanguis viſum

Crocodilus clariùs in terris perſpicit, & quare?

Crocodili partium uſus ad morbos depellendos, & alia.

ſum roborat, oculoſque acutiores efficit: caro elixa (caput tamen, pedeſque excipito) hiſciadem curat, renumque dolorem allevat: adeps grangrænam ſanat, piloſque deicit: & quod mirum magis eſt, ſi quis adipe perunctus in Crocodilum irrumpat, minimè læditur: & quamvis plurimi putent immedicabiles eſſe Crocodili morſus, illius tamen adipe facilè curantur. Hæc & multa Æthiops narrabat: quæ ego Achmetide vertente, ſumma animi voluptate excipiebam: quia verò jam prandii tempus appetebat, nos in cauponam recepimus. Poſt prandium luſtrare oppidum placuit. Et primo in portum perreximus: qui in ipſo Nilo extructus, navibuſque excipiendis per commodus: naves ita ad ripam applicantur, ut ex illis domus ingredi quàm facilè valeas: infra portum fanum eſt pro oppido magnificum; cujus hæc ad Nilum facies, valvæque patent: illa in forum vergit: ſecundum Nili ripam non inelegantes ædes poſitæ pro honeſtioribus viris: & tabernæ marcatorum plurimæ: non procul à portu in via, qua iter Alexandriam, perexigua arx eſt: quibus luſtratis in Cauponam redimus: quodque diei reliquum erat, ad Nili ripam ſedentes cum veteri amico transduximus. Poſtera die navim ingreſſi Babyloniam adverſo Nilo navigavimus: perque eam Ægypti partem, quam à ſimilitudine græcæ literæ, Deltam veteres, atque inferiorem Ægyptum appellarunt. Nam non longè ab antiqua Memphi Nilus in ſeptem illos ramos dividitur, triangulumque extremis efficit, cujus baſis ora maris: atque hic triangulus Delta regio eſt toto orbe, qua camporum ubertate, qua urbium, populorumque frequentia nobiliſſima. Hoc loco Mecœnas ſic me interpellat: Quid tu inquit, de Delta ſentis? Nam plurimos eſſe ſcio, qui à Nilo factam arbitrantur: tantum enim ſabuli, terrarumque è ſuperiore Ægypto continua alluvione convexit, ut recurrentibus annis, novam in Ægypto Ægyptum procreaverit. Cui ego: Scio graviſſimos anthores ita cenſuiſſe: atque illud veriſimile quidem certè: ſcimus enim Acheloum amnem, tantum limi, ſabulique advexiſſe, ut totum illud maris ſpatium, quod inter ipſius oſtium, Echinadaſque interjacet, impleverit: quin etiam novis identidem terris, ex editis montium jugis advenientibus, novæ è mari terræ oriuntur: ipſe verò in ſe converti, ac veluti retrofugere pontus aſpicitur. Et ne longè exempla petam, nobiliſſimi olim Crateris portus Herculis, & Sarni amnis hoc modo penitus interiere: ita Lucrinus vix nomen ſervat. Nec aliter omne id ſpatium noſtræ urbis, quod a Nobilium Sedile, cui à portu, qui eo loci olim fuerat, nomen obtinuit, uſque

Delta, ſeu Ægyptus inferior, camporum ubertate, & populorum frequentia nobilis: An à Nili ſabulo procreata?

Amnium limo maris ſpatia impleta.

Portus Herculis, & Lucrinus hoc pacto periere.

uſque ad mare eſt, novum omninò, aſſiduiſque alluvionibus enatum. Ita vero, tum Mecœnas; non inficior: at quantus hic terræ tractus? punctus certè ſi cum tota Delta componatur. Cui ego: Do equidem. At ingens Nilus, ſabuloſa Ægyptus, annuæ alluviones, ac vaſtæ, & quod caput eſt, longum tempus magnus eſt artifex: Tum Mecœnas: ſi id demus, vero etiam ſimilius eſt, inferiorem Ægyptum ſæpius figuram, ſitumque variaſſe. Do facilè, tum ego: eque eo exiſtere manifeſtè duco, quod ex ſeptem brachiis tanti amnis, vix noſtra ætate tres numerentur. Tum Mecœnas: Ita eſt, ut dicis: perge igitur, non dum enim Babyloniam pervenimus. Et ego: Poſtea quam multum navigaſſemus, Nicium devenimus: quæ urbs ad Nilum ſita, populoque refertiſſima: mox ad Naton inſulam, quæ tum villis, ſpiſſoque arborum textu, tum rerum omnium ubertate, & celebris eſt, & peramœna. Inde Lætum, ubi ſe Nilus diſtrahit, devecti ſumus: quia vero nihil viſu dignum in oppido eſſe, ajebant, diſceſſimus illicò: perque integrum jam Nilum, ampliſſimoque turgidum alveo, Babyloniam tandem pervenimus: intereà loci, dum hæc dicerem, adſunt Mecœnatis ephebi mulſam ſubminiſtraturi: ad quam hauriendam ſtatim convertimur.

CAPUT NONUM.

De Ægyptia Babylone ſermo habitus, quæque ea in urbe ab Authore ſpectata fuerunt, apud Mecœnatem diſtinctè enarrata.

UBi jam ſuaviſſima mulſæ potione, juſta intercapedo facta eſt, quod in longis narrationibus ni facias, periculum eſt, ne faſtidium auditoribus crees: non enim facilè longum ſe continet animus: & intermixta ſæpè varietas delectationem parit, diſtractuſque tantiſper ubi mente pervagatus fueris, attentionem commodè dicenti adhibes. Age jam, inquit, Mecœnas: & quando Babyloniam ſermone perventum eſt, aliqua de illa nobis ediſſere. Cui tum ego: Geram hunc tibi morem: & eo lubentius: quod fragantiſſima illa mulſa roborata mens, animuſque vegetior factus: quæque mihi in memoriam venerint, breviter dicam. Sedet hęc urbs ad orientalem Nili ripam contra Mempheos ruinas: quæ ad occidentalem ripam ab antiquiſſimis regum, qui primi in Ægypto dominati ſunt, ædificata perhibetur: perque plurima ſeculorum ſpatia illorum regia conſtituta. Ex hujus mox ruinis, Perſis terrarum imperium obtinen-

Ægyptiæ Babylonis ſitus deſcribitur.

A quibus ædificata?

tinentibus , nova ad orientalem ripam inſtructa à Cambyſe urbs eſt , deque nomine Aſſyriæ Babylonis à Semiramide conditæ , Ægyptiam Babyloniam vocavit : quæ eandem , quam Memphis, ſortem experta eſt : nam à Græcis primum, tandem ab Arabibus diruta, novæ urbi locum dedit: ſic variante vices fortuna ; & ut quemadmodum novis populis veteres imperium, ita urbes urbibus cederent . Hæc autem urbs ad Septentrionem Babylonis in eadem ripa , ampliſſimaque in planitie ab Arabibus non multo poſt , quam in Ægyptum irrupere , condita eſt : de anno nihil certè ſtatui in promptu eſt : de auctore variant : quidam à Sclavo quodam Arabi regis ſervo, cui Gehoani nomen , fabricatam volunt , & Alcayrum appellatam : ſita eſt inter inferiorem , ac ſuperiorem Ægyptum , mediaque inter Arabicum ſinum, & Libycos montes , qui termini ab Oriente , atque Occidente Ægypti ſunt; nam à Septentrione noſtro mari alluitur , ad Meridiem, ubi Nili cataractæ, Æthiopicis montibus finitur. Urbis figuram triangularem quidam , quidam vero ovalem eſſe tradiderunt : his facilè aſſentior : etſi tanta illius magnitudo , ut complecti tota oculis nequeat : ejus quippè longitudo ad XXXI. millia paſſuum , latitudo ad XX. patet : circuitus tam vaſtus , ut vix uno die abſolvi ab equo curſorio poſſit. Arabibus, Turcis, Ægyptiis, Græcis , aliiſque gentibus tanta multitudine colitur ; ut nulla ſit in Orientem populoſior : & ſi vera ſunt, quæ tum narrabantur (nam ſermonibus vulgi , res pro ſuo more amplificantis, vix credo) ſupra ſeptuagies centena millia capitum numerantur: quantam multitudinem : in reliqua Ægypto, minimè reperias: viæ publicæ , vicique tanto numero , ut duodeviginti millia quidam recenſuerit: etſi perangustæ, nimis ſint : tres tantum viæ , nundinis deſtinatæ , ampliores patent: domus innumeræ , & duobus contignationibus aſſurgunt ; ut æſtate, qui in inferiori habitant minus à vicino Solis æſtu torqueantur : cum cæteroqui in toto Oriente, una tantum ædes coaxatione poſitæ ſint : plurimæ multo marmore , multoque ſumptu inſtructæ ; quod antiquis Ægyptiis ſolenne fuit : reſtat nimirum adhuc in nova barbarie nonnihil priſci ſplendoris , nec interire omninò poſſunt inveterati tot ſeculis mores: januæ anguſtæ, atque humiles , ut domum ingredientibus , inclinandum ſit caput: idcircò factitari , ajunt , ut ſcilicet belli tempore immunis ab alendis equis gens eſſet: at illud mirum oppido mihi viſum eſt: ſeræ nimirum, quibus valvæ obfirmantur, non ex ferro , ſed ex ligno , adeò affabrè factæ , ut eundem uſum commodè præbeant . Hic Lælius : At facilè diſrumpentur.

Urbis figura ovalis.

Ejus longitudo, latitudo, circuitus, & gentium frequentia.

Ædificia.

Cui

Cui ego: Non ita: mira quippè ſtructura eſt: præterea additta lex ſæveriſſima, qua nulla ſera tenacior: & ubi de crimine pœna ſumitur, rarò admodum peccatur: ſed ut redeam ad limen oſtii: dum urbem per otium luſtramus, duo præcipua fana vidimus: nam cæterorum tantus numerus, ut ſupra IV. M. eſſe perhibeantur. Primum quod Illuſtre templum Arabico vocabulo nuncupatur: & nomen ſatis operi reſpondet: ampliſſimum quippè, & qua ſtructura, qua ornatu per quam magnificum: annui illius cenſus adeo pingues, ut in eo ſuperſtitionis pontifices unà cum numeroſiſſimis familiis alantur: alterum non inferioris amplitudinis; in quo XXX. columnæ ex elegantiſſimo marmore viſuntur, utrumque eorum regum opus, à quibus ædificata urbs eſt. Hoc loco ſic me Lælius interpellat: Sed quo pacto Mahumetanorum in templa irrupiſti? audivi enim id apud illos religioni duci: neque unquam in ea noſtris aditum patuiſſe. Cui ego: Præmium cuſtodi dedimus: & ita reſeratum eſt oſtium: tanta enim hominum avarities, ut nihil tam ſanctum, tam religioſum ſit, quò argenteis machinis non pervenias: neque unum hoc Turcarum, qui ſupra reliquos avaritiæ notantur, ſed gentium penè omnium vitium eſt: auro venit juſtitia, veneunt ſacra, comparantur amicitiæ, arces expugnantur. Sed pergamus porrò: nolo ab inſtituto deflectere. Poſtquam ea templa vidimus, in arcem contendimus, quæ edito in rupis vertice poſita eſt: ad quam ut mollior eſſet per clivum aſcenſus, inciſi ipſa in rupe gradus, per quos nullo labore arduitas ſuperatur: illius figura fermè rotunda, & propugnaculis antiqui operis ornatur veriùs, quam munitur: ut expugnari nullo negotio, vel una die poſſit. Cæterum regiæ ædes, quæ in arce ſunt, & quibus ultimi Reges inhabitabant, ſuperbiſſimæ: cubicula, porticus, Xyſti, qua marmore, qua picturis, qua etiam muſivo opere elegantiſſimo, quam per magnifica ſunt: viſuntur adhuc inaurati fornices, ac texellata pavimenta, aliaq; ſumptuoſiſſimi luxus monumenta. At infra loci ſitum cætera ſunt: amœniſſimus enim quaquaverſus, ex innumeris feneſtris proſpectus patet: crederes ex pyramidis cujuſdam apice omnem te Ægyptum circumſpicere; univerſam ſpectare urbem, eamque quaſi pedibus ſubjectam, totumque Nili alveum oculis complecti. Hoc loco Mecœnas: Age, dic ea ſinceritate, quam ego inter cæteras tuas dotes, primam numero, pulchrior ne noſtro proſpectu, quo ex edito Hermite circumſpectantes fruimur? nam ni me fallo, neſcio quid illo pulchriùs inveniri detur. Cui tum ego: Dicam, ut jubes: etſi verear ne me patriæ amor, quem difficilè exuimus: &

Templa.

Ædes Regiæ.

quoniam ita natura comparatum, ut noſtra nobis pulchriora, quam externa, videantur: me à veritate divertant. Jucundiùs ille fateor Babylonicæ arcis proſpectus, & præcipuè id temporis, quo Nilus inundat, cum natantes mari terras, inque aquis habitantes homines, te videre credas: At longè jucundior Neapolitanæ arcis proſpectus, quam unà cum colle Hermitem dicimus; qui & Antinianus eſt vulgo appellatus. Hic enim ſi te ad Orientem vertas, magna Campaniæ pars viridiſſima planitie ſpectatur; in cujus medio biceps Veſuvius aſſurgit: Apenninus coronat: ad Septentriones ſi reſpicias, altera Campaniæ pars lætiſſimis extenta campis, plurimis diſtincta oppidis, villiſque interpuncta, eodemque Apennino præcincta tuis ſe oculis obiiciet. Si ad Occidentem, mira tibi varietas ſeſe offeret, Pauſilypus frondoſus vertice, ſinuoſus litore, variatus ædibus: Neſis turrita, Leucogæi colles, quæque amœniſſimæ interſunt valles, Vulcani forum, Puteoli, Bajæ, Miſenus, Cumæ, Ænaria, Prochyte, remotæque Taurubulæ ſub obtutum cadent: quę longè Maſſici, Circæique montes concludunt. Si vero ad Meridiem reſpexeris, totus tibi Crater patebit, cujus alterum latus Stabiæ, Vicus, Surrentum, Maſſa ad delubrum, pagique innumeri exornant, Aureusque mons, atque Æquana juga definiunt: modicoque disjectæ freto Capreæ circumſcribunt. Subjecta urbs Neapolis, quæ etſi Babylonia minor, elegantia tamen, ac magnificentia longè ſuperior: quam vero jucundus, atque amœnus collis, qui urbem coronat, & quantum oculos oblectet, haud facilè dictu eſt: quapropter præferendum noſtrum hunc proſpectum Babylonico, non dubito. Atque ob id magnificum illud nomen noſtro colli adſcriberem, quod eis Græci campis, qui ſupra Thermopylas ſunt, undè tota Theſſalia conſpicitur, indidere: nam ob admirabilem, jucundumque proſpectum, Thaumacos appellarunt: & ſanè ſi admirabilis ullus in Orbe proſpectus eſt: hic ſanè admirabiliſſimus: quo factum, ut Campania noſtra ob id etiam Felix cognomento appellaretur: nulla enim regio eſt, quæ vel terræ ſitu, vel cœli temperie, vel camporum ubertate, vel maris hoſpitalitate, vel collium amœnitate, vel opportunitate inſularum, vel ornatu montium illa nobilior ſit. Hic Mecœnas: Ut in Halieuticis, hic etiam genio indulſiſti. Laudo ſtudium tuum iſtud erga communem parentem: nam plurimi ſunt, quos nonniſi externa delectant, placent peregrina, laudant exotica: tantoque nativi ſoli faſtidio tenentur, ut merito in ultimam barbariem amandandi eſſent. Sed redeamus ad propoſitum. Cui ego: Id ipſum jam meditabar: quæq; tum oculis comple-

Neapolis proſpectus pulcherrimus.

Thaumaci montes.

Campaniæ Felicis deſcriptio.

plexus ſum, enarrare contendam: ſed per compendium, jam enim ad occaſum dies vergit: & ſi tardè domum redibimus, Lælius incenatus cubitum ibit: hæc enim tardè venientibus multa. Tum Lęlius: ſermo tuus ſimplex, ac mundus, lautiſſima mihi cœna. Cui tum ego: Bona verba, filumque interruptæ narrationis retexo. Ex templis in fora nundinarum, quæ plura ſunt, & magnificis ędibus exornata, pedem intulimus. His in locis videre eſt non ſine voluptate immenſam penè mercium omnis generis multitudinem, quæque ex omnibus terrarum partibus invehuntur. Indi telas egregio opere textas, pretioſosque lapides afferunt: Armeni aromata, & pelles verſicolores: Perſæ oloſerica, Arabes equos, & odores, Æthiopes aurum, quod è fluminibus colligunt: Afri Camelos, ebur, dactylos, & mancipia: Galli aurum, argentumque elaboratum, aliaque manufacta: Angli, & Batavi pannos: uno verbo, quidquid ex toto Orbe vectari poteſt, in unam Babyloniam aſportatur. Vidimus item plurima noſocomia, & horum quædam ampliſſima, ampliſſimisque redditibus ditata: innumeri quibus ægroti ſubſtentantur: tanta verò cura, ac diligentia, ut majorem vix deſideres. Hic Lælius: Miror tantam ineſſe barbaris charitatem: an hujuſmodi morem ex priſcis Chriſtianis acceperunt? Veriſimile, tum ego: Sed quid mirum? indita enim nobis à Natura in miſeros miſericordia: quam ſi qui exuerint, naturam exuiſſe cenſendi ſunt: quisque calamitatibus patet: corporisque ęgritudinibus obnoxii ſumus omnes: quod ſi non mutuo juvaremur, malè humano generi conſultum eſſet: quando & brutæ pecudes ſibi mutuò opitulantur, & ut poſſunt, opem ferunt. Ex noſocomiis in Lanienas perducti ſumus: ſunt vero hæ novem tota urbe celeberrimæ: in quibus infinitus penè numerus pecudum omnis generis jugulatur: hæ ad regem ſpectant. Eique pro tributo ſingulorum pecorum caput, & pellis obveniunt: ex quibus magnam pecuniam corrogat. Cervi tamen immunes. Hic Mecœnas: Laudo genus tributi, quod non hominum, ſed pecudum capita perſolvunt: ſed cur cervi immunes? Cui ego: Id ipſum miratus tum ego: atque à multis immunitatis cauſſam exquiſivi: nullus ſatis quæſito fecit: etſi plurimas plurimi fabulas, ut eſt vulgus hominum, commenti ſint. Quidam id fieri, dicebant, quia priſci reges cervorum venatu ſummoperè delectabantur: alii quia mortui medicandis hominibus proſunt: alii demum quia ſatis oneris in capite gerunt ſuis illis vaſtis, ac ramoſis cornibus. Placet hoc ultimum, tum Mecœnas: at ſi ita quot etiam homines immunes à vectigali forent? Sed omittamus

Babylonis Nundinæ.

Noſocomia.

Lanienæ.

Omnium pecudum capita pro tributo ad Regem ſpectant. Cervi tamen immunes, & quare?

jocos. Ita, tum ego, nam ut optimè Poëta:

At fugit interea, fugit irreparabile tempus
Singula dum capti circumvectamur amore.

quæſo igitur, ut abeundi facultatem concedas: aliàs quod reliquum eſt, referemus. Per me licet, tum ille: ſtatimque diſceſſimus.

CAPUT DECIMUM.

Occaſione arrepta à columna; ex qua Ægyptii Nili incrementa dignoſcunt, de illius incremento, & vera cauſſa fusè diſputatum.

Redieramus cum Lælio ad Mecœnatem, qui nos benè manè ejus diei, qui remittendis animis datur, præmiſſo curru, advocaverat: & poſt datam, acceptamque ſalutem, ſedeamus, inquit Mecœnas, & Babyloniam revertamur: mirum quantam peregrinari mente, quando ægro corpore non licet, delectationem mihi pariat. Id mihi etiam, tum Lælius, arridet miro modo: & quid jucundiùs quam ſine incommodo, imo etiam ſedendo luſtrare orbem, gentium mores diſcere, navigare maria, ignotos adire populos, terrarumque habitudines, & quæ, ut ait Poëta, quæque ferat, quæque etiam recuſet cognoſcere? Quibus ego: Si ita, attendite: Secuto mox die, ad eam Nili inſulam nos hoſpes perductavit, in qua Nili incrementa cognoſcuntur: quapropter Arabico vocabulo, quo menſura ſignificatur, *Michias* vocitatur. Sita eſt hæc inſula ad meridiem antiquæ Babylonis, eamque univerſam Nilus interluit: & ipſa inſtar urbis, veluti inſula Tiberina, habitatur: numeratque ædes MD. in illius editiore clivo regium palatium locatum eſt: quod Regem quendam Sarmatico ex genere coluiſſe perhibent: delectabatur plurimum ea inſula: juxtaque templum etiam poſuit: quod regiis ædibus, nec magnitudine, nec ornatu cedit. At mihi ſpectanti ſummoperè placuit Niloſcopium. Hic Mecœnas: Nimirum locus ex quo Nili incrementa ſpeculantur? Cui ego: Rectè ex græco vocabulo conjectas. Eſt autem foſſa quadrata, in qua ingens aquæductus, qui ſubter humum inſtructus, ad ſuperficiem uſq; Nili perducitur: media in foſſa marmorea columna erecta eſt, inque duodeviginti cubitos diſtincta: ex hac autem Nili incrementum contemplantur hoc modo: cum excreſcere Nilus incipit, aſſurgens paulatim aqua per aquæductum in foſſam influit, ſenſimque intumeſcens, augmenti partes in columna oſtendit: ſic primo duos aſſurgere digitos, tres ſe-

Michias, Nili Inſula, ubi fluminis incrementa cognoſcũtur.

Niloſcopium deſcribitur.

ſecundo : atque iſto modo ſequentibus diebus incrementa notantur. Hic Lælius: Ut video eo fit modo, quo in Thermometris caloris augmenta, frigoriſque dignoſcimus. Cui ego: Ita prorſus: id vero, ut primùm ab homine ad id deſtinato, exploratum eſt, miniſtris quibusdam ſignificatur: qui illicò croceis induti calceamentis, veteri more, univerſam urbem excurrunt, fluviique incrementa denunciant, & ut pro accepto beneficio quam maximas Numini gratias agant adhortantur: quem ego morem ſummoperè laudo: plurima quippè in nos Superum beneficia forent, ſi dignæ ob conceſſa grates redderentur. Optimè ducis, tum Mecœnas: ingrati plerumque mortales erga beneficentiſſimum Numen: cujus tanta in nos quotidiè promerita lucent, ut vix totum vitæ tempus ad referendas gratias ſufficeret. Sed antiquus ne hic mos, ac recens, atque à novis incolis inſtitutus? Cui ego: Antiquum puto, & à priſcis uſque temporibus deductum: etſi paululum variaſſe pro varia gentium indole veriſimile. Reperi tamen alium privato cuique, proprioque in fundo uſui fuiſſe, quo quiſque ſibi fluminis incrementa, ex quibus unis ſingulorum fortunæ pendebant, metiebatur. Quisnam iſtic, tum Mecœnas. Cui ego: Accipe, in cellis, ſeù cryptis ſubterraneis vaſa quædam cylindrica concava extruebantur; eaque circulis quibuſdam æquo inter ſe ſpatio diſtantibus per certa intervalla diſtinguebantur; in horum vero cylindrorum baſes tubos per ſubterraneam cuniculationem à Nilo deducebant; perque eos excreſcens mox aqua derivabatur: quæ quanto altior intra prædicta vaſa aſſurgebat, tanto majus fluvii incrementum ſignificabat: hujus autem certam magnitudinem è circulorum numero, ſpatiorumque, quæ aſſurgens aqua occuparet, definiebant: pro magnitudine verò inundationis de anni fertilitate, ſterilitateve pronunciabant. Hic Mecœnas: quoniam, inquit, data mihi ad eruditum ſermonem porta eſt, ea utar: & eò præcipuè, quod videam Lælium jam ſe ad interrogandum accingere: quam igitur ob cauſſam certis, ſtatiſque temporibus Nilus excreſcat (quod quidem manifeſto Numinis beneficio fieri negabit nemo unus: arida enim Ægyptus cum ſit, ſiticuloſa, nec cœleſtibus unquam imbribus imbuatur; ni exundante Nilo irrigaretur, non ſecus ac Libya, inculta eſſet, ac deſerta) enucleatè ſi lubet, diſſeramus: Cum Lælius: Fateor, inquit, te cogitatum meum prævertiſſe: id enim jam eram percontaturus; & ſcire jamdiù avebam: res quippè ſcitu digniſſima. Quibus tum ego: Neque ipſe adeo inurbanus, ut quod vobis placeat, non lubentiſſimè velim. Ingrediamur igitur, tum

Pro magnitudine inundationis de anni fertilitate pronunciant Ægyptii.

Exponuntur Philoſophorum ſententiæ de Nili Incremento.

Me-

Mecœnas: & de tempore primum inundationis, quod te certè non latet, videamus. Cui ego: Dicam equidem: verùm in re tam frequenti, quippè anniverſaria, & quæ non apud antipodas, ſed in Ægypto, noſtro nimirum in Orbe, contingit, mirum oppido quantum authores varient: adeò difficilè eſt veritatem aſſequi: quæ licet una, diverſos tamen pro intuentium ratione proſpectus habet. Quidam incrementi exordia medio Junio conſtituunt: quod LX. ſolidos dies durare ajunt: mox totidem decreſcere: quidam alii, etſi in augmenti tempore conſentiunt: detumeſcentiam tamen ad XX. uſque Septembri diem extendunt. Cardanus ſub æſtatis initium, Sole Cancri ſignum ſubeunte, excreſcentis Nili principia ponit: XL. dies continuos intumeſcere, XX. verò non ampliùs detumeſcere: quibus expletis ſeri ab Ægyptiis tradit. At alii ſunt, qui ſub exordium Canicularium dierum augeri Nilum, perque integrum menſem fieri incrementa dixerunt. Hic Mecœnas: Quid tu, inquit, in re tam varia certi ſtatuis? Cui ego: Junio menſe, circiter initium Cancri, incerto tamen die: ſiquidem nunc citiùs, nunc verò tardiùs pro varia anni tempeſtate Nilus aſſurgit: dies verò XL. durare augmenta, totidemque decrementa conſtituo. Ita narrant incolæ penès quos fides rei eſt: idque etiam Leo Africanus tradit, cui utpotè indigenæ facilè crediderim. Qui eo tempore urbes Ægypti ferè omnes, villasque univerſas inſtar inſularum eſſe; nec niſi navibus adiri poſſe, ait: tantam eo tempore vectandis rebus opportunitatem eſſe, ut nullo penè ſumptu immenſa fermè mercium copia tranſvectetur: idque ſecundo fluvio: nam in defluentem conniti, neque vacuis quidem cymbis conceditur.

Incrementi exordium quo tempore accidat, ac detumeſcentia.

Affatim, inquit Mecœnas, de tempore hactenus viſum eſt, ad indagandam nunc cauſſam tantæ, ac tam celebris inundationis, quæ quidem non plana res erit, ſermonem transferamus. Cui tum ego: lubet: verum jube ut Lælius dicat. Tum Lælius: Ego ut qui diſcipulus, èque ſpecula in omnes addiſcendi occaſiones immineo, audiam attentè: tu qui magiſter ediſſere. Cui Mecœnas: Modeſtè Lælius: age tu, fac ut cœperas. Quibus ego: Si jubetis, morem geram: & quæ varia phyſicorum ſint placita percipite. Plurimi, quorum duces Agatharchides apud Diodorum Siculum, & Nearchus apud Strabonem, Nili incrementa ex pluvialibus aquis oriri opinati ſunt; ſiquidem Junio, Julioque menſe, cum ardentiſſimi æſtus in interiori Æthiopia eſſe ſolent, immenſi imbres, quibus illi temperentur, maxima Naturæ providentia, in terram decidunt: qui mox per

Quidam ex pluvialibus aquis Nili incrementa oriri aſſerunt.

va-

varios torrentes, ac fluvios in Nilum adunantur, hic tumidis aquis aſſurgit, inque Ægyptum citatiſſimo contendens curſu, univerſam penè alluit, obruitque. Hic Mecœnas: Darem id certè tibi, ſi tantos, ac tam perpetuos imbres effluere non dubitarem. Cui tum ego: Verùm id tam certum, quam quod certiſſimum: nam præter Agatharchidem, & Nearchum, qui graviſſimi cæteroqui authores fuerunt, remque ſolerti ſtudio veſtigare conati ſunt, teſtantur id etiam quot quot hac ætate ad Æthiopes navigarunt. Neque hoc ſolemne in una Æthiopia: verum etiam in India, aliiſque tum Orientis, tum Occidentis remotiſſimis plagis, quæque torrida in Zona poſitæ ſunt. Qua in re uti modo dicebam, quam maximè admiranda opificis providentia: qui ita illarum regionum naturam conſtituit, ut aquis æſtum remittentibus, habitabiles hominibus eſſent: quod ſi ſecus inhabitabiles, ut plurimi ex antiquis arbitrati ſunt, re vera forent: uti ea ſunt, quæ perpetuo arenis ſqualent, nulliſque imbribus irrigantur. Hic Mecœnas Lælium intuens, Quid tu, inquit, ad iſtud? Et ille: Non oppedo: unum tamen eſt, quod ambigam: ſi ità, ut Parthenius dicit, ſe res haberet; Niger etiam, qui Gis veteribus dictus, omnemque ferè Æthiopiam excurrit, incrementa ſentiret; quod tamen audivi nunquam. Cui tum ego: Audivi ipſe: & ſe rem iſto modo habere, frequentes ad ea loca Luſitanorum navigationes abundè docuerunt. Eo enim tempore, quo turgeſcere Nilus incipit, ripaſque perrumpere, Gis etiam & ipſe victor ingenti exundat alveo, Heſperioſque Æthiopes, qui utramque ripam incolunt, longè, latèque perluit: quia vero gens illa non ſerit, nullum populis inundantis alvei emolumentum. Hi enim Æthiopes illi ſunt, quos antiqui Struthophagos, atque Elephantophagos vocitarunt: nam his beſtiis plerumque victitant. Aſſentior, tum ille: at qui fiat, ut eodem fermè tempore, quo pluviæ Æthiopum campos alluunt, Nilus exundet? Tum ego: Quidam ſunt, qui ex pluviis ſuperioris anni intumeſcere Nilum putaverunt: Sed id tam falſum, quàm quod maximè. Non enim fluvii grallatorio, aut teſtudineo eunt gradu: neque altero ex orbe per immenſa terrarum ſpatia decurrunt: imo adeo veloces, ut quidam à celeritate nomen obtinuere: quos inter Tigris eſt, tantæ pernicitatis, ut à ſagitta vocatus ſit: Tigrim enim Aſſyrii ſagittam vocant: poterit igitur Nilus non plurium dierum curriculo ex interiore Æthiopia in Ægyptum irrumpere, atbue exundare. Aſſentior tum Lælius: verùm quia de Tigri; ſermonem intuliſti, qui una cum Euphrate Meſopotamiam

Niger, ſeu Gis etiam exundat.

tamiam

Eodem tempore, quo Nilus, excreſcit Euphrates, non à pluviis, ſed liquatis è nivibus.

tamiam complectitur, ſine, ut te unum interrogem. Cui ego: Per me licet. Et ille: Compertum id temporis, quo Nilus excreſcit, Euphratem pariter aſſurgere, & hinc Meſopotamiam, illinc vero Syriam, Arabiamque perluere: id autem non certè à pluviis: quæ raro æſtate his locis, ex quibus Euphrates erumpit, delabuntur. Ita vero, tum ego: alia enim extumeſcentis Euphratis cauſſa, & ea, qua plerique ex noſtris maturo jam verè augentur: ſunt autem nives, quæ ex Armenicis, Mediciſque montibus Solis vi liquatæ defluunt, inque Euphratis alveum receptæ, illum ſupra ripas ire cogunt, campoſque perluere. Et ne longè exempla petamus, Ticinus, Padus, Atheſis, liquatis in Alpibus, Majo menſe nivibus, intumeſcunt. Hoc loco Mecœnas: Si cæteri fluvii reſoluta è nive ſua capiunt incrementa, cur non & Nilus? ſunt etiam in Æthiopia altiſſimi montes, ac perpetua nive candent. Cui tum ego: Augeri etiam nivibus non irem inficias, niſi id pluviis evenire compertum eſſet: At ille, multi exploratum ſe habere, ajunt, ex relatione Æthiopum, quibus utpotè indigenis potior adhibenda fides eſt: ratiſſimè admodum in Æthiopia pluere: & quæ raræ decidunt, aquas ſabuloſo ſtatim à ſolo exhauriri: arida quippè, ac ſiticuloſa tellus exiſtit. Verùm, tum ego, cùm longè, latèque Ætiopia pateat: quid quid enim ultra Ægyptum, & Numidiam terrarum eſt ad utrumque Oceanum excurrens, Æthiopiam veteres appellarunt: inde eſt ut varia in ea ſoli natura ſit: circa Libyam, atque ea loca, quæ deſerta ſunt, & unis, ut dixi, arenis ſqualent, nulli imbres: in aliis rari: at ubi Abiſſini incolunt, continuæ eo tempore pluviæ: ex his verò Nilus cum veniat, nil mirum ſi turgidus intumeſcat. Egregiè, inquit, Mecœnas: ſed quid

Cardani de Nili Incremento ſententia refellitur.

tu de Cardani placito? putat hic, ni me fallo, idcircò Nilum excreſcere, quod altius mare cum ſit, in terram influit, fluenteſque Nili aquas ſubmovet, inque fontem ire cogit: hæ hunc in modum expulſæ accumulantur, ſuperatiſque riparum objicibus exundant. Cui tum ego: Sed ſi ita: jam toto anno Nilus tumeſceret: & hyeme præcipuè, quando propter aſſiduas tempeſtates plus ſolito afflata maria turgeſcunt. Tum Lælius: Imo memini te in eo libello, qui de Mundo eſt, humilius mare, non altius terris eſſe, liquido demonſtraſſe: quod & alias memoravimus. Teneo, tum Mecœnas: At plurimi fuere, qui Oceano augeri Nilum non levibus conjecturis affirmant: ajunt enim id temporis, in quod incidit Niliaca inundatio, vehementiſſimos perflare in Oceano Etheſias: quibus impulſum mare partim per latiſſimos amnes, partim per ſecretos meatus in Zembrenſem, Zairanumque

lacus

lacus irrumpit : cogitque lacus aſſurgere : ex his verò deſcendens Nilus immenſam aquarum vim devehit: qua Ægyptum quàm latiſſimè alluit. Cui tum ego: Si ſic, jam altiùs aſſurgere Oceanum neceſſe erit; quod minimè dandum demonſtratum eſt : prætcrea jam compertum eſt, non ex Lunæ montibus, perque eos lacus Nilum deſcendere, qui ultra Æquatorem ſunt: ſed cis eum circulum; jam illud quod ex eo exiſtebat, falſum eſſe neceſſe eſt. Intelligo, tum ille. Sed quid tu de fermento, quod obtrudere novi volunt? autumant enim omnibus penè rebus ſuum ineſſe fermentum, quo certis temporibus fermenteſcant : & eo prorſus modo, quo pinſa farina, inque panem coacta hypocauſti calore ſenſim aſſurgit, leviorque inde fermento, ac latior fit: ita Nili aquæ fermento ab nimio æſtu tepefacto, excreſcunt, exundant, Ægyptumque obruunt: quid tu, inquam, de iſtiuſmodi fermento? Cui ego: Non me latet, multa novos phyſicos dè hujuſmodi fermento, multa etiam Ægyptios fabulare: ajunt enim hi ſingulari Numinis Providentia, pridiè id: Junii ſupremum cœleſtis militiæ principem mitti : cujus eo tempore feſtum Ægyptii agunt: eumque neſcio quo rore Nilum imbuere: imbutumq; mox fermenteſcere, atq; exundare. Sunt verò inter eos ſapientiores quidam, qui circiter Auroram ejus diei, qui XIV. eſt à Kal. Jul. rorem quendam depluere arbitrantur : eoque corrumpi Nili aquas, ſenſimque vireſcere, paluſtrium in morem: atque iſto modo excreſcere, effundi, atque obruere univerſa: compertumque addunt id temporis fluvii aquas minimè potabiles, nec ſanas eſſe: at illud mirum oppido, eodem ſcilicet rore, quo inſici Nilum fabulantur, purgari aërem, vitiumque omne exuere. Ipſe, ut latinè dicam, quod ſentio: ſicuti plurimis ſubeſſe rebus fermenti vim non negaverim; ita uni Nilo, vel alteri ineſſe fluvio, haud equidem concedo: cur non alii amnes eamdem vim ſortiti? cur non reliquis aquis eadem facultas? laborent quamvis, nunquam rei cauſſam producent. De rore autem, quem depluere Ægyptii comminiſcuntur, ex eo ortum duco, inque vulgus mox emanaſſe; quod ſimilem Hebreis prodigio cecidiſſe cœlo rorem acceperint. Intelligo tum Mecœnas: & veriſimile quidem illud. At Lælius: Sed quid de Iſidis lacrymis? nam ni fallor, ex hujus fletu Oſirim deplorantis excreſcere Nilum, veteres tradiderunt. Cui Mecœnas: Iſta inter Poëtarum, gentiumque deliria collocanda: quo loco Lacteam ceĺi ſemitam ex Junonis lacte ortam, aliaq; hujuſcemodi ponimus. Atq; hæc cum dicerentur, adeſt convivii magiſter, monetq; omnia in promptu eſſe: illicò igitur aſſurgentes diſputationi finem fecimus.

Nec non eorum opinio, qui fermento neſcio cui inundantiam aquarum tribuunt.

An à rore Nilus excreſcat?

CAPUT UNDECIMUM.

De Nili Fontibus, & à quibus detecti.

De Nili Fontibus diſſeritur, & quando detecti.

POſteaquam pranſi diem diffidimus, in aulæ projectum, ex quo pulcherrimus ad mare proſpectus erat, convenimus: quo in loco ſimul ac ſedimus, Quoniam, inquit Mecœnas, de Nili fontibus ſermo incidit, jubeat, quæſo, de his diſſerere: & quo tempore, & à quibus tandem detecti, quoque in loco poſiti enarrare. Cui ego: Veniam, quo jubes: ut verò rem ordiar, ut dicitur ab ovo, ſcias velim ultra Æquidialem circulum, qui medius terras interſecat, ad partes latitudinis Auſtralis, ut Geographi dicunt, duodeviceſimas, altiſſimos montes eſſe, quos à Luna, quam ſummis jugis contingere videntur, nomine donarunt: ex his nonnulli Nilum deſcendere tradiderunt: ad partes autem decimasquintas gemini, ac vaſtiſſimi lacus ſunt: eoſque eſſe quidam opinati, quos Orientalem, Occidentalemque paludem Ptolomæus appellavit: perque occidentalem, qui media inſula, duas in partes finditur, Nilum præterfluere, putaverunt: qui mox tranſmiſſo Æquatore in exteriorem Æthiopiam invehitur: qua longo tractu perluſtrata, in Æthiopicos montes deducitur: ex quibus mox præcipitatur, inque Ægyptum deſcendit: atque hæc potior de Nili origine ſuperioribus ſeculis ſententia fuit: nam antiquiſſimi ignorarunt, quo ex fonte tam celeber fama fluvius oriretur: atque hinc cœlo caput condere poëtæ ſuo more fabulati. Etenim, quod Juba Rex ſcripſit, naſci nimirum eum ex quodam lacu interioris Mauritaniæ, quem Nilidem vocat, falſum omninò: nec probabile Nilum ex Euphrate per ſubterraneos ductus in Æthiopiam irrumpere, ut alii cenſuère. Verùm ut ad rem propius accedam, ajo ſuperiore ſeculo, anno MDCXVII. conceſſum id nobis, quod non Seſoſtris, non Ptolomæus Philadelphus Ægypti Reges: non Cyrus, & Cambyſes Perſarum: non C. Julius Dictator, non Nero Romanorum Imperatores, aſſequi tantis opibus, tantiſque conatibus potuerunt. Duce igitur Æthiopum Rege, quem noſtri Presbyterum Joannem appellant, comite Petro Pays Luſitano ex noſtra Societate, itum eſt X. Kal. Majas prædicti anni exploratum Nili fontes: habitumque iter toto cum exercitu: quo militari apparatu Æthiopum Rex iter facere conſuevit. Eſt in media Æthiopia, quæ Abiſſinorum Regi, qui potentiſſimus inter Æthiopes habetur, Regnum quam ampliſſimum *Gojam* incolæ nun-

Veterum opiniones.

P. Pays S. J. Nili Fontes exploravit, invenitque.

nuncupant: in quo *Agoi* populi, & regiuncula *Tonkova* barbaris vocitata: in hac altiſſimus mons ſurgit, cujus in vertice lata planities, quæ editioribus circum jugis præcingitur: in hac planitie gemini fontes rotundi, latique palmos quatuor viſuntur, quorum aqua levis perlucida, guſtuique gratiſſima: eos Nili oculos incolæ indigetant: non autem in ea planitie ſcaturiunt, ſed in declivi montis dorſo: ſuperiorum fontium quanta profunditas non ſatis perſpectum: nam cum longiſſimo haſtili primi, qui ad Occidentem eſt altitudinem metiri Petrus vellet, in arbores in fundo enatas, ſive in concavo rupium, offendit: Secundi, qui ad Orientem vergit, diſtatque à primo jactu lapidis, ne duobus complicatis haſtilibus reperire potuit. Apud incolas ea invaluit opinio, omnem latè montem aquis repletum: idque ut confirment, ajunt, omnem circum fontes terram nutare, ac tremere: & quamvis ex inferiori fonte continuo, magnoque impetu aqua erumpat, tamen ſuperiores, quæ in planitie ſunt, eandem ſervant altitudinem, neque unquam decreſcunt: imo etiam notatum, eo anno frequentius, ac terribilus tremere, quo uberiores pluviæ, minus verò cum rariores. Ex inferiori igitur clivo Nilus ſcatet; in quem alius ex vicina valle influit: qui & ipſe eodem ex fonte per occultos terræ meatus erumpere creditur. Ortus igitur è ſuo fonte, auctuſque Nilus tanto in Orientem ſpatio excurrit, quantus majoris tormenti jactus eſt: mox ſeptentriones reflexus petit: in ipſo autem flexu labentem è vicinis ſcopulis rivum excipit: geminos deinde alios, ex Orientis plaga, editiſque è rupibus decidentes admittit. His verò, aliiſque torrentibus adauctus, major fluit, Niliquc jam præ ſe ſpeciem gerit: quem à magnitudine *Abanin*, fluviorum ſcilicet patrem Æthiopes appellant. Poſtquam autem unius diei itinere, valles, campoſque emenſus præterluit, juſtum amnem, cui *Lamæ* nomen, in ſocietatem aſciſcit. Mox fontem verſus retortus in Occidentem parva intercapedine defluit: ſtatimque in Orientem converſus, in ſubjectum, ingentemque lacum effunditur: quo loci prima Nili catadupa, quam cataractam pariter nuncupamus. Hoc loco Lælius: Patiare, quæſo, inquit, ut te unum interrogem. Cui ego: effare. Et ille: undenam dictæ Nili catadupæ? Tum ego; κατᾳδȣπέω reſono, ſive reclamo latinè ſonat: hinc κατάδȣπή fragor, & clamor eſt, quia vero iis in locis, dum ſe Nilus præcipitat, magnum fragorem edit, catadupæ ea loca dicta, atque Cataractæ, καταράττω enim, cum impetu, ſtrepituque decido ſignificat: atque hinc in urbibus hæ portæ, quæ ex alto illico demittuntur, ad hoſtium inſidias propulſandas

Nili oculi.

Nilus Abanin dictus.

Nili Catadupæ.

cataractæ etiam vocitantur . Intelligo , tum Lælius perge porro: res enim tum mihi, tum Mecœnati accidit quam per jucunda. Tum ego: Atque audite. Lacum igitur ingreſſus, *Bedum* barbaris dictum, tam rapido per eum curſu fugit, ut facilè illius aquas à paluſtribus diſcernas : in quibus purus mox, putusque egreſſus Meridiem verſus recurrit, *Alatæque* campos alluit : ex quibus per prærupta montium irrumpens ex ſecunda catadupa precipitatur, altitudine cubitorum XIV. fragore tam vehementi, ut ad X. millia paſſuum exaudiatur. Hic Lælius : Mirum oppidò tam vaſtum fragorem edi , ut tanto è ſpatio percipiatur : non igitur tota poëtica illa tua hyperbole, quam habes Naut. VII.

Se velut ex alto cum Nilus Atlante refudit
Subjectos latè in campos, plangitque profundas
Ingenti valles ſonitu, quo tota remugit
Thebais, Ægyptuſque, atque æſtiferi Garamantes.

Cui ego : Atqui audi modo ; neque verſibus iſtis moram innectas. Non longè inter duas rupes veluti abſortus interlabitur : ut illum ſpectare vix poſſis : rupes adeo inter ſe propinquæ, ut Æthiopum Rex pontem inter eas ſterni juſſerit ; ut univerſus exercitus transduceretur . Tandem ex anguſtiis illis victor emergens , flexoque in Orientem curſu plurima regna , provinciaſque fluctibus irrigat , ac fæcundat : mox *Gaſatibus*, *Bizamiiſque* perlutis, in Boream contendit ; non longè ab origine primævi fontis pertranſiens, Nubiam ingreditur, Maroën inſulam, in duos ramos partitus , alveum efficit : per difficiles hinc aditus , ac prærupta loca conniſus ad Æthiopicos montes evadit : è quibus horrendo ſtrepitu delapſus, in Ægyptum deſcendit: atque hic celebres apud veteres Nili catadupæ : quas juxtà habitantes ob continuos fragores præcipitantium aquarum ſurdaſtros eſſe perhibent . Hæc autem ſunt, quæ de Nili origine pro certo , exploratoque cenſeri debent : ni velimus hominum fidem funditus evertere: quo neſcio quid abſurdius dici poſſit . Egregiè, tum Mecœnas: qui, poſtquam multa alia diſſervimus, illud poëtæ repetens:

Claudite jam rivos pueri, ſat prata biberunt.

nos benevolè dimiſit.

VERIS

VERIS HERCULANI

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Dum apud Mecœnatem otioſi ſedemus ſuſceptum Babylonia Arſinoen iter, quæque in via cum prædonibus acciderunt, enarrata.

POST rigidiſſimos Boreæ flatus, qui triduò nubilus deſævierat, pacata tandem ſerenitas, quæ nocturni indoles Aquilonis eſt, effulſerat: & quoniam in vacationis diem placidiſſima cœli temperies inciderat, haud prætermittendam apricandi occaſionem duxi. Accito igitur Lælio, quem mihi ſuaviſſimi mores, ac juvenilis ſimplicitas, miraque diſcendi cupiditas arctiùs in dies adſtringebant; Eamus, inquam ad Mecœnatem, qui certè hac die tàm lepida, quàm [quæ] maximè, nos ad geniale colloquium expectat. Placet, tum Lælius, ſed de ciſio nulli negotium datum. Cui tum ego: Mittam ad proximum amicum C. Manium, ut ſuum nobis hac die commodet: nec dubito quin illicò miſſurus ſit: ſcio quippè quam perurbanus ſit, & quanto me amore complexatur. Hæc inter adeſt Sextus Niger, adoleſcens, & ipſe mihi ob egregiam indolem perquam charus: & quid

quid meditemur? interrogat. Cui ego: De comparando ciſio, quo ad Mecœnatem veheremur. Tum ille: Si me in ſocietatem aſciſcitis, offeram ego currum, qui quidem in promptu eſt. Cui Lælius: Quis tibi, Sexte, commodavit? Cui Sextus: Mecœnas veſter: cui ego etiam non tantùm notus, ſed & percharus ſum. Sæpè enim ſuperiore anno illum cum Parthenio conveni. Tum ego ad Sextum: Næ tu verſutus: illum ad nos Mecœnas, ut ad ſe pergeremus, haud dubio miſit. Ita verò, tum Sextus, non inficior: nam tu peracutus, ſemper, ut ſoles, rem acu tangis: dum enim in periſtylio deambularem, me auriga convenit, & ſi tu domi eſſes, perquiſivit. Cui ego: Eſt, inquam: præſtolare hic tantiſper, dum eum tibi acceſſam: neque omittendam occaſiunculam putavi conveniendi hominem officioſiſſimum: arbitrabar enim me tibi ſocium futurum. Benè eſt, tum ego: in te quando ſors cecidit, nolo te honeſta voluptate fraudare: eamus una cum Lælio: haud equidem grave Mecœnati erit, cujus tanta humanitas, tanta munificentia, ut paucos admodum æquales habeat: impetrata mox à præfecto abeundi facultate, diſcedimus, inque Barnenſes Mecœnatis ædes proficiſcimur. Quò cum pervenimus, nos Mecœnas, qui pro foribus apricabatur, benevolentiſſimè excepit: ac ſingulari humanitate Sextum complexus eſt. Et cur, inquit, tam raro tui mihi copiam facis? neſcis quanto te ego ſtudio, quanto amore proſequar? certè quidem nihil antiquiùs habui, quam tibi, non ſecus, ac Parthenio, Lælioque inſervire. Cui Sextus: Scio quippè tua in me, ac ſocios officia conſtare: quibus ne frequentiùs uterer, ſtudia, quibus operam navo, aliæque curæ in cauſſa ſunt: gratias nihilominus ago quammaximas, & habere etiam vellem, ſi poſſem. Atque hæc ubi dicta, in hortum ingredimur: ſeſſumque in Xyſto eſt. Vix dum ſedimus, cùm Mecœnas me intuens: Quid expectem? intelligis: Cui ego: Planè intelligo, & paratus ad rem veni: agite igitur, animumque advertite. Et ille: Perpurgatas tibi aures, animumque attentiſſimum commodamus: effare, ut tandem tuæ peregrinationis finem teneamus. Tum ego: Perpurgatas quando mi aures, animumque attentiſſimo commodatis, faciam quod jubetis. Verum adeo prolixa res eſt, ut vix poſt multos dies ad umbilicum venire liceat: dicam tamen, quod potero. Dum nos ad viſendas Pyramides accingimur, adeſt Arabs quidam ex ijs, qui Camelos locare ſolent, admonetque Achmetidem eſſe quoſdam homines Europæos, qui in Arabiam iter adornabant, ſi uti occaſione vellet, in craſtinum diem omnia in promptu eſſe oportere, ſe nobis camelos

melos præ cæteris optimos, ac curſorios locaturum. Quod cum mihi ille ſignificaſſet, ampleċtendam occaſionem duxi, inque diem craſtini adornari profeċtionem jubeo. Mox Britannum veterem amicum convenio, deque itinere capeſſendo edoceo: ille vix paſſus me ab ſe divelli, omnia proſpera precatus: ſeque expeċtaturum me redeuntem Canopico in oſtio, vel certè Alexandriæ ſpopondit. Ubi verò manè illuxit, nos ſtatim itineri committimus. Erant in comitatu Galli quatuor gladiis, æreisque ſiſtulis armati, duo Itali ex Etruria, & ipſi enſe, & minori ſclopo muniti; duo Æthiopes ex iis, qui Chriſtiani ſunt, Abiſſinorumque Regi parent, & arcu, & patrio acinace præcinċti, quo paratu ipſe etiam Achmetides fulgebat; ego ſyphunculum cum pugione à Britanno acceptum, ferebam. Arabes camelarii majoribus cultris, gravibusque baculis non minus beſtiis, quam hominibus terribiles. Hic Sextus Niger, cui ad jocos promptum ingenium erat, Satis, inquit, armorum, ut juſtus exercitus videri poſſet: ſed neſcio an tantum etiam animorum? Cui ego: Animoſiſſimus quiſque erat, & ſi res poſtulaſſet, pugnaturus egregiè: & certè nemo nobis, aperto Marte, injuriam intuliſſet: ab inſidiis timebamus, quibus Arabes prædones viatores adoriuntur.

Poſtea verò quam in unum, ut condiċtum erat, convenimus, illicò in viam nos dedimus, ut verò res benè flueret, à Superis exorſi ſumus, precesque, quas recitari mos eſt, læti decantavimus. Vix M. paſſus ab urbe confeceramus, cum nos concitatiſſimo equo, quo ferebatur, Turca quidam aſſecutus eſt: rogatque, ut in ſocietatem admitteretur: neque id nobis, niſi commodo futurum: ſe Europæorum, quibuſcum plurimos annos Alexandriæ vixerat, eſſe amantiſſimum: hoc autem Gallis, Gallico ſermone, ſignificabat: cum his enim hominibus verſatum ſe dicebat: & quorum tùm linguæ commercio, ut ſæpè fit, benevolentiam conciliavit: quocirca admitti hominem Galli cenſebant, inq; eorum ſententiam reliqui deſcendebant: ajebantque futurum viæ præſidium: cum enim Turcarum, penès quos imperium, multum apud gentes illas authoritas valeat, tutos nos ſub illius duċtu fore arbitrabantur. At ego, quaſi divinus mihi animus, negabam expedire: idq; mecum Achmetides cenſebat. Prævaluit tamen reliquorum ſententia, inque ſocietatem viæ aſcitus eſt: imò & dux itineris conſtitutus. Hoc igitur duce lupo, læti omnes, me ſolo, atque etiam Achemetide, cui anceps animus, exceptis, iter corripimus. Ad meridiem properante jam Sole, in dirutas quaſdam ædes perventum eſt. Hic morari tantiſper, & brevi prandio tum ho-

Dum iter Arſinoen haberet Auċtor cum quibuſdam Europæis, ſe ſe Turca quidam ſimulata amicitia eis adjungit, ut perderet.

hominum, tum jumentorum refici vires viſum eſt. Dum autem cæteri quieſcerent, ego in vicinum tumulum conſcendo, ut omnem circa regionem perluſtrarem, cumque oculos circum verto, video Turcam equo inſcenſo, quaſi explorare viam vellet, quod Gallis ut omnem ab ſe ſuſpicionem amoliretur, facturum ſpoponderat, ad D. paſſus procurriſſe: cumque mox curſum inhibuiſſet, viſus mihi cum duobus aliis equitibus miſcere colloquium: & quaſi teſſera data, ad nos redire. Id ego non boni conſulens Achmetidem accerſo, illique rem ad aures committo: qui mox ad cæteros retulit. At illi, ſive fato, ſive nimia fiducia, in ſuſpicionem adduci minimè potuerunt, ut ſubeſſe fraudem intelligerent. Sed conſcenſis illico camelis, iter aggredimur: cum autem ad dexteram ire Camelarii occupaſſent, exclamat, Turca: Ad ſiniſtram, qua parte ipſe præcurrerat: tutius illac, ac brevius iter fore: quod quidem manifeſtiſſimum mihi fraudis indicium fuit. At quia reliqui fidendum homini ajebant, Turcam ſequi placuit: inque ſiniſtram convertimur, reclamantibus identidem Camelariis. Tandem inclinante ſe die, in villam quandam devenimus: hic Turca in diruta quadam taberna, quæ ictu ſclopi aberat à villa, conſiſtere juſſit: idque ſuadebat tum putei commoditate, tum conſuetudine cæterorum viatorum: qui in ea ſubſiſtere ſolitabant: haud mora interpoſita, in tabernam cuncti ſuccedimus.

Tum me Achmetides vocans, Eamus, inquit, in proximam villam, non lætam futuram hanc noctem, mens augurat. Eamus, tum ego: Salutemque in tuto collocemus: nam & mihi pariter non hilaris eſt animus: qui præſagus ſæpè mali, neſcio qua fati ſpecie obumbratur: cum verò nos cæteri diſcedere animadverterent, quò rogant? Quibus ego: Viſuri villam, in qua neſcio, quæ rudera antiquitatis, quibus luſtratis, redibimus illicò. Ut venimus in Ægyptium hominem ex antiquiſſimis terræ incolis, quos *Coſtos* dicunt, ex corrupta voce *Cuptios*, qua olim Ægyptus appellabatur, incidimus: illum vero bonus quidam genius noſtri miſeratus, obviam miſit: hic Achmetidem rogat, quò iremus? Et ille: Arſinoen. Cui tum Ægyptius: At non hæc Arſinoen via ducit. Soline? Cui Achmetides. Minimè, ſed plures alii in comitatu, qui proxima in taberna conſederunt. Tum Ægyptius: Proxima in taberna: nimirum in latronum ſpelunca: timeo vobis ne quid ſtruatur mali. Nam Turca quidam non multis ab hinc diebus, cum quibuſdam Armenis, ac Perſis ſe ducem præbuiſſet, omnes noctu ſpoliavit, plagis etiam inflictis. Quod cum mihi Achmetides ſignifica-

Ex inſidiis penè divinitus liberatus.

ret:

ret: nam uterque Arabicè loquebantur: Divinavi, inquam ego. Haud equidem in infamem illam me ſpecum reducam: non fruſtra turbata nobis mens erat; ut quæ imminentem jam iam calamitatem prævidebat: non faciam, ut nos fruſtra admonuiſſe Superi videantur. Verum initæ ſocietatis lex petit; ut illos, quæ pendeant pericula, doceamus; ne ſcilicet noſtra culpa pereant: & opem conferre tuam cum poſſis, ut aliorum incolumitati conſulas, divinum eſt. Ita verò, tum Achmetides: verùm hanc ego provinciam ſuſcipiam: mox huc cum faſce, ſi fidem mihi neutiquam habituri ſunt, illicò revertar: nos autem, ut ad ſe diverteremus, Ægyptius rogat: in villa plures eſſe, qui nos ab injuria vindicare potuiſſent. Dum igitur Achmetides ad ſocios pergit, ego Ægyptium ſecutus, in proximam caſam me confero, anceps̓que animi plurima mecum volutabam, & quam in partem penderet animus, obſervabam: ut eam tutius ſequerer: ſunt enim in nobis quædam divinitatis ſemina, quibus quid magis conveniat, quidque futurum ſit, præſentimus. Solida poſt hora ſe noſtro cum faſce Achmetides reduxit: quem ſtatim quid egiſſet? interrogo. Et ille: Riſere, inquit, ſimplicitatem noſtram: illudque Ægyptii commentum eſſe, ut ſic pro locato hoſpitio à nobis pecuniam extorqueret: imo ab hoc potiùs, quam ab illo fraudem timendam eſſe: ſinceros Turcas, Ægyptios verò, atq; Arabes bilinques, atque infidos ſemper habitos: ac proindè rebus noſtris maturè conſuleremus. Hic ego rurſus verſare animo, ne Carybdim, ut dicitur, vitare cupiens in Scyllam inciderem: at cum in Ægyptium penderet animus: minusque ab illo periculum futurum habitato in loco, quam à Turca in deſerto: in quo ex furtivo colloquio ſuſpicio inerat, & urbana fraude inſtructus videbatur; idcirco inſiſtere jam capto conſilio viſum eſt. Verum ille me ſcrupulus torquebat, ne Turca, quem in ſuſpicionem ſociis adduxeram, non minus vindictæ, quam auri cupidus, in villam, in qua pauciſſimæ admodum caſæ, ſive potiùs tuguria erant, irrumperet, nosque eò crudeliùs perderet, quò ira, cupiditateque impotentiùs aggrederetur: quapropter meum hunc timorem ad Ægyptium defero. Et ille: Quieſcite, inquit; ego vos iſto timore, ſolicitudineque eximam: eſt hic in altero villæ receſſu turris pervetuſta, in quam ſolemus cum prædones ſuperveniunt, confugere: in illam nos clam recipiemus, ſubductoque ponte, tam ſecuri erimus, quam qui maximè: quod mihi optimum factu viſum eſt. Poſtquam igitur frugi cœnula corpora curavimus, clanculum in turrim ſecedimus, ſubductoque ponte, cataractaque demiſſa,

Ægyptii, Arabesque infidi.

quieti nos dedimus. Et quamvis Ægyptius profundè indormiret, Achmetides dormitaret, ego vix conciliare oculis ſomnum quivi. Nam magna animi perturbatio, magnus timor non cedit ſomno locum: nec quieſcere mens poteſt, quam magni æſtus exagitant: illi nihil habebant, quod perderent; inque patrio ſolo erant: ego in barbaro, & omnia cum ſalute amiſſurus. Credo equidem, tum Mecœnas, ſed quid de ſociis factum? Cui ego: Iſtuc ibam. Prima vigilia, cum omnes graviſſimo ſomno correpti jacerent, præter Turcam, qui prædones præſtolabatur; adfuere ex condicto ſex Arabes ex iis, qui prædatu victitant: ſtatim à Turca admiſſi, in dormientes manus injiciunt, detractisque armis, quidquid pretioſi erat, vectarique poterat, ſubripiunt. Quia verò duo ex Gallis præ cæteris animoſiores nudo enſe reſiſtere conati ſunt, multitudine oppreſſi, ac duobus ictibus vulnerati cedere prædonibus coacti: qui ſtatim ad villam veniunt, inque Ægyptii domum irrumpunt; quam cum vacuam reperiſſent, tota villa diſcurrunt de nobis quæritantes: interim magnus exortus clamor, cunctique pagani ad arma concurrunt, inque Arabes impetum faciunt. Duo capti, reliqui cum Turca relictis armis, quæque abſtulerant, aufugere. Quid tu interea? inquit Sextus: num prodiiſti cum tuo illo ſyphunculo? Prodiit Ægyptius cum Achmetide, re jam confecta, ego ad faſces ſubſtiti. Conſultò tu quidem, Sextus: ego certè prodiiſſem cum illo ſyphunculo. Cui ego extra aciem omnes ſumus Hercules, cum vero periculum incumbit, quiſque ſe ſubducit. Ita eſt, tum Mecœnas: multi glorioſi in urbe milites, ut Plautinus ille: qui mox in conflictu ignavi ſunt: verùm Sextus, cui lepidiſſimum ingenium, jocatur, cæteroqui idem præmium certantes, & ad certantium vaſa ſubſiſtentes manet. Sed quid tum poſtea? nam mirum oppido tuum iſtud iter, ac paradoxo ſimile. Cui ego: Accipe: primùm ad ſocios ire placuit, ut quid de illis factum eſſet, intelligeremus: & primos obviam camelarios habuimus: ex quibus omnem tragœdiam paucis cognovimus: deindè tabernam ingreſſi, deſtitutos tum conſilio, tum viribus ſocios invenimus: ex quibus ſenior Etruſcorum: Divinus certè tibi erat animus: utinam illius inſtinctum ſecuti eſſemus omnes: haud equidem in præſentem calamitatem volentes incidiſſemus: verùm ita fato hominum comparatum eſt, ut non niſi ſerò ſapiant: & tunc eos facti pœniteat, cum nullus pœnitentiæ fructus exiſtit. Tum ego: Bono eos animo eſſe jubeo: ex prædonibus duos captos, recepta arma, quibus ſe in poſterum defendant: ſalvum viaticum, & camelos, quibus ſaltem redire

dire Babyloniam quiremus. At illi pecuniam, aliaque pretioſa, quibus nullum præſentius viaticum deflebant: & ſociorum etiam vulnera non levis dolor, luctusq; erant. Quæ dum inſpicimus, atque attrectamus, non ea lethalia eſſe deprendimus: quocirca reſumptis animis, balſamo quodam illita alligavimus: mox ad capeſſendum de re conſilium convertimur. Cuncti redeundum Babyloniam cenſebant: haud tutum ſine pecunia iter, & duobus ægris ex vulnere: Ægyptius, ut inſequeremur prædones, hortabatur: ſe cum expeditis paganorum in auxilium futurum: quod quidem conſilium cum ſpem recuperandæ pecuniæ oſtentaret, amplexum ſtatis ab univerſis fuit: nullum quippè periculum, in quod auri ſpes non irrumpat. Quibus ego. Etſi optimum videretur, prædones illicò veſtigare, illatamque injuriam forti animo vindicare: verum qua parte aufugerint, quiſnam divinet? quis velociſſimos Arabum equos aſſequatur? At illi: Nihil cunctandum eſſe, quodque in eorum poteſtate eſſet, confeſtim conari oportere: reliqua fortunæ committenda: quæ audaces, ſubitosque auſus fovere, ac fortunare plerumque ſolet. Hoc loco me Lælius interpellat: At non egregiè illi cenſebant? habes enim tu in Bellicis:

Odit enim Fortuna moras; quæ præpete ſemper
Itque, reditque rota, & neſcit conſiſtere eodem.

Cui ego: Rectè autumas: ſed audi modo. Nihil moræ factum, Ægyptioque duce, in meridiem magno curſu itum eſt. Vix tria paſſuum millia exhauſeramus, cum in antiquam caſam, ac ſemirutam perventum eſt: in quam ſe prædones receperant: inter quos cum diù de dividenda præda diſceptatum; quoniam plus juſto majorem ſibi Turca vindicabat, cæteri Arabes, quos ſociorum captura exacerbaverat, id indignè ferentes, illum, ut ſunt ad rixas, & ultionem prompti, ſpiculis continuo adorſi ſunt: qui patrio, quem gerebat, acinace ſe acerrimè defendit, nec priùs cecidit, quam duos graviter vulneraſſet: reliqui dum ſocios curant à nobis circumveniuntur: & tam ſubito, ut fugere minimè potuerint: comprehenſi igitur, omnis pecunia, quæque alia ſubripuerant, recepta: magnoque cum gaudio villam repetivimus. Hic autem orta cum paganis ſtatim lis eſt: Si quidem dimidium eorum, quæ receperamus, ſibi dari poſtulabant: nec id quidem injuria: noſtri negabant: tandem, Ægyptio procurante, compoſita eſt controverſia, trienſque paganis datus. Ego cùm plurimum Ægyptio non hoſpiti tantùm, verum etiam ſervatori, debere intelligerem, multam ei pecuniam obtuli: utque veniam daret, ſi majorem non offerrem, rogavi: nam mihi in externo ſolo non licebat, ea

ipſum munificentia complecti, qua ob acceptum tam illuſtre beneficium debuiſſem . Negavit ille ſe pecuniam accepturum: quod erga nos feciſſet, debitum hoſpitibus eſſe: idque tum divina, tum humana jura poſtulare: imò turpe eſſe, & diris omnibus execrandum, ex aliorum miſeriis quęſtum quærere. Ad rem ego tam inſolitam, quam nullo modo à barbaro expectaſſem, tanto ſtupore perculſus ſum, ut vix mihi crederem: uſque adeò verum, haud miſericordiæ, atque humanitatis ſenſum in eo deſiderari, in quo bonam natura indolem collocaſſet. Hoc loco Mecœnas. Admiror ſanè barbari hominis generoſitatem, ſed quid ego barbarum eum voco, cui tanta in hoſpitem, eumque ignotum benevolentia, tanta humanitas fuit? Nullum oppidò cœlum eſt, in quo hominum natura omninò degeneret, quæ ad mutuam ſocietatem, ac benevolentiam homines fecit. Ità verò, tum Lælius: neque qui barbaro in ſolo nati ſunt, ſtatim barbari pronunciandi, cum etiam inter barbaros mitia ingenia educentur: quæ interdum prava indole prævalente, in culto, humanoque ſolo deſiderantur. Verùm age, ſis, quid poſtea? Tum ego: Toto illo die in villa apud Ægyptium verſati, cujus tanta in univerſos officia, tanta beneficia fuere, ut nos arctiſſimè devinxerit: rogavimus ſæpè, & enixè, ut nobiſcum in Europam navigaret; haud dignum paſſi tam frugi, atque humanum hominem in penitiſſima illa barbarie degere: verùm tantus illi nativi amor ſoli, ut nullis precibus adduci potuerit, ut nos ſequeretur. Cui cùm plurimas gratias egiſſem, ſtrictiſſimè complexus ſum: annulumque, ut in fidei pignus, ac mei memoriam acciperet, vix tandem extorſi. Mox viam, cui inſiſtere, quoniam ſaucii meliùs ſe habebant, cunctis viſum erat, ingreſſi ſumus: nullaque quietis cauſſa, interpoſita mora, uſque ad veſperam iter fecimus. Erat autem iter per deſerta loca, vaſtasque ſolitudines: quæ illius deſerti partes ſunt, per quod XL. annos pervagatos Hebręos eſſe Sacræ literæ tradunt: nos quatuor diebus exhauſimus. Extabeſcente igitur die, ad locum quendam, in quo rari admodum ceſpites, ac ſicci viſebantur, conſedimus. Hic Arabes poſtquam tabernacula fixerunt, omnem circa regionem luſtrati, magnis clamoribus vociferati, ſi qui in vicinia homines eſſent, ſive nequam, ſive frugi, ad nos venirent: cæterum nos viatores eſſe, qui Arſinoen iter haberemus, cunctisque futuros innoxios. Eſt autem id ſolenne Arabibus Camelariis, ut ſingulis diebus per deſerta loca iterfacientes, poſtquam tabernacula extulerunt, immenſis circum clamoribus omnia compleant, ut de ſuo, viatorumque adventu, ipſæ ſolitudines, ipſæ feræ ſcirent:

Mira barbari generoſitas.

Arabes Camelarii per deſerta loca iter facientes, poſtquam Tabernacula extulere, clamitant quaquaverſum, ut de ſuo adventu, ſi qui ſunt in ſolitudinibus, ſiant certiores.

rent: mihi videbatur ſolenne Prœtoris edictum, & non illepidum quidem. Hic Lælius: Sed quid aliud illud erat, quam de adventu prędones certiores facere? Cui ego: Quid facias? ita apud illos moris eſt; cui ut te accomodes, neceſſe eſt. Et ille: Venere ne unquam ulli? Admodum, tum ego. Sed miſeri quidam, ac pauperes ſpiculis ex palmæ ramis, incurvisque pugionibus armati: quibus Turcæ etiam utuntur: & olim, ut refert Xenophon, & Calybes, & Lacones iis præcingebantur: cæterum nudi omnes, & tam miſerabiles viſu, ut non timorem incuterent, ſed miſericordiam excitarent; nos eos, ſtipe erogata, benevole dimiſimus. Mox ad curanda corpora converſi. Hoc loco Mecœnas: Sed qui victus in tam inculta ſolitudine eſſe ad manus poterat? Cui ego: Curatis primùm camelis, quæ præcipua Arabum cura, ex ceſpitibus ignem illicò excitarunt: atque oryzam tanta mox celeritate coxerunt, ut vix cederes: illam verò non uti noſtri, ſed patrio more, quo ferè omnes orientales populi, quibus quotidianus eſt cibus, ſolitaverunt, ſcitè adornarunt. Qua arte, tum Mecœnas: nam id ſcire operæ pretium eſt. Et ego. Singulis oryzæ ſcutellis ternas aquæ, ſive juris jam præparati, attribuunt: deindè tandiù coquunt, quo ad jus omne ebiberunt, tum butyro aſperſo, atque in lance ſatis ampla, in hypocauſto, ſive ad lentum ignem applicant: ut illo benè imbuatur: ita enim fit, ut grana diſtincta, ſapida, ac jurulenta, turgidaque miro modo proveniant: noſtri adeo excoquunt, ut mollis inſtar maſſæ fiat, qua nihil inſipidius. Divites caponino, vel vervecivo jure utuntur: Atque iſto modo in ſeceſſu Surrentino oryzam ipſe adorno: quę meo ſtomacho optimè quadrat. At Mecœnas: Sapis tu quidem certè: curabo, ut meus coquus iſtam ex te artem ediſcat. Sed age: quid tum poſtea? Cui ego, Abſoluta cœna, ad ſomnum concedimus. Quia verò timebamus, ne Arabes latrunculi noctu aliquid clam ſurriperent, per vices tota nocte vigilatum eſt: quis vero prima, quis ſecunda, quis tertia, quis tandem quarta vigilia: nam in tot partes noctem partiti, & automato horologio metiebamur, excubias ageret, militum more digitis micando ſortiti ſumus. Mihi, ſocioq; meo prima obvenit, ſecunda Etruſcis, Gallis tertia, Æthiopibus quarta. His verò vigilantibus ridiculum quid accidit, quod cunctis ſomnum tempeſtivè excuſſit. Erat inter jumenta Aſellus miræ pernicitatis, qui capiſtro excuſſo, in tentorium irrupit: tum Æthiopes rumore audito, exclamarunt, latrones adeſſe: caveret quisquis ſibi, ac ſuis: ut verò latrones perterrefacerent ſclopum explodunt: excitamur confeſtim omnes, arma capimus, & ad

Quomodo Oriza præparetur apud Orientales Populos.

Fabella ridicula.

& ad vim vi propulſandam accingimur: cùm verò in latrones irruere putaremus, in aſinum incidimus, qui ſtrepitu territus tentorium univerſum fętore turbavit: tantoq; ruditu perſtrepuit, ut omnem ſolitudinem impleverit: quo loco tantum ridere riſum cœpimus, ut nihil ſupra, lepidèque Æthiopum ignaviam carpſimus: & ut fit, rem ad jocos tranſduximus. Hic Sextus: Juvat ſeria hilaritate conſpergere: & curis cum premimur, libenter animum ad jucunda convertimus. At illud tum vobis ceſſiſſe emolumentum puto, ut maturè nimirum viam carperetis. Cui ego: Ita factum eſt, ut dicis. Benè manè onerandis camelis plurimum temporis inſumptum, quod vitium Arabibus vectoribus natura inſitum, ut nec minis, nec verberibus quidquam proficias. Mox per eandem ſolitudinem tertio jam die ire occœpimus. Qua dum vagamur, illud ego mecum animo reputabam: Eſſetne tellus alia, quæ Italiæ comparari potuiſſet: nam cum viderem Ægyptum tantis laudibus celebratam, Univerſique horreum habitam; proximamque Arabiam, cui ipſa fælicitas cognomen fecit, tantis horrere ſolitudinibus, tam incultas, nec feris habitatas, ſtatim ſic animum inducebam: nullam eſſe terram, quæ Italiæ, & præcipuè Campaniæ noſtræ præferenda videretur. Ita, Mecœnas, inquit. Tui mihi verſiculi jucundiſſimi ad unum omnes: at illi, quibus Campaniæ laudes exſequeris, mea mulſa; ut nunquam divellere è manu poſſim. Ut & illi mihi ſummoperè placent, quibus totius Italiæ laudes Maro complexus eſt: quem tu non infeliciter imitatus es. Sed de his alias, nunc ad iter veniamus. Tum ego: Inclinante ſe jam die, adventantes quoſdam è longè conſpicati ſumus: & quoniam incitato ad nos curſu feſtinabant, ſtatim arma expedivimus, eos Arabes eſſe arbitrati, nec ſanè noſtra nos opinio fefellit. Sex erant armati: Qui ut nos Europæos eſſe, & plures numero igneiſque telis munitos conſpexerunt, ſibi merito, timentes, ſi vim intuliſſent, quaſi ſocios amiſiſſent, nos rogant, num per deſertum eos vidiſſemus? Tum unus ex Camelariis: Pergite hac rectâ, inquit, non enim longè abſunt: mendacioque mendacium eluſit. Et quippè ita natura comparatum, ut deceptores iiſdem dolis capiantur, quos in alios tetenderunt: nec magis decipiatur, quàm qui alios decipere meditatur. Secuto mox die, nullos homines, nullas feras obviam habuimus, ſed immenſes campos ſqualidos, ac ſolos: quos ego videns illud Virgilii ad rem accomodatum identidem repetebam, Cœlum undique, & undiquè Campi. Tandem vergente ad veſperam die, in caſtrum quoddam pervenimus, quod *Argirudum* Turcæ, à quibus ad frænandas prædonum incurſiones,

nes,

nes, viatorumque perfugium, extructum eſt, appellant. Hic juxtà muros tabernaculum conſpicati, accedimus, & qui mortalium eſſent, interrogamus? Reſponſum quatuor Europæos eſſe, qui voti cauſſa, in Sinam proficiſcebantur. Ego ſtatim homines convenio: cumque ex oris lineamentis Italos eſſe agnoviſſem: ex qua provincia forent, inquiro. Et illi Veneta, inquiunt: cumque ego multa de illis, multa illi de me rogitaſſent, illicò amicitiam inivimus. Ita enim hominum genius eſt, ut ſi qui populares ſibi obviam apud exteras gentes, alienoque in ſolo occurrant, facilè in familiaritatem coëant: & ejuſdem linguæ commercium, maximum ſocietatis vinculum eſt. Quibus cum dum de itinere mentionem facimus, opportuniùs, inquiunt, ſi priùs ad Sinam Montem eamus, rebuſque ſacris ex voto peractis, Arſinoen deinde, rubrumque mare deſcendamus. Quod ego conſilium, cum ad Achmetidem detuliſſem, probavit ille: probavere etiam Æthiopes: qui etiam ex voto in Sinam properabant. At reliqui, qui negotiorum cauſſa Arſinoen petebant, neutiquam probavere. Quocirca ita tandem inter nos conſtitutum, ut ipſi Arſinoen iter continuarent, nos in Sinam deflecteremus: quo luſtrato, eos Arſinoæ nos conventuros; uti una, ut cœperamus, Babyloniam rediremus: Vix dum hæc enerraveram, cum adfuit ephebus: monuitque prandium moram non pati, iremus illico, ni cuncta corrumpi vellemus; quo audito, Surgamus, inquit Mecœnas: à prandio quod ſupereſt recitabis: nec mora, ad menſam itum eſt.

CAPUT SECUNDUM.

A prandio incœpta narratio continuata: quæque in Sina Monte viſa diſtinctè relata.

SEcundis poſtquam menſis modus factus eſt, lotiſque manibus, mantilia famuli extulerunt, Age, inquit Mecœnas, & licet paſto tibi verba facere grave futurum ſit; quia tamen nobis omni prandio tuus ſermo ſuavior, ea nobis ediſſere, quæ tibi mox acciderunt: atque iſtam gratiam nobis totam facies. Cui tum ego: Faciam libentiſſimè: & jucundiſſimum mihi erit, quod tibi placitum. Verùm officiis prætermiſſis, ad rem venio. Poſtquam una cum Venetis, atque Æthiopibus antiquis ſociis, in Sinam ire conſtitui, ad caſtrum viſendi gratia unà cum Achmetide me confero: obvios confeſtim duos milites Turcas habemus: qui nos perhumaniter, quod ne à noſtris quidem expectaſſem, excepe-

runt,

runt, atque intra vallum admiſerunt: cæterum caſtrum pro eo loco, & ad prædonum excurſiones prohibendas, ſatis validum: apud nos ne ratio quidem illius haberetur: in eo pauci admodum præſidiarii, & malè incincti: quibus miniſtrorum, ut plerumque cadit, avaritia, vix neceſſaria ſuppeditantur, quæ ob deſerti ſterilitatem Babylonia mittuntur: vix ſatis aquæ habebant: & narrabant plerique, qui multa eo loci ſtipendia meruerant, nunquam ſe pluviam vidiſſe: quæ quidem potior ſterilitatis cauſſa eſt: cum cæteroqui tellus non omninò inepta ad ferendas fruges videatur: non enim arena, non tophus, argillave: ſed talis, qualem noſtris in regionibus habemus. Tandem gratiis præfecto habitis, & Nicotiana herba, de qua nos rogaverat, donato, datoque militibus præmio, in tabernaculum redivimus.

Manè tardiuſculè ob intolerabiles Arabum moras, qui onerandis, atque exonerandis Camelis totum penè diem inſumunt, iter aggreſſi ſumus. Ne verò cogeremur beſtiis onerandis reliquum diei perdere, iter etiam poſt meridiem continuavimus, quod mihi propter nimios æſtus magni plenum faſtidii, tædiique erat. Atque hunc in modum iter facientes, Moyſis fontes, extabeſcente jam die, ſalutavimus. Sunt autem hi fontes ad Mare rubrum, milleque ab litore paſſus abſunt: eumque eſſe locum perhibent, in quem primùm è mari egreſſi, ſiccum Hebræi tenuerunt. Hic ego locum tot prodigiorum feracem veneratus, diù animo, oculisq; complexus ſum: præſentemque eam tanti populi multitudinem, cumque iis colloqui, eorum gaudiis intereſſe, nobile audire epinicium, quo relatam de Pharaone victoriam celebrabant, non ſine voluptate fingebam. tandem vix ab ea cogitatione divulſus, ad curanda corpora me contuli: quibus procuratis, vigilias ſolito more partiti, indormivimus. Ut vero prima ferrugine tingi cœlum incœpit, Achmetidem excito, ut camelorum cuſtodes ipſe excitaret, moneretque ut ad iter ſe cito accingerent. Interea pedes ipſe ire pergo, ut illius vecturæ tædium, quo magnoperè afficiebar, excuterem. Dum ſic ſolus progredior, miram oppidò voluptatem capiebam aſpectu illius campi, qui fruticibus quibusdam mihi incognitis, refertus erat: ex quibus pulcherrimi flores erumpebant; ut non jam Arabiæ deſertum, ſed ſtellatos Capuæ campos mihi percurrere videbar. Deindè orto jam Sole, amœniſſimus proſpectus meis ſeſe oculis obtulit: nam rareſcere jam colles, monteſque aſſurgere videbantur, totusque Erythræi ſinus in conſpectum cadebat: ultra vero mare, hi montes conſpiciebantur, qui ad Superio-

Moyſis Fontes.

rem

rem Ægyptum pertinent : & ni me fallo , hi ſunt , quos Alebaſtri montes vocant : inter quos ad occidentem Solem ingentem vallem ſpectabam : ex qua perhibent egreſſos Hebræos , eoſque , Pharaone inſequente , Mare rubrum ingreſſos . Hoc loco Lælius qui nonnihil in Sacris literis verſatus erat : At ſi ita ; conſentaneum eſſet in Superiore Ægypto Hebræos habitaſſe : quibus tamen ad inhabitandum ea ab Joſepho tellus data eſt , quæ *Geſſen* dicitur, & juxta Inferiorem Ægyptum , & ſupra deſertum , per quod erraverunt, ſita eſt . Eruditè tu quidem Læli, ut ſemper, inquam ego: verùm reſponſio eſt ad manus: nimirum ex veteri ſede , in Superiorem Ægyptum, in qua Pharaonis Regia erat, translatos fuiſſe , ut arctiùs detinerentur : timebant quippè ne ex terra *Geſſen*, quæ contermina Paleſtinæ , Arabiæque erat , fugam illi moliventur : id vero ex ipſis Sacris literis conſtare manifeſtè arbitror : legimus in Exodo ad Moyſis preces Deum ex occidente validiſſimum ventum excitaſſe : quo immenſa illa locuſtarum multitudo , quas ad puniendum Pharaonem immiſerat, Rubrum in mare delata, ac ſubmerſa eſt : ex quo ſtatim illud exiſtit , Pharaonem ſcilicet, atque Hebræos in Superiore Ægypto habitaſſe , quæ cum ad occidentem Erythræi poſita, facilè occiduo vento tum in mare impelli locuſtæ potuiſſent : nam ſi in inferiori Ægypto , atque in terra *Geſſen* id temporis incoluiſſent, ſeptentrionali vento opus erat, ut in Meridiem, ad cujus plagam Erythræum jacet , locuſtæ propellerentur : imo nec Hebræis verſus mare tentare iter conceſſum fuiſſet ; quando ex terra *Geſſen* terreſtris in Arabiam , ac Paleſtinam via pateat . Hic Lælius : Aſſentior: at unus hæret adhuc animo ſcrupulus : ſi benè memini , nec oculus me mappas inſpicientem fefellit, eſt etiam juxta litus via , quam tenere Hebræi poterant , cur igitur ſe mari commiſere ? Tum ego: Non te oculus , qui eruditus, fefellit: at via illa hinc mari, montibus illinc tam brevi ſpatio arctatur, ut anguſta admodum ſit : quocirca occupari ab Ægyptiis poterat, ne illac fuga Hebræis patuiſſet: imo nec tantam multitudinem capere valuiſſet. Optimè igitur Deus populi ſui incolumitati , quem ſe brachio extento, erepturum è Pharaonis manibus profeſſus erat, inſueto illo, & numquam ſpectato prodigio providit . Sed redeamus, unde erudita hæc diſputatio nos abduxit. Ita, quæſo, tum Mecœnas: nam timeo , ut ad rei umbilicum minimè veniamus . Tum ego : Relicto ad dexteram Erythræo mari , ſiniſtra iter tenebamus per campos ſpeculari lapide, nitroque paſſim plenos ; qui Solis luce ſplendentes , non injucundam viſu ſcenam exhibebant : quibus tandem duorum

Alebaſtri Montes.

Ex Terra Geſſen ad Superiorem Ægyptum Hebræi tranſlati fuere.

rum dierum itinere emenſis, in montana loca pervenimus. Ego cum jam per colles incederem, videremque eos in altiſſimos ſenſim montes attolli, rogavi Camelorum cuſtodem, numnam Arabiam intraſſemus? quod ego ex eo conjiciebam, quod ſcirem Petræam Arabiam, non tam ab urbe Petra, quam à ſaxis, præruptiſque montibus appellatam. Intravimus, tum ille: nec longè ab his montibus patria mea eſt: ad quam divertere ipſe volebat: ſed quia longum, & perplexum iter, nec ſatis à prædonibus tutum, cuncti vitavimus. Dum igitur per montes iter habemus, ego illorum naturam indagabam, cumque fragmenta quædam excidiſſem, illius generis eſſe reperi, quod Numidicum marmor, ac Biſalten vocant, cujus magnam copiam Romani in Italiam, capta Ægypto adduxerunt: cujus etiam multæ pyramides, atque obeliſci ex eadem Ægypto advecti. Tellus verò, non aliter, ac deſertum, quod tranſmiſeramus, ſterilis ob ſaxi duritiem, vidi tamen quaſdam valles, per quas hyeme torrentes præterlabuntur, in quibus arbores aliquot, herbæque virides conſpiciebantur: eæ vero arbores, aut palmæ erant, ut illæ, quæ gummi, quod Arabicum vocant, extillant: in convallibus etiam nonnullis perennes aquas, eaſque nitidiſſimas ſumma voluptate ſpectavimus: & hæ quidem valles tam amœnæ, quam quæ noſtris etiam in locis altiſſimis arboribus opacantur. Ad harum quandam, quæ præ cæteris gratior, & veſtitu, & fonte erat, ſecundo die ex quo Arabiam intravimus, quietis cauſſa conſedimus: tum opacitate, textuque arborum, tum fonte illecti; cujus mihi aqua mirum quantum ſuo frigore, nitoreque arriſerit: tanto enim calidæ, quam toto illo itinere hauſeramus faſtidio tenebar, ut tum primùm veluti exortus ſum. Credo equidem tum Mecœnas; & ex me conjecturam facio: nam ſine gelida, nedum frigida vivere non poſſem. Cui ego: Quod de me affirmare poſſum, ità gelida nimius hypocondriorum calor attemperatur; ut facilè, ac ſine faſtidio ſtomachi cibus concoquatur: qui tepida vix tandem multis poſt horis & magni ſtomachi labore decoquitur. Eſt tamen ſervandus modus, qui ſi deſit, nihil omninò benè: nam ſi crebriùs haurias, tum præ nimio frigore nativus calor opprimitur, ac ſuffocatur: hinc crudi humores; ex quibus mox reumata, podagræ, aliique morbi oriuntur. Atque hic, in bonam partem rapias, quæſo, ſi te ego admoneam, ut ab aſſidua potione gelidæ te contineas: timeo tibi ab illa: & ut audivi, jam te podagra invaſit: quo morbo nullus nocentior. Tum ille, ut erat ingenio mitiſſimus: Gaudeo, inquit, à te admoneri, cujus plurimum apud me authoritas

Arabia Petræa undè dicta?

Servandus modus in frigido potu.

thoritas valet : ſcio quippè quo animi candore ſis , quàm acri ingenio, & quanto me amore proſequaris : curabo igitur, ut videas quanti ego tuam admonitionem faciam. Verùm redeamus ad vallem illam peramœnam, ex qua nos frigidus fons abduxit. Cui ego: Contendam illicò id efficere. Ex illa valle cum moviſſemus per duros, ac difficiles aditus iter aggreſſi : per quos ut expeditius , ac ſecurius iremus cuncti pedites incedebamus: at tanto labore, ac defatigatione, ut vix vires ſufficerent; ea tamen me cogitatione incitabam, ad Montem , in quo Deus ipſe legem ſuo populo dederat, æquum eſſe , ut ſummis laboribus , ſudoribuſque aſcenderemus: atque ita fieri etiam poſſe , ut voluntaria illa corporis caſtigatione anteactæ vitę crimina diluerem, Numiniſque mitiſſimi gratiam conſequerer : qua cogitatione unus ego cæteros erigebam , animoſque identidem excitabam.

Tandem aliquando ingenti corporum defatigatione conniſi, ad toto terrarum orbe celeberrimum D. Catharinæ Cœnobium pervenimus: cujus præ foribus, quæ occluſæ erant, non exigua Arabum turba magnis clamoribus excurſabat: univerſus enim Cœnobii fundus alto , inſtar arcis , muro concluditur : unus ex noſtris Camelariis cœpit, & ipſe inclamare ; & ut Europæis peregrinis fores recluderentur, identidem flagitabat; ſed quamvis ravim uſque ſæpius exclamaſſet , nullus tamen ad reſerandas valvas veniebat . Tum ego moræ impatiens , Achmetidem rogo , cur maturo jam die fores exteris non aperirentur ? & quæ turba illa hominum eſſet? quæ mihi omnium miſerrima, atque abjectiſſimę ſortis videbatur . Et ille : Hi Arabes , inquit , qui deſerta hæc circum loca habitant domos non habent, quorum loco montium cavernas ſubeunt : non veſtes , quibus tegantur: nam ut vides præter pudenda , quæ vel brevi panno , vel palmæ foliis obvelant, nudi incedunt: nullos campos, quos colant , obtinent ; & ſi qui perexigui inter montes jacent, quique cultui reſponderent , colere negligunt : adeo impatientes laborum ſunt: immò cunctis ſe cœli , temporumque injuriis, cunctis vitæ miſeriis volentes exponunt , dummodo otioſis eſſe liceat: at quoniam fames urget, nec habent, undè ſibi victum comparent, ad Cœnobium hoc advolant: & qua clamore, quà minis tandiù hic curſant , quoad religioſi homines, qui in eo habitant, aliquid , quo vitam tolerent, ſubminiſtrent: fores non reſerant , ne hi irrumpentes, ceù lupi famelici, in eos impetum faciant, cunctaque diripiant : verùm ex feneſtra illa , quam vides , victum in ciſtulis demittunt: quod ni faciant, fores diffringerent, cun-

D. Catherinæ Cœnobium.

ſtaque circum culta, & ad Cœnobium pertinentia pervaſtarent. Hic Sextus: Æquiſſimum poſtulant: ex his enim erogandus in pauperes victus, quibus multa ſuppetunt: & ſanè quanta in republica felicitas, ſi quibus divites abundant, in miſeros diſtribuerentur: ex illis enim luxus materia ſubtraheretur, his vero dolorum omnium, ac fraudum, quæ mala ex inopia facilè oriuntur. Cui ego: Rectè autumas: ſed næ tu Prætor, qui leges ſtatuas. At redeamus ad propoſitum. Illud ex Mahumete, quem illius Cœnobii Camelarium egiſſe plurimos annos ferunt, ortum duxiſſe perhibent. Qui mox rerum potitus, acceptique memor beneficii, juſſit univerſos Arabes, qui ea Petrææ Arabiæ deſerta colunt, religioſis illis famulari, inque omnibus, quibus eorum opera opus foret, preſto eſſe: nec quidquam pro locata opera, niſi unum victum repetere: id qua clamore, qua minis quotidie exigunt: ſervitium vix exhibent: nam ſe liberos putant; nec Turcarum quidem regi, ſub cujus ditione Arabia eſt, obſequium præſtant: vectigalia nulli pendunt; nec undè pendent, etſi velint, habent: imò ipſi à viatoribus exigunt, & ab invitis vi tollunt: perpetuò per ſolitudines vagantur: eaque ſe libertate frui jactitant, qua priſcos mortales ſub Saturno vixiſſe perhibent: aureique ſeculi reliquias dici, haberique volunt. At mihi videntur pecudum potiùs ritu, quam hominum vivere, cum humani nihil, preter externam ſpeciem: & hanc miro modo vitiatam præſeferant: uſque adeo degenerant homines, cum ſemel offuſcari ratio, depravarique mores incœperunt.

Mahometes olim Cœnobiis hujus Camelarius.

Vix hæc; cum janitor adfuit, diſtributoque Arabibus victu, cunctisque ad unum dimiſſis, nos ſollicitè introduxit: tantaque mox humanitate religioſi illi Patres nos exceperunt, ut Chriſtianam pietatem veterum temporum redolerent: ſtatimque data, atque accepta per interpretem ſalute, in Eccleſiam recta perduxerunt: qui mos apud illos ſolennis eſt: quem ego plurimum laudans illud Poëtę recitavi: Ἐκ Διὸς ἀρχόμεθα: quod Poëta noſter vertit:

Ab Jove principium Muſis, Jovis omnia plena.

Ubi verò ad Ædem, quæ in medio Cœnobio locata eſt, pervenimus, ſacrum illicò limen ingreſſi, in genua accidimus: & dum hymnos Græco ritu Cœnobitæ decantarunt, nos ſancta venerati, tantiſper oravimus. Ad Sacellum deinde, in quo D. Catharinæ Lipſana repoſita ſunt, itum eſt: ibique multis tum precibus, tum lacrymis ſacroſanctum pignus adoravimus, enixeque petivimus, ut ipſa nobis virgo omnium expiationem noxarum, auxiliumque à Deo obtineret. Hoc loco me Lælius interpellat: Ad unum ne omnes

Divam

Divam exoraſtis? nam veſtro in comitatu, quidam ſchiſmatici, quidam etiam Mahumetani erant. Cui tum ego: Cuncti oravimus; nam tum Virginem, tum locum illud tot prodigiorum refertum univerſæ fermè gentes venerationi habent. Ubi verò aſſurreximus, in Sacellum aliud poſt odæum templi ſitum, nos perductarunt: ibi ſub altari ingens ſaxum digito ſignantes. Hic, inquiunt, prodigioſus ille rubus conſitus erat, qui medio in igne intactus, atque incombuſtus à Moyſe videbatur. Saxum hoc cum Sacello D. Helena poſuit: cui deindè Juſtinianus Cæſar templum addidit, univerſumque Cœnobium, inſtar arcis, ædificavit. Poſtea verò quàm ſacra ea loca perluſtravimus, in triclinium ad menſam, quæ ingens tabula, nudata mantili erat, inducti: in qua ſtatim ſedimus, brevique cœna, ac frugali refecti ſumus. Hoc loco Sextus: Quid vobis appoſuere? Cui ego. Bina ſingulis ova, in aquam diſperſa, & pultem ex oryza butyro conditam: pro ſecundis menſis, poma quædam delicatiſſima. Tum Sextus: Satis frugaliter, & quæ longo itinere defatigatis irritare potiùs famem, quam ſedare poterant. Cui ego: At nos ea contenti menſa fuimus: eo enim loci lautiorem non ſperabamus: ſtatimque ad quietem capeſſendam conceſſimus: inductique ſinguli in ſingulas cellas: in quibus illicò indormivimus.

Sacellum in Sina à D. Helena poſitum; Templum deinde, & Cœnobium à Juſtiniano Cæſare ædificatum.

Poſtera die ab eo, qui excipiendis hoſpitibus præpoſitus, ad viſendum Cœnobium deducti. Eſt autem hujus circuitus quam ampliſſimus, editoque muro præcinctus: ad inhabitandum innumeræ cellæ, ſed anguſtiores, quam noſtræ, plurimæque ad Cœnobitarum commoditatem hàc, illac ſparſa ſacella: in quibus ſuas ſinguli preces fundere, cœleſtiaque meditari facilè poſſint. Exiguo rivo alluitur, quo nihil opportuniùs ad incolentium utilitatem, cum ſiticuloſa ea loca cæteroqui ſint. Ad hunc verò rivum greges ſuos aquatum ducere ſolitaviſſe Moyſes perhibetur. Ego vix affirmare auſim: cum circa hæc ipſa loca univerſam penè Hebræorum gentem ſiti enectam, aquam à Moyſe poſtulaſſe Sacræ literæ referant. Qui cùm ſaxum, Dei juſſu, virga illa tot miraculorum ferace, percuſſiſſet, illicò largiſſimi fontes emicuerunt: quod quidem minimè accidiſſet, ſi rivus ille tum temporis profluxiſſet. Hic Mecœnas: Sed quid rivulus ille ad tantam multitudinem? quare minimè mirum ſi novi fontes ad explendam tot hominum, jumentorumque ſitim divinitùs profluxerunt. Cui ego: Si rivulus ille non ſatis duceretur, nec fontes quidem ſatis eſſe poterant ad ſitim explendam: ſed utut ſe res habuerit, nos Cœnobio perluſtrato, quid agendum eſſet, in medium intulimus. Cenſebat

Cœnobium D. Catharinæ deſcribitur.

Ach-

Achmetides, ſtatim itineri Arſinoen verſus, quò ipſe tendebat, inſiſtendum, neque hic diutiùs commorandum: mihi placebat montem utrumque conſcendere, ex quorum vertice, & Rubrum, & Mediterraneum mare videri ajebant: idque fieri triduò facilè poſſe: quod cum Venetis perſuaſiſſem ad conſcendendos montes in craſtinum diem accingimur.

Horebus Mons deſcribitur.

Ubi primùm diluculum illuxit, læti omnes, atque hilares, in Horebi verticem, qui Sinaitico humilior eſt, iter corripimus. Ex una enim, eademque radice gemini montes aſſurgunt, quorum qui editior, atque in ſeptentrionem ſpectat, Sina dicitur: depreſſior alter, & ad Meridiem vergens, Horebus nuncupatur. Duce igitur Arabo indigena, ex iis, qui Cœnobitis inſerviunt, atque ab illis juſſo nobis ducatum præſtare, montem conſcendere exorſi ſumus. Eſt autem non unus vertex, ſed plurimi, quaſi montibus impoſiti montes: qui tamen ob abruptam magnitudinem non omnes initio conſpiciuntur; ita ut cum ſummum te jugum tenere credas, aliud exoritur, quod ſuperare neceſſe ſit, atque iter ordiri, ut ajunt, à capite: ut non ſemel præ nimio tædio, ac defatigatione pœnitere incœpti cęperit: nec deerant, qui reditum ſuaderent: ſed vicit animus, qui ſi ſemel præoccupatus ejus rei deſiderio, quam vehementer optamus, atque accenſus ſit, difficilè à propoſito dimovetur: imò nonniſi vi ceſſare ab incœpto poteſt. Non igitur itineris arduitate, non ſaxorum aſperitate, non periculorum múltitudine, non laboris magnitudine perterriti in ſumma eniti juga, nervis omnibus conabamur: Poſtquam igitur diù, multumque conſcendimus, in fontem cui à Sutore nomen, perventum eſt: ejus aqua mirificè recreati ſumus: cum enim diei æſtus incaleſceret, ſiti laborabamus: ne vero aqua pura, putaque noceret, diem fregimus. Hic Lælius: Ecquid, inquit ad manus fuit! Buccellati paſtilli, tum ego, quos mecum ſemper circumferebam, & dactyli, qui plurimi in Ægypto, probique ſucci naſcuntur: qui adeo meo ſtomacho quadrant, ut hic etiam eis veſcerer, ſi copia ſuppeteret. Sed quæſo, ne præpedimentum objicias: nam vereor ne tardiſſimè domum revertamur. Non longè à fonte nos Sacellum excepit, quod Virgini ſacrum eſt: quæ eò loci Cœnobitis quibuſdam, qui oratum in montem ibant, viſa perhibetur. Deindè anguſtias quaſdam, Græci pylas dicunt, ſubivimus: lapideis arcubus conjunguntur, ut claudi janua potuiſſent, adeo arctæ ſunt. Quibus tranſmiſſis, & difficili clivo ſuperato, in planitiem egreſſi, in qua ſpiritum reſumpſimus, atque aërem liberiùs hauſimus: mirum enim in modum per implexos eos calles, ac præruptos delaſſati eramus: in ea planitie quatuor

Quatuor Sacella in ejus vertice.

Sa-

Sacella viſuntur, in quorum uno, quod Eliæ nuncupatum, ſpelunca quædam non ſatis ampla poſt altare jacet: in qua Prophetam latuiſſe, & XL. dies cibo abſtinuiſſe, cum ab impia Jezabele fugeret, non levi conjectura affirmant. Tandem non ſine ingenti labore, ac periculo in ſupremum jugum manibus, pedibuſque conniſi evaſimus. Atque hic ſacroſanctus vertex eſt, in quo Deus legem divino digito ſcriptam Moyſi tradidit: ſuæque Majeſtati ſplendorem oſtendit: quo in loco ſaxum viſitur, ita excavatum, ut hominem excipere, ac tegere, quaſi theca, valeat: illud verò eum eſſe ajunt, in quod Moyſes micaciſſimum Auguſtiſſimę Majeſtatis fulgorem ferre impotens, retroceſſit: eumque ita ſaxum, patefacto ſinu excepit, ut à prætereunte Numinis Majeſtate, tegeretur. Duratque ex illo ſaxum, eundemque ſitum poſt tot ſecula tenuit: ut neſciam, an majori miraculo ſinum recluſerit, an recluſum conſervaverit: ut nec tempori, nec tot caſibus ceſſerit. Sacroſancto in vertice ædicula eſt, quæ Græcis Αγία κορυφὴ, ſanctus nimirum apex appellatur: in ea ſumma animi demiſſione oravimus. Deum precati, ut quam ibi legem dederit, perpetuò ante oculos haberemus, & ad eam cuſtodiendam vires ipſe ſufficeret. Eſt è regione altera ædicula, in qua Turcæ, & Arabes ſuas preces fundunt: nam, ut dicebam, locus hic his etiam nationibus venerationi eſt. Hoc loco Mecœnas: At minimè dignum, ut in loco tam ſancto profana etiam ædes ſit: ego certè id non paterer, eamque à fundamentis everterem. At quid facias? tum ego: locus in horum dominatione eſt: & quod nec æquum, nec ſanctum eſt, vi, atq; injuria faciunt. Faxit Deus, ut his tandem locis noſtri potiantur: tum haud equidem fanum ſtabit, quod non ſacrum, ſacroque ritu dedicatum ſit.

At nos ædicula egreſſi, quoniam ad medium jam diem Sol erat, brevi prandio vires refecimus. Deindè deſcendere ad inferiora cœpimus: & tanto majore labore, periculoque, quanto faciliùs per abrupta corpora præcipitantur: quocirca connitendum nobis continuò erat, ne ipſomet propendente membrorum pondere, rueremus: & ſanè non ſemel nihil proprius factum eſt, quam præcipites decideremus. Tandem, ne periculorum recordatione tædium creem, in profundiſſimam vallem, quæ Horebum inter, ac Sinam jacet, ſingulari Numinis favore, deſcendimus. Hic Cœnobium alterum, ſed minimè habitatum, ac penè vacuum in quod culcitras aliquot Cœnobitæ aſportari juſſerant, ut quietem commodè caperemus, atque hinc poſtero die expeditiùs in alterum verticem ſcanderemus. At nos adeo defatigati,

tigati, ut vel nudo in ſolo ſomnum cępiſſemus : cujus opportuna conciliatrix laſſitudo.

Secuto mox die, in editiorem Sinæ verticem ire occupavimus, principio quoniam mitior clivus, & ex nocturna quiete robuſtiores, gradus grandiebamus, ſummaque alacritate incedebamus: at ubi per anguſtos, abruptosque calles, crebroſque viarum anfractus ſcandere cœpimus: atque altior jam Sol cuncta ſuis radiis calefacere, imo etiam adurere incipiebat, vix ingenti labore, ac ſudore paulatim in editiora ſuccedebamus: & ni ſuperiora montis frigidula reperiſſemus, nos æſtus perdidiſſet: interdum in præcipitia quædam veniebamus, ut viſum avertere neceſſe eſſet, ne vertigine circumacti delaberemur: plurimum his in locis Arabes juvere, qui nativa quadam agilitate præditi, ac viis illis aſſueti, quam expeditiſſimè incedebant, nosque manuducentes è periculo ſubtrahebant. Fateor cum jam ſupremum in jugum non tam pedibus quam manibus niteremur, tanta arduitas erat, tam facilis caſus, tam horrendum præcipitium, ac certa præ oculis mors, ut non unum Virgini votum conceperimus. Tandem aliquando, Diva adjuvante, cujus opem ſæpiùs præſentiſſimam experti eramus, in editiſſimum faſtigium, altiſſimo jam Sole pervaſimus. Illicò ædiculam eo loco ædificatam, ubi Divæ corpus ſuperni ſpiritus collocarunt, nos deduximus: ut gratias Deo, Divæque ageremus, quod ſalvos, ac ſoſpites nos illuc perduxiſſent. Viſimus deindè ſaxum, ſivè rupem, quam miraculo intumuiſſe ferunt, cum in eo D. Catharinæ corpus repoſitum fuit: ſunt circum tria ſigna, in quibus tres ſpiritus conſediſſe, Divam diù cuſtodiſſe, certò credunt: hæc verò ſigna innata monti videntur, cujus tanta durities, ut ne duriſſimo quidem ſcalpro ſcindi ramenta queant: ita vero totus mons eſt, ut nigris quibuſdam, arborem imitantibus, venis ſparſus videatur: ex his vero tria illa ſigna diſtincta conſpiciuntur.

D. Catharinæ corpus in vertice Sinæ.

Mox ego ſumma animi voluptate omnem circa regionem contemplabar: ad Meridiem Rubrum mare, atque Ægyptii montes ſpectantur: ad Septentrionem deſerta regio, quam Pharan dicunt: atque hi montes qui longo tractu in Judæam excurrunt: ad Orientem Amalecitarum regio, & Amorræus mons: ad Occidentem Cedar regio, ubi Iſmaelitæ, qui Agareni, & Saraceni appellati ſunt, habitarunt. Mediterraneum mare vix ſubobſcurè videbatur, quo aſpectu diù delectatus, ad prandium ſeceſſimus, factaque brevi mora ad quietem capeſſendam, nos ad reditum accinximus. At ne vobis verborum prolixitate faſtidio ſim, omitto dicere quanto periculo, laboreque deſcenderimus; & quoties parum

Amalecitæ, & Agareni Populi, eorumque Regiones.

ab-

abſuerit, quin fallente veſtigio decideremus: declinante igitur die ad ultimam veſperam, in vallem, à qua primo manè profecti eramus, perventum eſt: inque eaſdem ædes recepti tandiù nos quies occupavit, quoad dies rediit: tum per vallem, quà ventum fuerat, in Cœnobium iter intendimus. Inter eundum ad Horebi radicem ingens ſaxum, quaſi ex reliqua rupe divulſum, baſique impoſitum, diù mirati ſumus: ex hoc enim Moyſen aquas virga elicuiſſe ferunt, tres in eo veluti cicatrices inſunt: quarum una ad Sinam, altera ad Horebum ſpectat, tertia erecta ad cœlum vergit: ex his triplici veluti fonte aqua proſiluit. Extra vallem ampla planities: in qua vitulum ex auro fuſum, atque adoratum à populo Hebręorum perhibent: Deindè mons ſurgit, in quo Aaron Paſchatis feſtum celebravit: aliaque obſervavimus, quæ ne ſim longus, prætermitto. Tandem Cœnobium reverſi, ſumma iterum humanitate excepti fuimus. Sequenti die iterum ſacris interfuimus: Divæque Lipſana, quæ marmorea in arca aſſervantur piè venerati, utque noſtrum iter fortunaret, iterum, iterumque precati ſumus. Mox ubi Cœnobitis gratias perſolviſſemus, diſceſſimus. Atque hic Mecęnatem rogo, ut liceret per eum domum nos reducere, cumque annuiſſet, vale diximus.

CAPUT TERTIUM.

Iter ex Horebo Ælanam, quæque in eo acciderunt, ac mira de Virgine quadam Crotoniate hiſtoria refertur.

SEdebam in Muſæo, utque acutiſſimum capitis dolorem, quo vehementer diſcruciabar, aliquantulum allevarem, appictas terrarum tabulas percurrebam, cùm me Quintius convenit: Et quomodo vales inquit, cui ego: non planè benè: tantum enim à capite laboro, ut vix ſufficiam. Tum Quintius: Si ita, cur tabellas iſtas evolvis? omitte, quæſo, atque aliquam intercapedinem facito. Cui tum ipſe: Imo ut dolorem parumper lenirem, has accepi: quibus evolvendis, è ſeverioribus ſtudiis animus amovetur. At Quintius, non eſt, inquit, ut dicis: laborat etiam in illis mens, oculi defatigantur: atque hæc cum diceret Lælius ſupervenit: & Salve, inquit, Muſarum delicium. Salve & tu Quinti meum corculum: ut valetis? Cui Quintius: Salve, Læli, meus ocellus: ego quidem benè valeo, & pangraticè, ut dicitur: at Parthenius noſter non ita: ſed magno capitis dolore vexatur. Tum Lælius: Quid mirum? imo neſcio ſanè

uti vivat. Semper enim hic claudus veluti ſutor ſedet, ſeque libris iſtis involvit, inque illis perpetuò diſtentiſſimus. Surge, quæſo, me intuens, dies tam amœnus, quam qui maximè. Eamus ad relaxandum animum: tres ſumus, quot gratiæ. Aglajam aget Quintius, Thaliam ego: tu qui conſilio polles, Euphroſynen. Cui ego: Lepidus, tu Læli, & eruditus: Sed quò nos pedes ducent? Et illi: Ad Mecœnatem tuum. Et ego quo curru? Ille vero de curru ne labores: habeo paratiſſimum. Si ita, tum Quintius, ſurge cito: non omittam certè occaſionem iſtam conveniendi hominem eruditiſſimum, atque humaniſſimum: nulla igitur mora interpoſita, conſcenſo curru, Barnam contendimus. Ut venimus, illicò obviam Mecœnas proceſſit: noſque benevole ſalutavit: ſtatimque in projectu, ubi apricabatur nos ſeſſum recepit. Poſtquam verò ſedes occupavimus; in tempore, inquit, affuiſtis: nam hic otioſus ſedebam, & qui cum erudita miſcerem colloquia vehementer optabam. Et quoniam tu reliquator es, Parthenie, ſolve debitum, ut nomen tuum tandem ex rationum libro eradam. Intelligo, tum ego: vis nimirum, ut ad itineris mei narrationem me vertam. Et ille: Ita, quæſo: tam enim mirum eſt, & curioſum, ut me delectet miro modo, & ut benè memini ex Sina monte Arſinoen tendebas. Cui ego: Miror memoriam tuam: ſed ordior, jam ut jubes, narrationem: & gaudeo vehementer hac tibi in re morem genere. At date, quæſo, veniam, ſi ſermo erit impolitus: nam veni omnino imparatus: & non benè valeo: Tum ille: Doleo quod non bellè te habeas: cæterum iſta tua negligentia, quæ plurimum nativi præſefert, mihi ſummoperè placet. Ego verò, ita orſus ſum: Ex Sina per non inamœnam convallem iter intendimus: quæ quidem anguſtiſſima: & licet ſaxoſa, ac ſterilis, tamen quia multis in locis, in quibus aqua emicabat, plurimæ arbores, ex iis quæ gummi exudant, palmæque item plurimæ, ac dumeta virebant, pulcherrima viſu erat: in ea complures Arabes habitant: quorum caſæ ipſæ palmæ: quæ ramis tectum, & umbram exhibent: ex ſaxis egreſſi, per apertam, atque immenſam planitiem, quæ ad maris Rubri littora pertinebat, ire cœpimus. In hac dum conglobati, ac vigiles metu prædonum, qui per aperta, ac plana vagari ſolent, progredimur, in exiguum quendam gregem, qui per herboſa paſcebat, incidimus. Servabat illum fœdiſſima quædam anus muta, & adoleſcentior quidam, qui mihi ex colore albicante, ex lineamentis corporis, non indigena, ſed ex Europa advectus videbatur: ſtabat procul ab anu triſticulus: qui ut me vidit, quaſi divinans popularem eſſe, ſtatim advolat:

Adoleſcentis Itali miſera ſervitus, ejuſque libertas enarratur.

volat:

volat: & eſne tu, inquit, Italus? Ego tum, rei novitate perculſus: Ita vero. Sed qui tu, & undè huc devectus? Et ille: Longæ ambages, quas referre tempus non patitur. Per Deum te rogo, per Superos omnes, ut ex hac miſera ſervitute me eximas: eripe à barbaris prædonibus, qui quotidie me Chriſtum ejurare cogunt. Tum ego illius miſertus, comites rogo, ut & ipſi illius misererentur, eumque in comitatu reciperent. Et illi: Faceremus, inqniunt, ſi liceret: verùm id ſine certo noſtro periculo fieri non poteſt. Nam ſi Arabes noverint: & ab illa anu facilè intelligent, nos juvenem abduxiſſe, ſtatim advolabunt, velut vultures: nec dubium quin univerſos perdant, ſi poterunt: ſin minus arma veriti, Ælanam uſque, quò rectà tendimus, inſequantur: ibique apud magiſtratum raptus, quod capitale eſt, accuſabunt: juvandum miſeris, non negamus; ſed quando ſine proprio periculo id fiat. Hic juvenis: De Arabibus nihil timendum, inquit, longè ad Euphratem profecti: anus illa muta nec quò, & quibus cum iverim docere poteſt: quare per veſtram fidem, per vos, parentesque veſtros oro, atque obſecro, ut miſeri hominis, & ejuſdem patriæ, ac religionis miſereamini: inque copioſiſſimas lacrymas effuſus, id ipſum identidem repetebat: quibus ego permotus, ita ad ſocios: Quàm magnum, ac penè divinum ſit miſeris opem ferre, eſſe cui notum non ſit, arbitror neminem: enim vero cùm proprium Dei ſit benefacere, atq; opitulari univerſis, idcirco divinitatem quandam induere videmur, cùm qua poſſumus ope, miſeros ſublevamus: id autem ſine proprio incommodo, ſine diſcrimine præſtare, non multum laudabile, nec magnificum; humanum, non divinum eſt: negare, quod facilè poſſis, ne barbari conſueverunt: at quod arduum, quod difficilè arripere, moliri, in effectum adducere, quam maximè generoſum, atq; æternis laudibus eſt digniſſimum. At ei ſuccurrere, cujus religio, æterna ſalus in diſcrimine verſantur, religioſiſſimum, ac diviniſſimum: nec niſi à Chriſtianis expectari poteſt: imo etiam debet: quando id lex ipſa, ipſa charitas jubent; Verum, nos prædones, ajetis, aſſequentur: & ſic nec ille ſatis ſalvus, & nos à periculo, in quod immittimur, non evademus: at prædones longè abſunt: nec quo adoleſcens fugerit, & ſolus ne, an non, à muta, ſtolidaque anu ſcire quibunt. Sed aſſequantur: quid glorioſiùs quam pro pietate certare? occumbere? at non minus periculi ſine pugna erit Ælanæ à Turcico magiſtratu. Sed hanc aleam facilè vitabimus, ſi eum domi contineamus: omitto quanta illorum ſit avaritia, ut pauca pecunia capi poſſint: tandem

quidquid futurum ſit, Deus, cujus cauſſam ſuſcipimus auxiliator accedet, In rebus æquitas ipſa, & charitas primùm requirenda, quæ ſi adſint, nihil eſt, quod de felici eventu timeamus. His demum adducti ſocii ſunt, ut ſupplicem acciperemus: receptus autem, noſtriſq: veſtibus indutus tanta dexteritate, ut anus, quæ procul diverterat, nullo modo animadverterit: mox in viam nos dedimus, cumque totum diem iter feciſſemus, ſub veſperam * Ælanam pervenimus. Oppidum cum arce perexiguum, verùm apud Turcas, & Arabes magni nominis emporium, in quod ex India, Arabia, Africaque plurimi mercatores conveniunt. Eſt in oppido Græcorum Cœnobium, in quod quia extra mœnia poſitum primùm incidimus: de eo Sinaitæ Cœnobitæ mentionem fecerant: quo viſo, ea mihi incidit cogitatio, quæ opportuna videbatur: ſi nimirum unà cum ſupplice ad illud diverterem: ita fieri poſſe, ut res in tuto locaretur: quod quidem reliqui comites non improbarunt. Præpoſitum igitur adeo, atque enixè rogo, ut pro ea, qua Chriſti fideles, ac peregrinos complecti par eſſet charitate, me cum ægroto illo adoleſcente, (pallor oris ex metu mortis fidem dicto conciliabat) reciperet: de victu ne laboraret: id nobis curæ fore: ille, quod vix ſperaveram, non ſolum humaniter admiſit, ſed & reficere illicò voluit: imo cuncta ſe ſuppeditaturum, quæ neceſſaria forent, ſpopondit: id & mihi gratiſſimum, & ſociis accidit, illi, quod à ſe periculum amolirentur; ego, quod ſervati civis una apud me laus futura eſſet. Hoc loco Lælius: Laudo piam fraudem: verum an ſatis prudenter feceris, non diſputo. Imo prudentiſſimè, tum Mecœnas. Si innocentiæ, charitatique conſulendum, nulla induſtria, qua non uti, nulla alea, quam non ſubire debeamus. At perge porrò: res quippè curioſa eſt quam maximè: Et ego: Poſtquam in triclinio refecti in cubiculum ſeceſſimus: erant geminæ cellæ, non ſatis amplę, in quas unus aditus, Cœnobitarum in morem extructæ: ego etſi defatigatus ex itinere, nihilominus ingens quando cupiditas animo inceſſerat, omnem ſupplicis tragædiam intelligere; ſomno expulſo, illum rogo: ut quando remotis jam arbitris, narrari res poterat, ne gravaretur repetere; ſciretque ſe eam lapidi dicturum. Tum ille: Æquum inquit, ut hunc tibi morum geram, quando mihi auctor libertatis, æternæque ſalutis extitiſti: & tanto tuo periculo, ut vix à germano expectaſſem. Druſillæ mihi nomen. Hic ego perculſus: Mulier tu? inquam. Et illa: Ita vero, inquit, & Itala Crotone nobili patre nata: qui me, ex priore conjuge ſuſceptam frigidè admodum amabat, cum plurimum no-

* Elter.

Præfatus adoleſcens reperitur Virgo Crotoniata; ejus Hiſtoria narratur.

vercæ

vercæ daret: quæ tam ferreæ indolis erat, ac depravatæ, ut me nullo modo pati poſſet: quotidie ob leviſſimas cauſſas, ſæpius etiam immerito duriſſimè objurgabat, probris onerabat, & verberibus etiam, nimis ſæpè: cum ego ad patrem confugerem, ille obligatus amore novercæ, & falſis criminibus, quæ ipſa priùs detulerat, præoccupatus, duriùs excipiebat. Eò res proceſſit, ut omnis mihi patientia abrupta: inque deſperationem acta fugere decrevi: erat domi ſervus ætate biennio major, quem mater mea à puero educaverat, plurimiſque, dum viveret, beneficiis affecerat, atque ob id me unicè diligebat: ad hunc rem defero: atque enixè precor, ut ſe mihi ducem, comitemque fugæ præberet: ille principio vehementer perculſus, eam nervis omnibus diſſuadere conatus eſt: multiſque adductis rationibus, me propoſito dimovere equis, veliſque, ut dicitur, adnitebatur: ubi verò me perſiſtere in ſententia vidit, certamque, ni fuga patuiſſet, ſuſpendio vitam unà, & miſerias finire invitus aſſenſit. Fuga igitur decreta, conſilium inire cœpimus, quo id modo, tutò exſequi potuiſſemus. Erat in portu Surrentina navis frumentum Neapolim deportatura: hac viſum eſt Neapolim petere: qua in urbe affinis meus degebat: apud quem nos recipere ſecurò poteramus. Eo ipſo die, qua profectionem navarchus adornabat, meus pater unà cum tota familia in villam profectus, me una cum ſervo illo domi relicta: idque in gratiam novercæ: at ego divinitus factum arbitrata, nihil morandum duxi: quocirca virilem ſtatim veſtem, jam præparatam, indui, acceptaque mecum non parva pecunia, cum gemmis aliquot, quas mea mihi mater reliquerat, ex horti poſtico, qua via infrequentior, in navim, quæ jam anchoram ſubducebat, unà cum famulo, qui jam cum navarcho condixerat, & quædam ad victum neceſſaria comportaverat, perreximus: qua ſtatim conſcenſa, quoniam ſecundus ventus erat, vela fecimus: totumque eum diem, & ſecutam mox noctem navigavimus. Manè ubi primùm illuxit, binas in alto naves animadvertimus: quibus viſis, quæ illæ eſſent, verſare animo nautæ cœperunt: quidam Britannicas, quidam Hollandicas, eas eſſe, ac Meſſanam petere: quidam piraticas eſſe aſſeverabant; quod præter morem magno ad nos curſu contenderent. Nec diù dubitatum: nam ut clarior dies emicuit, & propiores factæ, piraticas eſſe cuncti conclamarunt. Tum quoniam langueſcere ventus incœperat, navis onuſta expeditius fugere non poterat; nautæ amiſſa ſpe ſervandæ navis, de ſua ſalute ſolliciti, ilicet omnes in lembum proſiluere; veritique ne præ vectorum numero mergeretur, nos, binoſque alios reliquerunt: nec

quid-

quidquam preces, ac lacrymæ apud homines valuere: immite genus, & quam à mari feritatem hauriunt, frequenter exercent. Cui ego: Ita enim verò. Sed quid facias? ſuam quiſque ſalutem quærit : neque cuncti ea ſunt indole , ut virtuti cuncta poſthabeant : ſed quid tum poſtea? Et illa: Advolarunt illicò barbari ad prædam, quaſi ultures: inque navim inſilientes magnos clamores ediderunt : ubi verò nautis vacuam repererunt , in nos iram omnem evomuerunt : diſtrictiſque gladiis mortem minabantur , nì cuncta tradidiſſemus . Poſtquam navim totam perluſtrarunt , quæque reperiere , inter ſe partiti , nos in inferiùs tabulatum conjecerunt : hic quantis lacrymis calamitatem deploraremus , facilè conjicies . Illud autem me ſummoperè cruciabat , ne detecto ſexu vim pudori inferrent , quod mihi morte ipſa acerbiùs videbatur . Verùm hic , quam minimè merebar , divinam opem præſentiſſimam experta ſum : nam cùm omnia nudaſſent , ſocioſque alios perſcrutarentur , me ne tetigere quidem , ut gemmæ quas mecum habebam , adhuc ſalvæ ſint . Inter piratas Siculus quidam erat , qui & ipſe multos ante annos captus, fidem ejuraverat: hic quotidie ad nos veniebat , victus gratia : & quod rarum in hujuſmodi deſertoribus eſſe ſolet, humaniter tractabat, bonoque animo eſſe jubebat : ſeque noſtræ calamitatis miſereri, nec defuturum officio , quod exhiberi à ſe nobis potuiſſet: piratas eſſe Tripolitas, noſque brevi in Africam venturos: ubi ſi de patria , ac parentibus certiorem faceremus, curaturum ſe ſpondebat, ut juſta pecunia redimeremur: qua ſpe pauliſper ſublevabamur . Quarto die , à quo in poteſtatem prædonum veneramus , Tripolim appulimus : ubi nova nos calamitas afflixit, ſpemque omnem ſalutis abſtulit. Nam ſtatim ac venimus me archipirata Turcico prætori , qui jam jam diſceſſurus erat , inque Felicem Arabiam , quæ illi provincia demandabatur , profecturus dono dedit : id mihi acerbiùs ipſa captura accidit: alterum enim in orbem relegata, redemptionis ſpes omnes amittebam : eoque magis cruciabar , quod à ſervo tam fido , meique amantiſſimo , & cujus opera uti in adverſis poteram , divellebar : quoniam vero cum jacta eſt alea , conſtanti animo quidquid inde futurum ſit , ferendum eſt, me erigebam , ſolabar: atque ipſa mihi animos , vireſque ſufficiebam . Novus dominus, in cujus poteſtatem tranſieram , ſive quod genio mitis , ſive quod forma caperetur : quæ , etſi ego , antequam caperer , unquibus fœdiſſimè deturpaveram , ne prædones alliceret, ſexuſque ſuſpicionem faceret , jam ſe aliquantulum ad nativam ſpeciem reduxerat, benevolè excepit , atque ephebis adſcripſit : id mihi gratum ne-

nequaquam fuit: nam verebar, ne tandem re patefacta, in extremam omnium calamitatem inciderem. Tertio die, ex quo Tripolim deducta, Prætor juſſit vela fieri: atque felici uſi curſu quarto die Alexandriam intravimus. Hic navi dimiſſa, quæ Conſtantinopolim navigatura erat: conductoque lembo Peluſium petivimus: ut inde Arſinoëm veniremus: cum enim ſimultas dominum inter, atque Ægypti prætorem intercederet, noluit ille Babylone tranſire, ne illum convenire cogeretur: quod quidem illi, cunctisque ſuis fatale, mihi verò ſalutare fuit: nam cum primo die, & ſecundo etiam tranquillo mari navigaſſemus, ingens ex improviſo tempeſtas orta eſt: itum ſtatim ad ſortes: quibus ille mirum in modum addictus: atque hoc editum oraculum eſt. Palmare nimirum mendacium, inquam ego. Et illa: Ita verò: nam mentiri dœmonum ſemper eſt: atque audi modo: Tum tempeſtas ceſſatura, cum novum mancipium deſerto in litore feris exponeretur. Nihil moræ factum, admoto ad litus lembo, me projectam deſerverunt. Hic ego omni prorſus ope deſtituta, principio accuſare ſortem, quæ me prædonibus primum, mox feris objeciſſet: quæ tanti fati inclementia, quæ me non domi liberam inter parentes, non in ſervitute apud barbaros eſſe pateretur: ſatius fuiſſe ſi prædonum gladiis trucidandam, quam ferarum dentibus laniandam præbuiſſet. Mox memet temeritatis damnare, quod non æqua conſilia cœpiſſem, nec rationi, ſed iræ obtemperaſſem: fieri enim potuiſſe, ut patientia novercæ odium deferbuiſſet, patrisque amor conciliaretur: nunc verò nullum pœnitentię locum, nullum patientiæ fructum eſſe: reſumpto deindè animo in tumulum litori proximum conſcendi: ex quo dum domini lembum ingenti undarum agitatione jactari aſpicerem, & interdum penè abſorberi, paululum allevabar: quem ubi tandem demerſum vidi, erecta ſpe ſum non exigua, fore, ut tandem ſalutem invenirem: neque enim ſine conſilio Dei factum, ut è naufragio eriperer: nempè, ut ad meliora reſervarer: ſolere nonnumquam in rebus omninò deſperatis ſalutem exoriri, inque denſiſſimis tenebris lucem affulgere.

Poſtquam hæc mecum evoluiſſem, in litus redeo, ut ſi quid veſcum, quo tolerare vitam potuiſſem, reperirem: nam in tumulo illo arenoſo, ne ſtirps quidem arida conſpiciebatur: vix deſcenderam, cum naufragorum cadavera, tabulaſque ad litus ferre animadverto: quo viſu tam miſero, quàm qui maximè, magno triſtari opere, ac timere cœpi. Verùm ne aſpectu illo fœdo, ac lacrymabili diutiùs excruciarer: & cum neque ibi quicquam eſſet, quo famem ex-

ple-

plerem, ſed quo calamitatem paſcere abundè poſſem, in interiora deſerti litoris ſeceſſi: ibi herbida quædam loca inveni; in quibus arbores aliquot, quæ palmæ mihi videbantur, quarum paterno in horto geminæ erant, ex harum fructibus, qui non dum mites biduo vitam transduxi. Tertio die ingens mihi clamor auditus: erant venatores plurimi, qui neſcio quam feram lacerto ſimilem occiderant. Qui ut me vident, loqui mecum occœperunt: ſed nec ego illos, nec me illi intelligebant: per nutus, ac ſigna, ut muti ſolitaverunt, me naufragio ſervatam ſubmerſis aliis ſignificabam: quod planè intellexerunt, ubi ad litus accedentes, cadavera, tabulasque conſpexerunt: tum miſeratione, ut credo, permoti ſecum adduxerunt. Vix tria paſſuum millia exhauſeramus, cum in Arabes prædones incidimus: qui ſtatim nos aggreſſi ſunt: nec ſegnius venatores: ingentique utrimque animorum ardore concurrerunt: at ego tanta formidine correpta ſum, ut nihil propius factum, quàm illicò occumberem. Tandem poſt acrem conflictum, tribus ex venatoribus occiſis, reliqui fugam capeſſunt: ex prędonibus duo occubuerunt, multi vulnerati: qui me, quæ inermis, & pugnę ſpectatrix fueram, captivam evexerunt: eòq; poſt magnum iter pervenimus, ubi me reperiſti. Cui ego: Vim tibi intulerunt? Minimè: tum illa: etſi acerbè primùm tractaverint: deindè paulò humaniùs in eam ſpem adducti, ut Chriſto ejurato, Mahumeti nomen darem: imo ubi ab Euphrate rediiſſent, velle me vel invitam circumcidere: idcirco divinitùs factum duco, ut per ea loca pertranſires: nam ſi ſecus futurum, ut in maximum tum fidei, tum pudicitię diſcrimen veniſſem. Mira oppidò, hic Mecœnas, tragædia, quam ſumma voluptate abs te audivi, ut variant humana, ut ſæpè ſalutaria ſunt, quæ nos deſperata exiſtimamus! ludit Fortuna, reciprocoque veluti undarum æſtu cuncta verſat, faciesque tot rebus, quot puncta, inducit. Atque hæc ut diceret, adſunt ephebi, monentque omnia parata eſſe: ſtatim igitur ex projectu in procętonem pranſum proceſſimus.

CAPUT QUARTUM.

Quæ Ælanæ obſervata, mox Arſinoën iter, aliaque ſcitu digna memorata ſunt.

POſtea verò, quam baſilica penè menſa, & Mecœnate, viro ſplendidiſſimo æquè, ac ditiſſimo perquam digna, refecti ſumma hilaritate ſumus, ad eruditos ſermones me iterum ille advocavit. Et Age, inquit, Parthenie, quæ tibi dein-

deindè, quæ miſeræ illi, cujus tu ſervator fuiſti, acciderunt, facili tuo ſermone enarrato: quod ut video tuis iſtis adoleſcentibus, perquam jucundum futurum eſt. Tum Lælius: Ita verò: & ſi quicquam impetrare nos poſſumus, iterum, iterumque rogamus. Quibus tum ego: Næ ego inurbanus, qui eo graver, quod vobis placere ſentio: faciam igitur, quod ſitum in me eſt: inſequenti mox die, Druſilla valetudinem cauſata domi ſubſtitit, ego ad ſocios, ac perluſtrandum oppidum progreſſus, in quo præter parvam arcem, nec ſatis munitam, quia nihil fermè dignum viſu erat, ad Erythræi litus, quod videre ſummo avebam operc, deſcendi. Hic Mecœnas: Eſtne, inquit, arena punicea? Nam idcircò Rubrum appellatum multi crediderunt. Cui ego: Nequaquam, imo potiùs albicat: mirabar ſanè tum maximè, quod mare illud Rubrum veteribus dictum fuerit: nam quod Euxinum nunc Nigrum vocent, non immeritò id quidem: eſt enim quam maximè cœnoſum, atque altiſſimum; quo fit, ut nigreſcere videatur. At verò Arabicus ſinus adeo nitidus, purus, perlucidus, ut videri fundum, quæque in eo ſunt, clariſſimè poſſint. Benè quidam cum Strabone ab Erythra Rege, qui quadam Oceani inſula regnaſſe creditur, atque humatus eſt, Erythræum Græcis, Rubrum Latinis nuncupatum. Quibus tota illa Oceani Meridionalis pars, quæ Africam, Arabiam, ac Perſidem alluit, Rubrum olim mare appellata. Id vero mihi pulcherrimum viſum eſt, refertiſſimum ſcilicet mare coralliis, conchisque omnis generis: quorum ingentem copiam quotidiè piſcatores capiunt. Ego, quando nihil erat, quo diem obducerem, piſcari placuit: miro enim modo captus ſum tum varietate, tum pulchritudine earum concharum, tum etiam figura, quæ adeo curioſa, ut in illis elaborandis otioſa luſiſſe natura videretur. Aſſumpto igitur Achmetide, qui Arabicam linguam apprimè callebat, naviculam quandam conſcendi: quæ & ipſa inſolens mihi viſa eſt: cujus ſtructuram referre operæ pretium erit: carina, & ſtatumina, quæ una ex ligneis aſſerculis, non ferreis clavis, ſeſe inter adveċtebantur, ſed picatis funiculis miro modo complicatis: reliquum naviculæ corpus ex pellibus compactum: velum non ex lino, ſed juncis ſtorearum in morem contextis: cujus autem formæ in Nilo etiam plurimæ navigant: quorum coſtæ ex minutiſſimis aſſerculis, non picata fune, ſed ligneis clavis obſirmantur: cætera ex corio. His ſuperioris Ægypti incolæ, atque Æthiopes mercatores merces Babyloniam invehunt: quibus diſtractis, naves diſſolvunt, divenditisq; lignis, quorum ibi ingens inopia, pedeſtri itinere in patriam remeant.

Unde Mare Rubrum dicitur?

Naviculæ cujuſdam deſcriptio.

Iſtud vero non eò fit, ut imperiti quidam tradunt, quod magnetici ibi montes, ut in Septentrionalibus factitari perhibent: ſed quia antiquiſſimus apud gentes uſus, atque expeditiſſimus, ut Author eſt Strabo, qui pelliceis cymbis navigari Erythræum ab Arabibus ſcriptum reliquit. Imo ſoliti etiam ex papyro cymbas Ægyptii compingere. Ex corio autem in Euphrate pariter, ac Tygre factas naviculas Xenophon, atque Herodotus tradiderunt. Hic Quintius: Id tu in Nauticis etiam ſcripſiſti: & teneo pariter verſiculos, quos in Mœcenatis tui gratiam, cui jure optimè illa nuncupaſti, patiare, quæſo, ut recitem:

Aſſuta veteres ſulcarunt pelle Britanni,
Pelle etiam, quotquot rigidis tenet Vrſa ſub oris
Marmora cana legunt: & ſutilis orbe rotundo
Euphratem irrumpit venientem gurgite linter.
Fertur & Ægypti regnatrix barbara Memphis
Argilla feciſſe ratem, teſtamque cavatam
Suſcepit medio miratus flumine Nilus.
Fluminean biblum, & niveam junxere papyrum,
Prædones; qui ſtagna colunt torpentia Nili.

Quibus recitatis, Habeo tibi gratiam, Quinti, inquit Mecœnas, quod illorum mihi memoriam excitaſti: quibus ego mirificè capior. Nec è manibus elabi facilè patior. Sed tu, ad me converſus, perge porrò: nolo modeſtiæ tuæ eſſe gravis. Cui ego: Facitis vos pro veſtra in me benevolentia: cæterum quam exſucci ſint, & malè tornati, ſatis teneo: verum audite. In cymbam recepti litus propter ire cœpimus tanta voluptate, ut numquam alias: meque per noſtri Pauſilypi ſcopulos, Bajanoſque lacus, una cum Lycone, ac Doryla percurrere arbitrabar: aqua inſtar cryſtalli perlucida, vada tam brevia, ut fundum tenere manibus, ac oſtrea, corallia, conchyliaque commodè evellere potuiſſes. Quia vero totum fermè Erythræum vadoſum eſt, & brevibus paſſim conſitum, ingens idcircò teſtaceorum captura fit: at majoribus navibus non ſine periculo propter id ipſum navigatur.

Poſtquam otioſi ſatis, ſuperque genio indulſimus, domum me contuli. Achmetides ad ſocios, ac profectionem in proximum diem adornandam profectus eſt. De qua ſollicitè diù conſultatum eſt: verebamur enim, ne nos Arabes aſſecuti de rapto mancipio apud Turcicum præfectum accuſarent; vel nos in itinere aggreſſi, vim inferrent: optimum cunctis viſum eſt, ſi unà cum publica vectura, qua plurimi omnium nationum mercatores Babyloniam ferebantur, nos etiam iremus. Gratiis igitur Cœnobiarchæ perſolu-

tis,

tis, primo manè diſceſſimus: perque litus Erythræi, quod nobis Septentriones verſus progredientibus ad occaſum erat, iter faciebamus. Etſi interdum propter colles, qui in mare exporriguntur, in mediterranea flectere cogeremur: quibus in locis tantæ propter ſcopulos anguſtiæ, ut cameli crura-tenus abluerentur. Tandem ad Moyſis fontes, per quos in primo itinere tranſieramus, perventum eſt. Hic fixis tabernaculis pernoctavimus. Prima vigilia magnus clamor obortus, quo audito, ingenti formidine correptus ſum: verebar enim, ne Arabes, quos vehementer timebamus, ſuperveniſſent: excitati illicò omnes, & ad arma concurſum eſt: at brevi abactus timor, atque excuſſa formido eſt. Etenim cum quid rei eſſet, percontaremur, renunciatur, tabellarium quendam veniſſe, qui ab Arabiæ præfecto miſſus, magnis itineribus Babyloniam contendebat. Orto jam Sole profectos is nos locus excepit, qui à trajectu Arabibus nomen: ex eo enim brevi compendio, navibus, quæ plures ibi ad id ipſum ſtare ſolitæ, Arſinoen trajicitur. Ne igitur cogeremur, ad intima uſque ſinus, longo itinere circumflectere, & ut citiùs omnem prædonum metum excuterem, navi Arſinoen ire conſtitui: aſſumpto igitur Achmetide, ac Druſilla, lemboque conducto, duabus non ampliùs horis, Arſinoen, quæ Ægyptio litore ad Occidentem poſita eſt, tenuimus; tantus enim ille trajectus, quantum Siculum fretum patet. Et uti Sicilienſi in freto ex uno in aliud regnum brevi ſpatio commigramus, ita in Arabico iſto ex una, in aliam Mundi partem breviſſimè pertranſimus. Cæteri una cum impedimentorum, ſarcinarumque mole terreſtri itinere proſecuti, ſequenti die pervenerunt. Hic Mecœnas: Eſt ne, inquit, Arſinoe iſta (nam plures reperio à Ptolomęis ędificatas) elegans urbs, ac populoſa? in ea enim, ut ferunt, totius Ægypti Turcicum navale, in quo naves, quæ Erythræum excurrunt, ſtationem habent. Cui ego? Non admodum ampla, non elegans, nec populo frequens, ut ferè omnes Turcici Imperii urbes ſunt: habet arcem urbi reſpondentem, nec ſatis validam. Navalia non admodum magnifica, nec multis navigiis referta. Quod mihi viſu dignum, navis quædam fuit Indica, quæ duplicato tabularum ordine muniebatur, ut Oceani fluctus, qui immenſi penè aſſurgunt, ſuſtinere potuiſſet. Vela ex palmarum foliis texta; quæ tum in litore extenta, filo ejuſdem materiæ neto, reficiebantur. Hoc loco Quintius: At tu de his in Nauticis: ſtatimque verſiculos recitavit. Arſinoe Urbs.

Qui regna rubentis Eoi
Gangaridæ, Sereſque colunt, & durus Japon

 Vimi-

Vimineam Zephyris tegetem ſpirantibus alto
Expandunt malo: ſtoreiſque canentibus aura
Obſtrepit: inflatæ tegetes ſpumantia currunt
Æquora: tu foliis contexere vela caveto,
Nauta, ſed Eoi ſi ſit maris æquor arandum
Trans freta trans Gades, gemina compingere tela
Carbaſa præcipio, diris Typhona procellis,
Utque ſinu Preſtera queant tolerare furentem.

Cui ego, ut recitavit: Nimis odioſus es, Quinti, tuis iſtis interpellationibus, & cantilenis: & res, ut dicebam alias, benè prolixa: At Lælius: Laudo Quintium: qui præceptoris memor eſt, & gratum animum gerit. Cui ego: Tu etiam adularis. Euge, Euge, Læli; ſalvete ambo equorum, ut ajunt, filiæ. Hic Mœcenas non ſine riſu: Gaudeo quod lepidam in re ſeria intercapedinem feciſtis: mirum oppidò quantum, lepidiſſimis iſtiuſmodi jurgiis delecter, quippè amoris, atque humanitatis refertiſſimis, & veram animorum conjunctionem præ ſe ferentibus. Verùm quod inſtat agamus: nam ni me fallo, multum adhuc viæ reſtat. Cui ego: Adverte igitur animum: Quintioque ut quieſcat jubeto. Tum Quintius ſubridens: Si Mecœnas juſſerit, exſequar illicò. Tum Mecœnas, ut eſt humanitate limatiſſimus, imo, quæſo, inquit, ut lubeat: conticuit tum ille. Ego autem ſic filum retexo. Ut me domum recepi, verſare mecum animo incœpi, quid mihi magis expediret: continuare ne iter cum amicis, totaque illa hominum turba, qui publica vectura, ut ſuperiùs dixi, Babyloniam iter habebant: an expectare Achmetidem, qui negotiorum cauſſa Arſinoen venerat, neque ante dies octo confici negotia poterant. Et quamvis mihi videretur expeditius, tutiuſque fore ſi tanto ſtipatus comitatu iterfacerem: tamen propter expertam hominis fidem, atque officia, quibus me ſemper proſecutus fuerat: propter patris etiam amorem, vix divelli ab eo patiebar. Dum varias in partes diſtrahor, me Druſilla interpellat: & quid, inquit, de profectione? continuò mihi à tergo imminere prædones videntur: pœnaſque fugæ à me ſumere. Cui ego: De illa cogitabam: mentemque omnem expono meam: & quid ipſa, ſentiret? interrogo. Et illa: Tutius, inquit, ſi tanta hominum multitudine, nos viæ committamus: nam ſi ſecus, in Arabes incidemus. Et jam pendebat animus, ut ad illius ſententiam deſcenderem; cum en tibi Achmetides: qui poſt datam, acceptamque ſalutem, Quid tibi, inquit, conſtitutum de diſceſſu eſt? Cui ego: Vix à te divelli patior: verùm juſtus me metus occupavit, ne ſoli tantum, & tam periculoſum iter capeſſere cogamur.

Tum

Tum ille: De hoc metum excute: nova in dies multitudo ex India expectatur, in qua plurimi Europæi, atque Armeni: his nos adjungemus. Cui ego: Si ita, expectabo, tu verò cura, ut quantocyus te à negotiis expedias: ne quid moræ in te ſit. Ille verò: Diligentiam omnem adhibebo, ut brevi in procinctu ſim. Mihi vero tutum non videtur meritoria hac in taberna diutius ſubſiſtere: imo opportunum erit, ſi profectos vos eſſe divulgetur. Intereà eſt hic juxta pomerium anus Ægyptia, mihi nota, & quæ habetur frugi: apud illam divertere, & commodum, & tutum: quod mihi optimum factu viſum eſt: ut igitur reliqui, ſe itineri dederunt, nos recta ad anum divertimus, quæ excepit non gravatim: at non omnis timor prædonum excuſſus: adeò animis inſederat: quocirca vel domi nos continebamus, vel per ſolitarios agros, proximumque litus vagabamur. Hic Lælius: Timuiſſem vel ego: at, tua pace dictum haud mihi prudens conſilium viſum fuiſſet inter barbaros ſubſiſtere: ſed proficiſcendum confeſtim erat. At eventus tum ipſe, & prudenter, & ſapienter factum demoſtravit. Altera enim die, ex qua Mercatores profecti, Arabes adſunt, Præfectum adeunt, deque raptu mancipii conqueruntur: cum autem didiciſſent profectos homines eſſe, lictore impetrato, magnis itineribus eos aſſequuntur: omnemque multitudinem vexant, ſingula perſcrutantes: poſtea verò quam cuncta ſuſque deque everterunt, irarum pleni revertuntur: arbitratique per deſertum effugiſſe, illac lictore dimiſſo, iter tenuerunt: idque manifeſto Dei favore factum eſt: nam ſi Arſinoen rediiſſent, proditi ab anu fuiſſemus. Erat quippè illa quam vaferrima, & magicas artes edocta: ſiquidem apud Arabes educata, Chriſtianam religionem Mahumetana ſuperſtitione turpiſſimè infecerat: Et eò magis metuenda, quod ſub ovina pelle, lupi indolem obtegebat.

Confectis jam ab Achmetide negotiis, nec dum appulſa ex India, quam præſtolabamur, mercatorum turba, diſcruciari ſummoperè cœpi. Siquidem diutiùs moram trahere nec tutum, nec expediebat; jam enim ſuſpecta maleficii eſſe anus cœperat: ſine comite, & quidem plurimo tanto ſe itineri committere, quam permaximè periculoſum: nunc has, nunc in illas curas ibam: nec exigua malorum appendix Druſilla erat, quam ut ſalvam facerem, memet manifeſto periculo objectaveram. At tantus illi animus, tanta audacia inerat, ut me benè ſperare, ſorti cofidere, eumque ſequi bonum Genium, qui nos hactenus à tot periculis eduxerat, adhortaretur: id ipſum Achmetides ſuadebat: ſeque bis per illas ſolitudines iter aggreſſum feliciter evaſiſſe, affirmabat.

mabat. Neque ſolere latrones niſi ad multitudinem accurſare, in qua non exigua prædæ ſpes luceat. Ne igitur unus timoris arguerer; quando nec Druſilla, nec ille, cujus intererat, ſua ſalva eſſe timebat, ire conſtitui: duobus igitur camelis conductis cum duobus Arabibus ſene uno, altero puero, ne ſi plures, ac robuſti, nos opprimerent, ut non rarò accidit; anuque inſalutata, poſt conticinium iter arripimus. Vix hæc, cum adſunt Ephæbi cum mulſa, ad quam hauriendam intercapedinem fecimus.

CAPUT QUINTUM.

Iter Arſinoë Babyloniam verſus, quæque cum ſolitario ſylvicola evenerint, referuntur.

POſtquam argenteis in ſcyphis ſuaviſſimam mulſam exhauſimus, Mecænati propinantes: & ille, utpotè qui officiorum refertiſſimus, nobis libaſſet; Redeamus, inquit, in viam: expecto enim quæ tibi in illa acciderint, nam ni mea me fallit ſententia mira oppidò fuerunt. Cui ego: rectè conjicis: attendite igitur: cum continenti curſu eo die iter habuiſſemus: camelos identidem ſtimulantes: quod non ſine riſu fuit: nam puer, ut qui agilior, atque expeditior, camelos identidem ſtimulo urgebat: ſenex tardigradus in puerum iraſcebatur: eratque inter ipſos rixa perquam lepida: tandem ad fontem quendam pervenimus. Atque eo die ne veſtigium quidem hominum occurrit: nam per eas ſolitudines rarò admodum ſoli pererrant. Ad fontem ſenem quendam aſpectu gravem, prolixaque barba venerandum reperimus: cujus veſtis inſtar ſacerdotalis ex palmarum foliis contexta, cœtera nudus: mihi unus ex antiquis illis ſylvarum incolis viſus eſt: ad quem propius accedentes, dum rogare in animo erat, ille nos priùs humaniſſimè ſalutavit. Hic Quintius pro ſuo more: Latinè ne, an Græcè? nam ſi barbarè, nihil penitus intellexiſti. Cui ego: Imo verò intellexi, nam etſi barbarè, jam enim ex longa conſuetudine cum Achmetide voces aliquot didiceram: in reliquo ſermone ipſe mihi Achmetides pro interprete fuit. At tu non ſtas promiſſis. Et ille: Erravi, fateor; me ad frugem deducam. Et ego: Nos reddita ſalute, rogamus, quis eſſet, & qua in ſolitudinis parte degeret? Et ille: Non longè, inquit, tuguriolum meum eſt: in quod, quæſo, ut venire lubeat: nos laciniam minimè ſcindi paſſi, ſtatim ire pergimus; ſequique camelos jubemus: quod vix ab Arabo poſt multas preces impetravimus: minimè enim nobis id expedire ajebat: neque ſatis tutum à

De ſolitario quodam ad fontem reperto Hiſtoria.

pu-

publica via divertere: tandem cum nullum ſubeſſe dolum diceremus, neque multum viæ ad tugurium ſenis intereſſe, acquievit. Dum vero una omnes imus, ita ad nos ille; Ex intima Thebaide, in qua Ægyptiis parentibus natus, in hanc ſolitudinem vix è pueris egreſſus veni, & quidem miro modo; inque ea plurimos annos vixi ſumma animi tranquillitate, ſumma corporis valetudine: neque quidquam in humanis fuit, quod optatiſſimam mihi quietem valuit perturbare: nam cum nihil metuis, nihil expetis, pacatiſſimus tibi animus eſt: qui non niſi timore, vel ſpe jactari poteſt. Et ita tranquillo jam animo, ſanum ac vegetum corpus fuit: quod plerumque ex animi ægritudine labem contrahit, non aliter ac vitiato vapore aër inficitur: acceſſit frugalitas, ac continentia: qui dulciſſimi ſolitudinis fructus ſunt: quibus nihil efficacius ad tuendam valetudinem. Nec defuit aſſiduus labor, quo otium frangitur, valitudo roboratur: nec ſine aliqua voluptate vita tranſigitur: dum enim laboris fructu delectamur, honeſtam voluptatem percipimus: neque enim omni carere voluptate animus poteſt: virtutis igitur eſt, ac ſummæ induſtriæ, ut honeſta ille propoſita delectatione præoccupetur, qua ſi ante capiatur, in tuto beatitas eſt. Quæ dum diceret, mirabar oppido hominis indolem, & adeo excultum in media barbarie ingenium: mecumque illud reputabam, magnum eſſe hominis animum, ſi à vitiis liber, ſuique juris exiſteret, nec immaniorem eo, cujus obcæcata vitiorum caligine ratio eſt: atque idcircò reperiri interdum barbaros apud cultiſſimos quoſque populos: atque inter barbaras, incultasque nationes eſſe plurimos, qui ſortiti bonam indolem humaniſſimum præ ſe ingenium ferunt.

Sed jam non longè à tugurio eramus: cujus quoniam inſolens ſtructura erat, juvat eam referre. In immenſa arenarum planitie exiguus quidam locus erat aliquanto benignior; in quo plurimæ palmæ conſitæ: quæ ex magnitudine ſatis annoſæ videbantur: in harum receſſu modica caſa, ſeù potius mapale aſſurgebat: in quatuor angulis ex palma trabes poſitæ: quibus ex palmarum rami texti muri adhærebant: tectum ex papyro Ægyptia conſtructum: utque ſolis æſtus arceretur, plurimæ palmarum frondes ſuperpoſitæ: lectus ſtorea erat ex iiſdem palmis texta, pulvinar ex eadem materia paleis infartum: nulla ibi ſella, nulla menſa, nihilque eorum, quæ ad vitæ commoditatem adhiberi ſolent: totæ divitiæ pendentis è cruce ſervatoris imago erat. Hic Quintius: ſatis, inquit, divitiarum in eo uno, in quo theſauri omnes reconditi. Ita verò tum ego: atque audi modo. *Tugurii deſcriptio.*

Ut

Ut venimus, tabernaculum fiximus; dumque camelarius cœnam accurabat; ipſe cum ſociis in tugurio ſedi more illarum gentium, humi ſcilicet cruribus decuſſatis. Poſtquam conſeſſum, hominem rogo de religione, timebam enim, ne eſſet hetærodoxus: Et ille: Progenitores mei, inquit, ex antiquiſſimis Chriſtianorum fuere: verum adeò inſcii rituum, veræque doctrinæ, ut præter nomen nihil ſanè Catholicæ religionis præ ſe ferebant: ex hoc caudice quale germen eruperit, tu coniicies. Quia verò bonam indolem ſortitus ſum, nec iis me vitiis, quibus hic loci ſordent univerſi, deturpavi, eo me lumine benigniſſimus Pater illuſtravit, quo Ægyptiorum tenebræ diſcutiuntur: ea mente Deum veneratus ſum, qua par erat: meque ea ſentire, ac credere, quæ ſentienda, credendaque forent, profeſſus ſum. Adultus vi à parentibus abſtractus, militiæ adſcriptus: quam ego, quoniam in Chriſtianos bellum erat, cane pejus, & angue oderam: pecunia, qua nihil fermè eſt, quod à Turcis non obtineas, me in libertatem aſſerere conatus ſum: ſed luſi operam; tot enim Cretico bello perierant, ut toto Imperio ſumma præfectorum diligentia, delectus haberentur: & quamvis avariſſimi, continebant ſe timore pœnæ. Alexandriam tandem venimus tirones DC, inque navibus duabus impoſiti. Vela vix fecimus, cum atrox de repente tempeſtas orta eſt: qua diù jactati, tandem qua ipſe vehebar, navis non longè à Peluſio, quod tenere non potuimus, ejecta eſt: ſtatimque in litore diffracta. E naufragio evaſere plurimi, inter quos ego: qui non arte, nam eram nandi omninò ignorans, non tabula, quam nullam tenere potui; ſed ſive vi æſtus, ſive ſingulari numinis beneficio, in ſiccum delatus ſum. Hic ego gratias mari perſolvi, quod me ex illa militia liberaſſet: meque non feciſſe naufragium, ſed auſpicatiſſimum curſum tenuiſſe, quo in portum hunc tutiſſimum appuliſſem, putavi. Ex illo enim in hanc ſolitudinem me contuli, in qua pacatiſſimam vitam duco: nec quidquam eſt, quod expetam: reſque omnes humanas infra me poſitas exiſtimo. Tum ego admiratus hominis indolem, & quas in varias incidiſſet viciſſitudines: Ut bellè, inquam, ludit Fortuna! oh quantum plus interdum barbari ſapiunt! nempè eſt una in omnibus natura, quæ labe vitiorum carens, nihil illa excelſior: & excelſior animus eſt, cum ſibi ſatis nihil eorum deſiderat, quæ etſi ſpeciem præ ſe boni gerunt, malorum omnium ſemina tamen ſunt: tantuſque ex illo me quietis, ac ſolitudinis amor invaſit, ut nihil proprius factum eſt, quàm me illi ſocium addiderim: at vicit amor viſendæ patriæ, ſervandæque Virginis, cujus tutelam

Sylvicolæ genus, Religio, ac vita.

tam

tam piè, ſanctèque ſuſceperam. Hic Macœnas: Ne te vexes, credo equidem, ut qui tuum ingenium planè noverim: teneoque quanto idcircò Surrentinum tibi otium gratum ſit. Certè tum ego; Nihil mihi ſcientia rerum, nihil quiete charius: cætera omnia tanti duco, quanti vitiatam nucem: ſoleoque ſæpè verſus illos poëtæ recitare, quos ego diviniſſimos puto.

Solitudinis amante, atque otii quam maximè capiuntur Philoſophi.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Sed pergamus porro. Hæc ubi mecum latio ſermone exclamavi, plurima hominem de religione doceo: quæ ille tanta tum aviditate, tum voluptate excipiebat, ut mirum oppido eſſet: neque ego minore gaudio perfundebar: eoſque damnabam qui divina verba tanta oſcitantia, ſupinoque animo audire ſolent, ut pudendum quam maximè ſit. Maximo deindè opere illum admonui, ut caveret à Mahumetis ſuperſtitione, qua nihil peſtilentiùs: ibique neceſſariam cautionem eſſe, ubi tot inter Arabes, ac Turcas ſummum in dies periculum imminebat. Et ille: De hoc ne ſis ſollicitus: Ex perditiſſima enim eorum vita optimè intelligo, quam falſa ipſorum ſecta ſit. Siquidem veram religionem ſanctæ inſtitutiones, ſanctique mores probant: nec quiſpiam probè vixerit, ni ſanctè crediderit. Hoc loco Quintius: Potuitne Achmetides ille tuus, quo interprete utebaris, hæc æquis auribus audire? nam ſi benè memini illum in Mahumetis verba juraſſe, ex te cognovi: certè nimia tu uſus confidentia: nimiam præ ſe ille tulit patientiam. Cui ego: Opportunè hic me interpellas, Quinti, mihi pietas, ac veritas audaces animos ſufficiebant: illum ſummum erga me obſequium patientem faciebat: quin etiam tum noſtro contubernio, tum facilitate morum, tum etiam veneratione ſenis, ac ſanctitate noſtræ fidei, jam jam ad veram religionem inclinabat. Et ſanè ſi cum illius ſectæ hominibus diſſerere de religione liceret (nam id capitale Mahumetes ſtatuit, veritus ne ſua commenta falſitatis arguerentur) ferè omnes, ratione perſpecta, infamem ſectam ejurarent. Sed ad propoſitum revertamur. Quædam me ſolitarius, cui Hilarioni nomen, de Auguſtiſſima Trinitatis natura, quæ illi inter denſiſſimas tenebras, in quibus natus vix effulgebat, rogare cœpit. Quæ ego ad captum hominis quam maximè poteram accomodare explicui, addidique ſanctiùs, ac reverentiùs fore de ineffabili Deitate credere potiùs, quam ſcire: quippè tam immenſa illius natura eſt, ut humana mente comprehendi minimè poſſit: quodque Divo Auguſtino eveniſſe pervulga-

Damnantur ii, qui divina verba oſcitantèr audiunt.

Mahumetis ſectatoribus de Religione diſputare capitale eſt.

Quid Auguſtino de Trinitate ſcripturo divinitùs acciderit.

tum eſt, enarravi. Hic, inquam, acutiſſimus, ac ſanctiſſimus vir de Trinitate ſcripturus per proxima urbi litora, animi gratia, obambulabat: ne vero otioſum omninò otium eſſet, quæ ſcribere moliebatur, ſecum intentiſſimè pervoluebat: inciditque in puerum, qui facta manibus ſcobe non ſatis ampla, in qua conſederat arena, è proximo mari aquas concha acceptas, in ſcobem ingerebat: id cum Auguſtinus vidiſſet, inanemque pueri laborem reputans, illum ſubridens interrogat: Quid eſſet quod facere tanto labore meditaretur? Tum ſerio puer: Hanc, inquit, in foveam univerſum Oceanum infundere. Cui Auguſtinus: At non vides, inquit, fieri haud poſſe, ut tam exigua ſcobs immenſum hauriat Oceanum? Tum illicò puer: At multo faciliùs id mihi factu eſt, quàm quod tu nunc meditaris, efficere: ſtatimque diſparvit: quo admonitus tantus vir eſt, haud homini fas eſſe divina concipere, deque illis pro dignitate diſſerere: quocirca veneranda ſilentio ea eſſe, quæ aſſequi intellectu non poſſumus. Hæc verò tanta ſenex voluptare excepit, ut vix ſe præ gaudio continuerit. Interea nos camelarius admonuit accuratam jam cœnam eſſe: nihil igitur morati, menſam extendimus eo loci, quo conſederamus: cœnavimusque more gentium. Inter cœnandum ſolitarium rogo, quo ipſe victu vitam ſuſtentaret? Et ille: Hæ palmæ, inquit, mihi victum, veſtitum, tectumque, ut vides, ſubminiſtrant: nam fructus ſiccati cibi loco ſunt, frondes veſtimenti, rami tecti vicem præbent. Interdum à viatoribus oryzam pro ſtipe accipio: panem perquam rariſſimè deguſto: olera tellus hæc arida non gignit: at uni dactyli tantum mihi accepti, ut regum menſis non invideam: natura hominum modico cibo, eoque ſimpliciſſimo contenta eſt: cætera, quæ luxus, non fames invexit, gulæ, non vitæ ſerviunt: imò plerumque huic maximè nocent. Ità verò tum ego: quare optimè divinus vates: Plures gula, inquit, quam gladius aſſumpſit. Sed age, num tibi unquam incommodum prędones creant? Minimè vero, tum ille, quid enim ab eo auferant, cui totus theſaurus pauperies eſt? divites vexantur, atque incurſionibus obnoxii: qui nihil habet, extra ictum eſt. Tandem cœna abſoluta, quoniam in ultimum diei ſerum ſermo provectus fuerat, ad ſomnum ſecuri conceſſimus. Hæc ubi dicta, faciamus, inquit Mecœnas, intercapedinem, illatique ſcyphi cum calida Americana, ad quam nos ſtatim convertimus.

CA-

CAPUT SEXTUM.

A ſolitario diſceſſus, quæque apud ſagam Authori acciderint, referuntur.

HAuſta jam calida, ad narrationem redimus, itaque exorſus ſum; Primo diliculo, refixo tabernaculo, ſeni vale dicimus. Ille me non ſine lacrymis complexus: Quam ęgre, inquit, te abire patior: qui divino illo tuo ſermone mirum quantum hac me ſolitudine recreaſti. Tum ego, etſi non facilè in lacrymas ire ſoleam, vix tamen tum me ab illis continui; & Invitus, inquam, abs te divellor; cujus candida indoles, rara in his terris pietas, me ſummoperè devinxerunt: at non committam, quod unum in me ſitum, ut me unquam tui capiet oblivio: tu verò ne graveris preces ad Deum pro nobis fundere, cujus præſenti ope in hoc difficili itinere indigemus. Rogabo, tum ille, ut vos ſoſpites in patriam reducat: Quia verò nos camelarius urgebat, viæ inſiſtimus: adeò verò ſolitarii imago animo inſederat, ut adhuc illum præſentem habere mihi viderer: beatam illius vitam aſſiduè meditabar. Sed en tibi nova rerum imago, quæ aliò mentem advocavit: vix IV. millia paſſuum exhauſimus, cum altiſſimas è longinquo ædes noſtro more ædificatas conſpeximus: ego rei novitate perculſus Achmetidem rogo, quænam illæ eſſent? Et ille: Numquam, inquit, tales me vidiſſe commemini: &, quod magis admiror, non harum more gentium conditæ: mox Arabem camelarium, ſi locum illum noſceret, interrogat. Ille mirabundus: Etſi, inquit, centies hàc iter fecerim, numquam ſanè ſimile quid vidiſſe, mens, quæ non obliviosa mihi eſt, in præſentia ſuggerit. Ubi verò propius acceſſimus, Æthiopem præ foribus ſtantem animadvertimus: erat juvenis non inelegans, & vultu tam ſubluſtri, ut noctu inſtar carbunculi micuiſſet: criſpo capillo, diductis modicè labris, dente nitidiſſimum ebur æmulante, candida tunica, crurium tenus, quæ nuda videbatur, amiciebatur: tunicæ tum ſuperior, tum inferior limbus lata fimbria ex ductili auro mirè intertexta, exornabatur. Qui ſtatim obviam factus, ad Achmetidem verba faciens, nos perhumaniter invitavit: eſſe ibi dominam humaniſſimam, quam viſere nobis haud gravè futurum: eſſe item elegantiſſimas ædes, amœniſſimos hortos, quos luſtrare operæ oculis fore. Achmetides, cui indoles ſupra barbaros bona, minimè recuſandum putabat. Ego, cui perſpicax ingenium, verebar ne quid doli

Sagæ cujuſdam incantationes.

ſubeſſet: converſuſque ad Druſillam, Dubito, inquam, ne palatium iſtud præſtigiæ oculorum ſint; ac domina inſignis quædam ſaga. Tum Druſilla: Numnam illa, quæ nos Arſinoæ excepit? Cui ego: Veriſimile quidem. Timeo ne poſtquam bonus ille ſenex ad virtutem nos ſuo exemplo excitavit, hæc in vitia deducat; inque alios Circæo quodam poculo immutet. Proximæ enim viæ ſunt, & quæ ad virtutem, & quæ ad vitia ducit; ut ſi à prima deflexeris, in alteram illicò incidas: ex qua ſe deindè deducere, perquàm arduum eſt: tot enim illecebris conſita, tanto ornata fuco, tot ſparſa floribus, ut animum avertere, declinare oculos, non facilè ſit. Quin immò, ut ad virtutem non niſi vi facta, impellimur, ità ad vitium, ipſa propendente natura, ſpontè prolabimur. Quocirca inſtitutum tenere iter, nec tranſverſum quidem unguem, ut ajunt, deflectere in animo erat: cum en tibi quidam tabellarius, qui neſcio quas literas ad Ægypti Prætorem ſe ferre affirmabat: quem cum camelarius rogaſſet, ſi quid novi è deſerto? Ille: Non procul, inquit, Arabes quidam pererrant, neſcio quod Europæum mancipium veſtigantes. Hic ego etſi animo perculſus, frontem tamen explicui: quod & Druſilla, & Achmetides tam generosè præſtiterunt, ut vix in animum induxiſſem; nam ſi ſecus, facilè indicio homini fuiſſemus. Placuit igitur ædes ſubire, ut ſic è prædonibus evaderemus: etſi non parum anceps animus, ne ſi fortè Scyllam, ut eſt in proverbio, vitare cupientes, in Charybdim incideremus: verùm quia illud certum, ac penè præſens malum, id incertum: illud vitare noſtræ opis non erat, hoc ſitum in noſtra voluntate, quæ ſi maſculæ virtutis, capi non poteſt, facilè idcircò primum complexi. Tranſmiſſo igitur penſili ponticulo, ædes ſubivimus. Æthiops mira ilicet celeritate pontem ſuſtulit, noſque ampliſſimum in atrium introduxit. Hoc loco Mecœnas: Mira oppido, inquit, quæ narras, tuisque carminibus quam digniſſima. At perge porrò: nam ſummam ex illis voluptatem capio: nec dubito quin idem tuis iſtis comitibus eveniat. Tum Lælius: Ita verò: ut etiam pro Quintio ſpondeam. Quibus ego: Accommodate igitur aures. Æthiops, qui nos ducebat, juſſit camelarium in atrio ſubſiſtere: noſque ſtatim in hortum induxit. Et nunc domina, inquit, impedita; quare commodum, ſi priùs hortum, deinde univerſas ædes perluſtremus. At operæ pretium erit, ſi priùs ego loci ſitum vobis ob oculos ponam, ut quæ vidimus commodè intelligatis. Atrium quadratum erat, quatuorque porticibus jungebatur; ſingulas vero porticus ſex arcus marmorei, marmoreis columnis innixi, Dori-

Oculorum Præſtigiæ deſcribuntur.

coque

eoque opere inſtructi conſtituebant. Columnarum ſtylobatæ ex Cariſtio factæ, tæniæ verò ex ophyte: baſes, quæ ex Plintho, & Thoro componuntur ex Numidico: columna vero ipſa ex porphyrite tornata, veniſque puniceis pulchrè variata, miro modo emicabat: ſuperiori ſcapo impoſitum capitellum per quàm egregiè ſculptum ex Pario probatiſſimo: arcus ipſi ex Lucullæo, Epiſtylium item ex Pario candebat. Zophorus, una cum ſua coronide, ac cymatio ex Serpentino: cuncta verò adeo polita, ut lucem ſpeculorum inſtar repercuterent. Quatuor in mediis porticibus januæ, marmoreæ & ipſæ, atque ejuſdem operis patebant, in quarum ſuperiori limine epigraphe erat hæc: Genio Muſarum. Ad Orientem ea erat, qua ingreſſi, ex adverſo, quæ ad ædes ducebat viſebatur: duæ vero dextra, lævaque in ampliſſimos hortos aditum aperiebant: horti longo muro lateritio inſtar turris præcingebantur. Jam verò ut ad Æthiopem revertar, per dextram nos ille introduxit. At mirum quod ipſo in ingreſſu, hortique veſtibulo accidit. Hinc inde ex Lucullæo lapide duo mauri acinace præcincti aſtabant, quaſi aditum cuſtodientes, qui nobis pedem inferentibus, acinacem eduxerunt: quæ res primo terrori, mox admirationi fuit: nam illum militari modo deoſculati, nobis plauſere. Hinc me Druſilla intuens, amicè non hic ſatis ſalvi. Tum Æthiops, quaſi Druſillæ ſermonem intellexiſſet; iſta, inquit, non præſtigiæ, ſed magiſtræ artis miracula, inquit, quibus domina maximè oblectatur. Verùm tantum abfuit, ut illius dicto fidem adjungerem, ut auxerit ſuſpicionem: at quoniam jacta erat alea, præſenti animo ibam in omnem caſum paratus: paſcebamque animum inani rerum ſpecie, quæ ſe tum oculis viſendam præbebat. At illud mirabar, quod nemo unus præter Æthiopem videretur. Qui primùm per ampliſſimum tramitem perduxit: in cujus exordio elegantiſſimus è Pario marmore fons immenſam vim aquæ verſabat: quæ ampliſſimum in orbem effuſa, copioſiſſimum imbrem æmulabatur: in fonte Pan ſculptus ex Porphyrite inſedebat: cujus oculi mira celeritate in utramque partem voluebantur: cicutam tenebat, quam mira digitorum arte animabat: quod quidem vi aquæ fieri poſſe, non ignorabam. Alter in extremo limite fons erat: in quo duo ex Numidico ſaxo elaborati Satyri erant, Nymphamque, quæ in medio ſtabat, contuebantur: interdum aquas ex ore veluti ſagittas jaculabantur, Nymphamque aſpergebant: quæ ex intervallo vultum avertens illos dedignabatur: tot vero ſatiriſci motus incompoſitos edebant, ut vim omnem artis excederent: longiſſimum tramitem bu-

xeæ

xeæ ſepes in varias figuras miro modo conformatas complectebantur: qui verò utrimque campus extendebatur, in plures areolas, pulvinoſque diſtinctus, certamque floris ſpeciem ſinguli oſtentabant: ut campus univerſus Attalico veluti intertextus opere, pulcherrimus viſu tapes videretur: perque areolarum divortia, vel nitidi rivi, vel cryſtallini fontes emicabant: in medio utriuſque campi marmoreus lacus erat, in quo geminæ Sirenes humana voce canebant: & quod mihi minimè vacare dolo viſum eſt, molliſſimum quoddam Anacreontis carmen, Græcis modo numeris, modo latinis dulciſſimè cantitabant. Has dum Sirenas intueor: illud quod de Uliſſe perhibetur, Homerique carmine celebratum eſt, ſubit animum, ac mecum una, quam proclive eſſet, voluptatum illecebris capi, ſerio reputabam, neque alias Sirenas eſſe, quam voluptates ipſas, quarum titillationibus, quibuſdam veluti cantilenis, non incauti ſolum, non ignavi, ſed ſolertiſſimi, ac prudentiſſimi quique nonnunquam irretiuntur: virtute igitur in præſentiarum opus eſſe, maſculoſque animos advocandos. At Æthiops: Videte inquit, ut non fabula, ut vulgus putat, ſed hiſtoria ſit, quæ de Sirenibus narrantur: illarum non Oceanus tantum, ſed Africani etiam lacus fecundi: quas hic aſpicitis, ab extremis Indiæ oris domina magno ſumptu adportari juſſit: verùm ne vobis tempus deſit, pergamus ad reliqua: ſtatimque in pomarium perductavit: quod duo longiſſimi tramites ſeſe recta interſecantes, in quatuor areas partiebantur: in medio amborum tramitum menſa erat, ex pretioſis lapidibus texellato opere coagmentata: cujus ſedilia quatuor ex læviſſimo Porphyrite: columellæ verò quibus fulciebantur, ex caryſtio lævigatæ, quatuor menſam columnæ ex Numidico complectebantur; quibus argenteis trabibus pergula ſuperpoſita, quam ingens vitis aureis pampinis obumbrabat: botri ex unionibus potius, quam uvis conſtipati, tanta acinorum copia, ut nihil ſupra: ipſique grandiſſimi ex tralcibus botri pendebant: in quatuor angulis, ſeu potius lateribus, totidem fontes viſebantur, in quibus argentei delphines aquas jaculabantur: fontiumque crateres vivaria erant, in quibus quamplurimi piſces natabant. Hoc loco me Quintius interpellat: Erantne in illis vivariis Orbis, & Latus piſces, de quibus tu in Halieuticis:

Orbis in Ægypto, Rhegini ad litoris oram
Regales naſcuntur Aci,

Et infra:

Ægyptuſque Latis, Acipenſere ditior Iſter.

Cui ego: Facis ut ſoles: ea ipſe ætate hos piſces ne de no-

nomine quidem cognoveram : ſed redeamus ad propoſitum. Dum ea curioſi perluſtramus. Hac, inquit, in menſa, tum Æthiops, ſolet interdum Domina animi gratia cibum capere. Atque hæc, quam videtis, vitis ſemper viret, gemmaſcit ſemper, aurearumque frondium intertextu, placidiſſimam prandenti umbram ſubminiſtrat. Mox pomarium ingredimur : erant arbores quam breviſſimæ : ſed tot graves fructibus, ut jam jam ſciſſuros præ pondere ſeſe ramos crederes : tot verò ſpecies, & tam peregrinæ, ut toto ex orbe conquiſitæ viderentur : quas dum ſuſpenſis oculis admiramur : Cernite, inquit Æthiops, ut nullum humi pomum deciduum jaceat : ſic enim hæ arbores ſunt, ut fructus minimè caducos generent, ni carpas, numquam cadent: & carpere invita domina, nefas eſt. Imò ſi illa annuerit, ſponte ſua in os advolabuntur : tam verò ſuaves, atque omni ambroſia jucundiores, ut ſi ſemel deguſtaveris, vix te ab illis deinde contineas. Cui tum ego : Sapientiùs igitur abſtinere omninò? Et ille : At quam pauciſſimi admodum iſta prediti ſapientia ſunt: plerumque mortales voluptate trahuntur. Ego non obſcurè intelligens, quò ille ſpectaret. Si quam homini, inquam, à diis data eſt, rationem ſequi velimus, ſapientes ſumus omnes. Non inficior, tum ille : verùm hic mons eſt, cujus ſummum tenere apicem, quam maximè arduum eſt : imo quot ſunt, qui in altiſſima conniſi, cum jam jam apprehenſuri verticem eſſent, in præceps momento relapſi ſunt? ſalebroſa nempè via eſt, totque impedita difficultatibus, ut audaciſſimos quoſque, ſolertiſſimoſque deterreat. At percurramus tramitem hunc, cujus utramque ripam detonſa myrtus prætexit: ac per certa intervalla Nympharum omnium, quas antiquitas venerata eſt, ſigna ex alabaſtrite, qui lapis in Ægypto probatiſſimus, poſita ſunt : quæ, dum nos pertranſiebamus, placido riſu, nictuque oculorum excipiebant. In extremo tramite ampliſſimum aviarium quatuor columnis inſtructum aſſurgebat, cujus argenteum tectum, parietes ex ductili auro prætexti : in quo mira avium omnis generis varietas continebatur : qui ut propius acceſſimus, canere una cuncti, & numeris adeo concordibus cœperunt, ut nihil me unquam jucundius audiſſe confitear. Ex aviario ægre divulſi, in ſylvam ire cœpimus, ducente Æthiope, qui ſupra illarum gentium ingenium eruditus erat. Sylva & ipſa quadrata, duobus pariter tramitibus interſecta : tramites detonſæ cypariſſi, atque inſtar parietis complanatæ hinc, inde arctabant, & virentem ſimul, & opacam ſcenam præbebant: tota verò ſylva ea arte arboribus conſita, ut labyrinthi ſpeciem præſeferret : ex quo ſi-
ne-

ne Ariadnę filo te expedire minimè potuiſſes: tot verò cervis, capreolis, aliiſque cicuribus beſtiis refecta, ut quocumque te verteres, innumerum earum gregem vidiſſes: quas dum intenti ſpectamus: Hæ belluæ, inquit Æthiops, adeo dociles ſunt, dominæque juſſis obtemperantes, ut nunquam niſi vocatæ è ſylva prodeant: illas nominatim vocat, quæque appellata eſt, ad dominæ pedes venit, quæ poſtquam delectata, ut libuit, dimittit: nec belluas adeo cicures, ut hæ ſunt invenies: imitantur dominæ ingenium, quod illi mitiſſimum. Sed ſylva perluſtrata, ad ædes devenimus: at non quà in atrium, ſed quà in hortum ſpectabant, & quà elegantiores erant. Univerſi enim proſpectus ſtructura vario in marmore collucebat, ampliſſimique projectus ex Numidico facti: at columellæ, quibus præcingebantur, ex ſolido argento: quibus aurea poma pro coronide erant: mirumque in modum emicabant: ſuperior ædium corona peregrino ex marmore conſtructa, pulcherrimis ſtatuis exornabatur: gradus, per quos aſcendebatur, ex biſalte ſtrati, tam ampli, ac faciles, ut veſtigia fallerent: nec te ſurſum conniti, ſed quaſi per planum ire crederes. Tandem in aulam ventum eſt, quæ marmorato incruſtata quàm bellè erat, auroque interdiſtincta, variisque imaginibus egregiè depicta. Hic Europa à Tauro invecta, illinc Danaë viſebatur. Hic in laurum mutata Daphne, illinc equitans Delphino puer: aliaque hujus generis, quæ minimè honeſtam dominæ indolem arguebant. Hoc loco Lælius, cujus ſingularis dos verecundia fuit: Haud unquam, inquit, pati potui depravatos hujus ætatis mores, molleſque animos: ſiquidem nihil aliud videre eſt in principum virorum ædibus, imo & in privatorum pleriſque, quàm iſtiuſmodi imagines, quæ pudicitiam omnem evertunt. Atque ob id Mecœnatem noſtrum ſummoperè adamavi, quod ab hujuſmodi abuſu quàm maximè abhorreat: nihil hic niſi eruditum, niſi honeſtum ſpectare intuentibus datur: certè ſi feſtucam gererem, edicto caverem, ne tales unquam imagines pictores effingerent: qui ſecus faxit, in antipodes emandarem. Verùm omittamus aulam illam, à cujus intuitu ſcio te oculos ilicet avertiſſe: quid in procętone? Cui tum ipſe: Plurimi erant ex utroque latere, ſeſeque recto valvarum ordine excipiebant: primi Attalicis aulæis adornati: in quibus gigantum bella, inaneſque conatus, montes aggeſti montibus, intertexti miro opere ſpectabantur. Deorum fuga, latens in Ægypto Juppiter, totoque Orbe errantia Numina, Phaëthontis auſus, lapſuſque quadrigarum, & id genus alia, quæ veteres poëtæ commenti ſunt: reliqui verò oloſericis Phrygia acu variatis, ductilique auro

Imagines parum honeſtæ in aulis Principum deteſtandæ.

auro interdiſtinctis, tegebantur: in ultimo cubiculo, ſub purpureo conopæo gemmis variato, aureaque in ſede, pretioſiſque interſtricta lapillis, loci domina præter gentium morem ſedebat, quam duæ circum puellæ Æthiopiſſæ aſtabant: quæ byſſinis pallis mira arte laciniatis veſtiebantur: nuda brachia, nudumque collum crebra margaritarum ſerie præfulgebant: encauſto elaboratæ inaures, ternas ſingulæ uniones grandiuſculos, aureoque ex filo pendentes oſtentabant: criſpus capillus reticulo, cui ampliſſima è regione frontis penna erecta erat, tegebatur. Hoc loco Quintius: Num, inquit, iſtas Æthiopiſſas imitatæ id temporis noſtræ matronæ, quibus id genus tegminis mirè arriſit? Tum Mecœnas: Optimè animadverit Quintius: hunc ego, ut vocant, ſeculi genium nunquam probavi. Nihil profectò novi, inſolentis nihil eſt, huc à barbaris oris advectum, quod ſtatim ingens quaſi miraculum, expanſis ulnis non amplectamur: quàm benè Reipublicæ conſuleretur, ſi patria ſimplicitate contenti, antiquis moribus inſiſteremus: nihil enim eſt quod ad depravandos mores plus valeat, quàm barbarus cultus. Ipſa Romana fortitudo, quæ gentes penè omnes, etſi ferociſſimas, ſuperavit, Orbemque univerſum ſibi ſubjecit, victorum populorum luxu enervata, ac victa eſt: habeant barbari tales ornatus, quibus vincantur, nobis virtus ornamento ſit: commendetur vigor in nobis, luxum cum poëta barbaris objiciamus:

Matronarum cultus à patrio more abhorrens taxatur.

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis,
Deſidiæ cordi, juvat indulgere choreis.
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Sed quo vultu ſaga? nam non dubito quin talis fuerit: cunctaque præſtigiæ, quæ oculis cernebantur. Cui ego: Vultu erat aquilo, ut ſunt in Ægypto univerſi: ſed quam venuſtiſſimo: oculi cæſii, quos in Minerva vehementer Homerus celebrat: frons lata, ac levis, genæ nitidiſſimæ, labra paululum diducta rubebant: capillus promiſſus, ac niger: quem alba victa, gemmeis interſtricta oculis, alligabat: collum margaritis dives: quibus etiam nudi lacerti coruſcabant: medio in pectore ingens gemmarum acervus pendebat: inaures geminis carbunculis inſignes: purpurea chlamyde Phrygia acu, in aves, ac flores variata, amiciebatur. Atque hæc cum dicerem, adeſt ephebus, nunciatque magnates quoſdam adeſſe, qui viſendi gratia ad Mecœnatem advenerant: quibus ille aſſurgens illicò obviam ivit: nos, Vale dicto, domum reverſi.

CAPUT SEPTIMUM.

Quod reliquum itineris à deſerto Babyloniam uſque ſupererat; quæ in eo cum prædonibus mira acciderint, apud Mecœnatem enarrata.

PEr dies aliquot gravedine laboraveram: quæ mihi nares concluſerat, vocem obtuderat, ſiccamque tuſſim excitaverat: quo ego malo, gravedinoſus cum ſim, tota farè hyeme laboro: quo ex morbo cùm meliuſculè me haberem, diesque amœna amœnitate amœnus illuxiſſet, ad Mecœnatem, nempè ad delicias meas, meumque Apollinem ire conſtituo. Quia verò tum Lælius, tum Quintius neſcio quibus ſtudiorum tricis præpediebantur, Sextùm Nigrum, cui lætum ingenium, & naturalis quædam facundia, queis capiebar, me arctiſſimè devinxerant, accerſo: conductoque ciſio, ad Mecœnatem me confero. Sedebat ille in agrunda, libellumque neſcio quem perlegebat. Qui ſimul ac nos vidit, ex eo loci humaniſſimè ſalutavit, mox obviam veniens pro aulæ foribus, affabiliter eſt complexus. Et opportuniſſimus, inquit, veniſti: avebam enim ſcire quo modo te haberes: audiveram quippè phlegmatica te febri triduò ægrotaſſe: at rogo, ut excuſatum habeas, ſi te non inviſeram: nam & diſtentiſſimus domeſticis curis fui, & acerbiſſima etiam gunagra laboravi. Cui ego: Non me tua latet humanitas, & quantis me officiis amplectaris; hæc autem dicentes in agrundam pervenimus: & quoniam duas alias in ea ſedes jam ephebi paraverant, conſidimus. Ubi verò ad jucundiſſimum proſpectum ſeſſum eſt. Mira, inquit, me cupiditas tenet, quid tibi deindè apud ſagam illam acciderit, intelligere: quod ne tum cùm me noviſſimè conveniſti, exponeres, nobilium quorundam ex improviſo adventus, prohibuit: credo equidem te non ſine præſenti numinis ope evaſiſſe. Cui tum ego: Maximo certè in diſcrimine verſati fuimus: à quo nos bonus aliquis genius eripuit. Momento enim, quo id caſu factum neſcio, tum ædes, tum horti, cæteraque diſparvere: medioque in deſerto tanto horrore perſtricti, nos vidimus, ut vix ſpiritus relictus ſit. Mox confirmati, animo, ciboque refecti iter tota nocte, nam jam extabuerat, continuavimus. Circiter tertiam ab ortu horam ad quandam aquam perventum eſt: quia vero nos æſtus nimium vexabat, & longo delaſſati curſu cameli erant, commodum viſum eſt, ſi ibi fixo tabernaculo quieſceremus. Confeſtim igitur Achmetides unà cum camelariis tentorium po-

Quæ apud ſagam Auctori acciderunt, exponit.

poſuerunt, excuſſoque igne cibos parare ſolerter cœperunt. Ego quoniam tota nocte vix oculis ſomnum videram, dormiſcere primùm, mox demiſſo capite, arctior me ſomnus complexus eſt: tum illicò turbulentiſſimum menti inſomnium occurrit: videbantur adeſſe latrones, omnia corripere, noſq; captivos abducere. Deindè pugna, conflictus, vulnera, atque inſperata tandem libertas objiciebantur, Quibus viſis exterritus expergiſcor. Et quamquam non ego is ſim, qui præſtandam ſomniis fidem credam: ut qui anilibus ſuperſtitionibus non tenear: nihil tamen minus, quia malorum præſaga interdum mens eſt, & à Superis futurorum per ſomniorum viſa admonemur, angebar, inque contrarias partes animus diſtrahebatur. Ne verò ſociorum mentes præſagione malorum perturbarem, ſpem vultu ſimulabam. Et quando maturus eſui cibus erat, corpus refecimus: at majori animus refectione indigebat: illum tamen ea, qua poteram, conſtantia erigebam. Poſt prandium ad vaſa alliganda cæteri ſe applicuere: ego mecum quietus, quæ ſomniatus fueram, evoluebam: cum è longinquo ſex equites concitatiſſimis equis ad nos advolantes animadverto: quibus viſis non falſa, inquam, mihi per ſomnium viſa Deus immiſit, nec à reliquis dubitatum quin prædones eſſent. Quia verò impares numero, non vi agendum, quod Achmetides ſuadebat, putavi: ſed committendos nos eſſe arbitrio fortunæ: ita humanis comparatum, ut mutatis repentè vicibus, adverſis proſpera ſuccedant: & tùm maximè ſpem affulgere ſalutis, cùm deſperata jam re conclamatum eſſet: quin ipſa viſa lætum tragædiæ exitum portendebant. Vix nos aſſecuti, cùm deprenſo mancipio, in tantam iram exarſerunt, ut vix ictu abſtinuerint: fortaſſe, quia pro uno plures acciperent: deinde ad eſculenta converſi, famelici veluti lupi, cuncta devorare cœperunt. At Druſilla in uberrimas lacrymas effuſa, ſortem ſuam incuſabat, optatiuſque ſibi futurum ſi occidiſſent: nec ulla res magis eam, quam fidei, pudicitiæque jactura excruciabat: quam ego, etſi conſolatore egerem, ſolari pro tempore cœpi: ſumeret animos, & conſtantia præſentem miſeriam toleraret, omnemque in Numine, cui fides, ac pudicitia cordi ſunt, ſpem poneret: nec fidem ea invita, nec pudicitiam auferre prædones poſſe: etſi vitam tollere in ipſorum manu eſſet: ea animi non corporis eſſe, & quæ animi bona ſunt, potentiſſimus quamvis, eripiet nemo: nec ea labefactari vi, nec armis poſſe: quid ei pulchriùs? quid glorioſiùs? quid conducibiliùs, ſi tum vitam poneret, cum pro fide, ac pudicitia certamen foret? Si nunc eam prædones morte multaſſent, nulla ei laus futura

In prædonem incidit cum ſociis.

tura fuiſſet, nulla utilitas: nam id fugæ, perfidiæque pœna, non corona, ac triumphus virtutis extitiſſet: igitur non humili animo, ſed excelſo, ac forti eam ſortem, qua feliciorem optare non poſſet, amplecteretur: ſic immortalem gloriam, atque æternam beatitatem conſequeretur. Apud ſagæ illecebras timere oportebat, quibus facilè periiſſemus: nec ibi leve diſcrimen, a quo ſi nos ſuperi vindicarunt, fore ut etiam ab hoc eriperent. Vix hæc finieram, cum globum equitum ab Occidente modico curſu approperantem conſpicimus. Tum ego. Bono animo eſte: illi non certè prædones: ſed noſtri vindices: & ni meus me fallit animus, Europæi ſunt. Hoc loco Mecœnas: Ex ſomnii viſis facilis erat conjectura: nec dubito quin tales fuerint. Cui ego: Ita enim verò: quatuor Angli erant, duo Veneti, qui Babylonia Arſinoen petebant: quo brevi Anglica navis appulſura ex Indiis erat: ut autem tutius per deſertum irent Turcam ducem ab Ægyptii Pretore impetraverant. Prædones, ut eos venientes conſpicati, ilicet in equos inſiluerunt: magniſque minis nos ſequi, ac gradus grandire jubent: id ut venientes animadverterunt, illicò advolarunt ſuſpicati, quod revera erat. Inter Anglos unus erat, qui me Alexandriæ primùm, mox Babyloniæ viderat, ſciebatque me ſuis contribulibus perquàm familiarem: qui ſtatim Turcam adit, petitque ut nos à prædonibus vindicaret: id æquum eſſe, Prætorique, ad quem pertinebat, vias tutari, futurum acceptiſſimum; nec ipſi mercedem defuturam. Ille ſtatim Arabes aggreſſus, jubet nos dimittere, id Prætorem velle: imo & jubere. Illi negabant, noſque reos eſſe, quod mancipium ſubduxiſſemus. Inſtabat Turca, & quidem vehementer. At illi obſtinatè negare, imo & minas, atque arma intentare. Tum Turca, erat enim pro more gentis ſuperbus, atque impatiens, inque iram proniſſimus, exploſo ſclopo, quem gerebat, qui reliquis durior, ac percinacior obſiſtebat, proſtravit. Tum cæteri Arabes jacula expediunt, noſtri ſyphunculos, atroxque pugna exoritur. Verùm prædones cum igneis armis rem geri vidiſſent, non ſine vulneribus, fugam in interiora deſerti continuò capeſſerunt. At non incruenta ea pugna nobis fuit: etenim Druſilla ſive caſu, ſive data opera, leviter in brachio icta ab Arabe fuit. At cùm balſamo neſcio quo, vulnus Anglus perliniſſet, biduo convaluit. Nos poſtquam ſervatoribus noſtris plurimas gratias egiſſemus, Turcamque multa pecunia donaſſemus, Babyloniam verſus iter toto eo die, & ſecuta mox nocte, magnis paſſibus, nunquam intermiſimus. Hic Sextus: At non ſine ingenti ſollicitudine, ac timore, ne reverſi prædones, amiſſi

Ex quibus mox liberati ſunt.

ſocii

ſocii à vobis, pœnas repeterent. Cui ego: conjecturam ex te capies, ſuſpenſis auribus procedebamus, ſi fortè ſtrepitum aliquem exciperemus: quales lepores dum à venatoribus ſibi timent: at nullus unquam tota die excitatus, niſi fortaſſe, quem nos ipſi trepidi fingebamus, quod non ſemel accidit: quo ſtatim diſcuſſo, animoſiores reddebamur. Primo manè nos quædam villa multi referta populi excepit: in ea viſum tantiſper ſubſiſtere, viresq; reficere; quando jam ſecuri à metu prædonum videbamur. Hic ad Cauponam divertimus: erat amœniſſimus hortus, quem juxta meritoria taberna pro regionis more inſtructa, quam Ægyptius homo procurabat: hic nos in cubiculum prope hortum introduxit: & quoniam, inquit, defeſſi de via perveniſtis, lautius tractabo. Hic Mecœnas: Gaudeo, inquit, quod in tanta barbarie aliquid humanitatis reperiſtis: atque inter tot calamitates ſpes certa ſalutis affulſit: num verbis facta reſponderunt? Cui ego: Admodum: nam non ſolum lautè excepit, ſed qua geſtu, qua facetiis, quas Achmetides interpetrabatur, mirificè exhilaravit: quo circa totum eumdiem apud hominem deduximus. Sub veſperam nos ad iter accinximus: experimento docti commodius noctu iterfacere propter ſolis æſtum, qui vehementiſſimè exardebat: tota nocte nihil accidit memoratu dignum: tandem circiter tertiam ab Ortu horam Babyloniam pervenimus: Atque in id ſermonis mulſa allata eſt: quam dum libamus, ingens literarum faſciculus Mecœnati traditur: ſtatim ille ad perlegendas literas ſeceſſit, nos verò vale dicto domum reverſi.

CAPUT OCTAVUM.

Inter redeundum lepidum cujuſdam commentum narratum; utque in Ægypto in furno ova calefiant, pullique excudantur.

DUm una cum Sexto Nigro domum redirem. Quoniam, inquit, de Navigatione in Ægyptum apud Mecœnatem modo habitus ſermo eſt, ſine ut unum, aut alterum te interrogem, ne viæ tœdio afficiamur: ego enim ſic ſum, ut ægre taceam. Cui tum ego: Scio quidem ingenium tuum: at ſi eruditum colloquium, non vitio, ſed virtuti vertam. Etenim nihil magis eſt quod probem, quam doctum ſermonem: illo enim & ſublevatur ſimul, & eruditur animus: & erudito animo nihil præſtantius: nec quidquam ego inter bruta animantia, atque indoctos homines intereſſe puto. Et ille: Ajo enim vero: quare placuit mihi illud tuum,

quo

quo Bell. III. orditus es, & ſine quæſo, ut recitem: non enim id aucupandi gratiam, cauſſa facio: de qua non dubito: ſed ut genio indulgeam meo. Næ ego tetricus, tum ipſe, qui renuam: ſi tibi lubet per me licet: ille verò verſiculos memoriter recitavit.

Non etenim in pugnas pecudum de more, ſine ullo
Ordine permixtim, ut cæcus fert impetus, ut ſors,
Ire decet, divina quibus mens indita, & acrem
Vim quibus ingenii Dii conceſſere benigni:
Telum ingens validumque homini quo vincere quidquid
Poſſe datum, cunctiſque ſuper animantibus eſſe.

Nam ſi non utaris ingenio, nihil à bruto differs. At ego: Imo deteriorem eum brutis duco: nam in his plurimum valet natura, cujus ductu, magiſterioque quæ ſibi conducunt, facilè aſſequuntur: nos quibus natura ingenium largita eſt, non eam de nobis curam, neç ſollicitudinem gerit: quo circa, niſi nobiſmet ipſi conſulamus, perimus omnino: ſed age, quid tandem iſtuc rei, quod ſcire aves. Et ille: Audivi non gallinas in Ægypto, ſed homines pullos parere: id ego, numquam induxi animum, ut crederem. Cui ego: Prudenter feciſti, nam ſi ita in Ægypto, cur non etiam apud nos? num fæcundiores in Ægypto homines ſunt? Atque hic lepidum cujuſdam commentum in memoriam venit, quod audire operæ auribus eſt, imo & animis, ad eos enim exhilarandos plurimum facit. Quidam, ut de uxoris indole periculum faceret, eſſet nec ne prudens, ac ſilentii tenax; ovum clanculum pulvinari ſuppoſuit: cum verò evigilaſſet, accepto ovo, uxorem excitavit, & Accipe, inquit, mea Quintilla, hoc enim nomine appellabatur, decumanum ovum, quod hac ipſa nocte enixus ſum. Illa hilaris, ac læta, ovum accepit: & quoniam lecti calore tepidum: & eſt recens, inquit, nam adhuc calet, & verè decumanum: imo & Anſerino ſuppar: lætor mihi, tibique gratulor fęcunditatem iſtam. Et ille: At vide, ne ulli dixeris. Cui tum uxor: Næ ego ſtulta, quæ theſaurum manifeſtem. Sed quid? vix aſſurrexit, & ut ſunt fæminæ ad credendum leves, ità ad loquendum faciles, vicinam illicò accerſit. Et eſt, inquit, quod tibi ad aures credam. Cui vicina: Lapidi dixeris: tum Quintilla: Meus conjux hac ipſa nocte gemina ova peperit. Cui vicina; Itane vero! Et Quintilla: Imo veriſſimum. Benè eſt tum illa: lætorque tibi ex animo: utinam & maritus meus ova funderet: mox Quintilla dimiſſa, ad aliam accurrit, ſecretoque narrat Quintillę conjugem quatuor ova ea nocte emiſiſſe: breviter, ut compendio inſiſtam, ſerpente per viciniam fama, & creſcente pro more, vulgatum

Unde datus Fabulæ locus, in Ægypto non Gallinas, ſed Homines pullos parere?

Lepida fabella de Mulierum loquacitate, ac credulitate.

tum eſt Quintillæ conjugem una nocte centum non minus ova excudiſſe. Quanta omnium invidia, tu conjicies. Hic Sextus non ſine vehementi riſu; Lepidiſſimum hominis commentum: ut ſunt credulæ mulieres! ut quiſque res ſuas amplificat! Benè ego, qui vix cuique credo. Cui tum ipſe: Scitum illud Επιχαρμεῖον, Nervos, atque artus eſſe ſapientiæ non temerè credere: at prudenti viro, multiſque teſtibus non adhibere fidem, ſtultiſſimum: ſic enim humanam fidem tolleremus: qua ablata, commercium omne tollitur. Et ille: Vellem ut univerſi verum dicerent, ac ſincerè, ut priſci mortales, loquerentur. At ego: Id ut quam maximè laudabile, atque expetendum, ita obtineri difficile: ea in nobis ex vitiata natura labes, ut ad mendacia promptiſſimi: qui verò eam ſapientia, integritateque labem curarunt, nihil magis oderunt, quam mendacium: quod turpe etiam ingenui ducunt, quos inſita à generoſo ſanguine nobilitas ſinceros reddit: qui impotentes, ac miſeri, mendaciſſimi: nam cum ſuis viribus tueri non poſſunt, ſe mendacio obtegunt; atque idcirco fœminæ, puerique mendaciores: mercenariique omnes, & ut plurimum negotiatores, qui cuncta mendaciis fucant. Sed redeamus ad veritatem. Quod verum eſt, quodque detortum, atque amplificatum mendacio locum dedit, eſt hujuſmodi: In Ægypto non gallinæ ova fovent, tandiùque alis tegunt quoad ova nativo calore tepefacta crepent, pullique excudantur: ſed hanc ſibi homines curam demandant: furnos habent quamplurimos ad id factos, quos incendunt, certoque caloris gradu conſtituto, ova inducunt: quæ eo ſenſim calore tepefacta, quam breviſſimo tempore pullos emittunt, eoſque mox homines educant. Hic Sextus: Nunc intelligo: & veriſimile quidem illud: at ſi ita, ingens ibi pullorum copia. Cui ego: Rectè autumas: paſſim invenies, & vili væneunt. At illud ſanè per quàm lepidum, videre per urbes homines pullorum greges ductantes: quos ità pulli obſervant, ut paſtorem oves. Sunt etiam quidam, qui ſecum ſimiarum greges trahunt, uno omnes fune ligatos: canes item multos, aſinoſque, & capras: cumque his more circulatorum in ſingulis urbis foris, ac præcipuè, ubi major otioſorum numerus, tot luſus, & tam varios edunt, ut perridiculum ſit: tanta artis dexteritate, ut admirationi ſint: ſi talia apud nos ſpectacula exhiberentur, infinitus quæſtus circulatorum eſſet; tanta ad ea viſenda multitudo accurreret: talis enim hujuſce populi genius, ut facilè ludicris ſpectaculis detineatur. Atque hæc cum dicerem, nos janitor, qui præ foribus præſtolabatur, ſalutavit: & Nimis tardè, inquit. Nos

A vitiata natura Homines mendaces ſunt.

Quinam mendacio magis addicti, quive ab eo alieni?

Me-

Mecœnatis officia cauſati veniam petivimus : & in ſuum quiſque cubiculum ſe recepit.

CAPUT NONUM.

Quæ fuerint Ægyptiæ Pyramides, & à quibus poſitæ, earumque mira ſtructura apud Mecœnatem enarratum.

SEdebam quodam manè ad literariam menſulam, tantumque ſtudio, quo tum vacabam intentus animo eram, ut janitoris ſtrepitum, quo me tum clamore tum ferrearum tinnitu virgularum, tota domo inclamabat, nullo modo exaudirem: cum Lælius ad me convolat, & ſurge, inquit, illicò: nam te conventum Mecœnas expetit: nec ſtrepere ceſſat janitor : tum ego confeſtim aſſurgens una cum Lælio ad januam deſcendo, atque obvius Mecœnati eo. Ille, ut me vidit: Parce, inquit, ſi te Muſis diſtraxi, præ quibus tu curas neminem. Cui ego: quæſo, ut des mihi veniam; nam tanta animi intentione literis incumbebam; ut nec vocantis clamorem, nec ferri tinnitum exceperim. Neque id ego ſuſpicari poteram: nam ſi vel levis ſuſpicio fuiſſet, expectaſſem hic à primo diluculo. Et ille: Omittamus officia: quibus nec ego, nec tu afficeris: ſimplicem non in ſcribendo tantùm ſtylum amo, ſed etiam in tractando: quò enim ſimplicior cunctis in rebus natura, eò etiam gratior eſt. Et quando hic dies à ſtrepitu diſcipulorum vacat, ſilentque hę porticus, eamus ad relaxandum animum. Cui tum ego: Faciam quando jubes : atque diem hunc gemma ſignabo: interque beneficia, quibus me ſemper complexus, ponam primo loco. Aſſumpto igitur Lælio, qui aderat, cum Mecœnate Leucopetram, ubi jam adornari prandium juſſerat, deferimur.

De Pyramidibus ſermo habitus.

Dum autem quadriga vehimur, ita me Mecœnas interpellat : Vidiſtin celeberrimas illas in Ægypto Pyramides, quæ inter prima orbis miracula ab antiquis poſita fuerunt? Cui tum ego: Vidi equidem: verùm nihil abfuit, quin illis prætermiſſis, Babylone diſcederem. Vix enim poſt tot ęrumnas, ac pericula Babyloniam tenueram, cum commoda ſe occaſio petendi Alexandriam oblata eſt: in eam enim urbem quatuor Europæi profectionem adornabant : eam vero occaſionem ne paterer è manibus elabi Achmetides hortabatur: ſuadebat etiam Druſilla, preceſque plurimas adjungebat. Quibus ego: Non faciam, ut ex Ægypto concedam, antequam Pyramides viſem; quarum gratia plures in Ægyptum ſe

ſe conferunt : evanuere jam turbines, ſyrtes, ac vada ſuperata , tutusque nos portus excepit : non ampliùs latrones timendi , non ſolitudines perluſtrandæ : nec in dies occaſio deerit, qua commodè Alexandriam petamus. Id verò, quod me acriùs angebat erat inopia pecuniæ : ſine qua nihil omninò benè. At Druſilla , id intelligens ; Quando, inquit, miraculo factum eſt : ut inter tot , ac tam rapaces prædonum manus hæ gemmæ ſervarentur ; utamur illis : parva quidem jactura, ſi illis diſtractis, incolumem me parentibus reſtituam ; imò ſtultum his parcere , ex quibus , ſi pereas, nulla tibi utilitas futura ſit. Ego laudato illius animo , Veneto mercatori diſtrahendi gemmas negotium committo. Pręſtitit ille, tanto noſtro emolumento, ut plurimas illi gratias agere noſtrarum partium eſſe duxerim . Poſtera die conductis, ſit honor auribus , aſinis , duceque aſſumpto iter aggredimur : Hoc loco Mecœnas , & ipſe honorem præfatus: Cur, inquit, potius aſinis, quam equis? Cui ego: Ita mos gentium illarum fert . Etenim rari quoniam in Ægypto equi: qui verò ex Arabia afferuntur cariſſimo vęneunt; idcirca aſinorum plurimus uſus. Sunt verò adeo expediti , ac robuſti , ut non multum equos deſideres : & eò præcipuè, quod nativa manſuetudine præditi: etſi interdum Majo menſe, cùm, ut ait poëta, calet calor oſſibus, & ipſi ferociant. Horum ingens Babylone numerus: paſſimque in triviis reperiuntur: uti apud nos Sebethi ad pontem, ad Terducium, Reſinæ , Herculanoque ſtant quotidie conductitii : eos ut plurimum puer ducit. Nam propter urbis vaſtitatem , non facilè adiri loca , conficique negotia poſſent , ſi pedes eas: quocirca hiſce jumentis utuntur. Atque hinc videre licet innumeros tota urbe curſantes aſinos, quos puer agaſo identidem ſtimulat : quantoque ipſe valet curſu conſequitur: quod advenis perridiculum viſu eſt . Non enim plebeji tantùm , ſed univerſi , ſi Prætorem excipias , aſinos adhibent. Eſt & illud etiam commodi , quod multitudini non officiunt, quæ ut ſuperiùs dixi infinita pęne eſt. Utinam apud nos hic etiam barbarus uſus, quando plurimi recepti, teneretur : percommodè enim , & ſine periculo progrederemur: tot enim id ætatis quadrigæ, tot ciſia, ac plauſtra, tot onuſta jumenta per vias occurrunt, ut vix ſine diſcrimine, nedum incommodo ire per urbem conceſſum ſit : Hic Mecœnas . Num idcircò , inquit , tu raro pedem domo effers? Cui ego : Rectè conjectas. Et ille. Hic uſus primum videretur perridiculus : at ubi invaluiſſet , ne mirus quidem: at tu iratus nimium in tot viarum præpedimenta . Fateor , tum ego : ſed juſtus dolor . At verò iram concoquamus:

Rari in Ægypto equi.

Aſinorum uſus apud Ægyptios.

lepidumque factum accipe. Pridie quàm Babyloniæ vale di-cerem, Gallus mercator, qui magna in gratia, tum inter Europæos, tum inter Ægyptios erat, & opibus quam ditiſſimus, Peluſium conceſſit; ut inde in Cyprum navigaret: quem cùm honoris cauſſa comitari in egreſſu amici vellent, ſinguli primo manè ad illius domum convenere, numero ad centum: cuncti elegantioribus ſe veſtibus induerant; pileisque, & gemma, & peregrinarum avium pennis inſignibus, gladiosque ſuccincti more patrio. Turcæ & genere veſtis, & patrio acinace, & ſuperbiſſimo item galero, pulchriores præ cæteris mihi viſi ſunt: mox ubi Gallus cunctos excepiſſet, & ea qua gens plurimum valet humanitate gratias egiſſet, aſinum conſcendit, qui equorum more frænatus, ephippium etiam gerebat, nec mora, univerſi ſuos in aſinos miro modo ornatos inſiluere: longoque agmine ire bini cœperunt, tam ſerio, atque ea, qua Turcæ reliquos ſuperant gravitate, ut mihi intuenti quam maximè ridiculum viſum fuerit. Nec ſanè lepidior haberi ſcęna apud nos eo tempore potuiſſet, quo ante magnum jejunium, Baccanalia celebramus. Nempè adeò varius mortalium genius eſt: nec quidquam tam inſolens, quod alicubi non frequens ſit.

Feſtiva quædam in Aſinis equitatio honoris cauſa deſcribitur.

Feſtiva quidem equitatio, tum Mecœnas: At mihi crede, cuncta quæ in humanis, mera quædam apparentia, ac ſcęna ſunt: nos opinione noſtra, & pretium rebus, & ſpeciem facimus, quodque uſus recepit, putatur optimum, quod reſpuit, non ità: antiquitùs ſimplices mores uſuſque amabant: noſtra ætate, illa exploſa, fucum, ac mendacia ſectamur At ne verè excidamus ab aſino, ut ajunt, ad propoſitum revertamur: quid nam poſtea? Cui ego: Contendam illicò ad id: tranſmiſſo juxtà veteris Babyloniæ ruinas, orientali primum Nili alveo, deindè occidentali (nam hic eam Nilus inſulam facit, de qua alias mentionem feci) eo genere navium, quo Ægypti utuntur: alios mox canales vadavimus: qui tempore inundationis pleni currunt, reliquo anni tempore penè ſicci. Ultra hos canales, ſive rivos mavis dicere, veterum Ægyptiorum ſepulchra erant. Eſt autem vaſtiſſimus campus ad Occidentem Nili, crebris prope fluvium iſtiuſmodi rivis interſciſſus: & veriſimile eſt etiam circa Pyramides olim Nili aquam canalibus manu factis defluxiſſe. Refert enim Diodorus Siculus V. circiter paſſuum millia à Nilo Pyramides erectas fuiſſe: quæ id temporis XII. paſſuum millia ab eodem Nilo abſunt: quocirca facilè crediderim, magnum ea ætate alveum, arte ductum per ea loca confluxiſſe: quem ille pro Nilo accipiebat. Imo, ut idem tradit, circa Pyramides ingens lacus erat, à Rege

Myri

Myri excavatus : qui in præſentia unà cum univerſis penè rivulis aruit , monumentaque omnia eruta : nec quidquam vetuſtatis præter Pyramides extat ; cumque non ampliùs ad ea ſe loca excreſcens aqua convectet , ſterilia ſunt , ac vaſtitatem præferunt, ut cætera ſunt , quæ longiùs amne abſunt. Hic Mecœnas: At olim fertiliſſima . Cui ego: Id ex eo, mea quidem ſententia, proveniebat , quia antiqui incolæ, ut qui induſtrii pluribus canalibus manu factis ad interiora loca Nili aquam deducebant : qua irrigati deindè campi mira feracitate luxuriabant : nunc Arabes, ac Turcæ, qui ea loca incolunt , hanc non adhibeant induſtriam , utpotè qui deſides, ac minimè laborioſi ; quapropter neutiquam mirum ſi non tanta ſoli feracitas: quod niſi aſſiduo hominum labore excolatur, ſterileſcit . Verum illud ſcitu dignum , & quod mihi omittendum non duxi : omnia circum ea loca ſepulchrorum refertiſſima : in quibus tota Memphis contumulabatur: demortuorum cadavera cymbis deferebantur: qui verò nauta cymbas agebat, antiqua Ægyptiorum lingua, ut author eſt Diodorus, Charon vocitabatur. Atque hinc occaſionem comminiſcendi Græcos accepiſſe , docti tradunt ; fabulamque natam de Stygio flumine , & portitore Charonte : fluvium autem lethen : unum ex Nili ramis vocatum autumant. Verum cum lethe fons ſit in Græcia , aptius dicetur, ſi Cocytum potius, aut Phlegethontem eos fuiſſe rivos putemus: Primus autem, qui hæc apud Græcos finxit, creditur Orpheus , qui primus in Ægyptum peregrinatus eſt , & carmine plurimum valuit : cecinitque ante Homerum . Hic Mecœnas : Eruditum quippè , nec certè letheo flumine obruendum ; & Lælio huic non dubito quin gratiſſimum acciderit , quippè adoleſcenti eruditionis amantiſſimo. Cui Lælius; Ita verò : at gratias tibi ago quamplurimas, quod perhonorificè de me ſentias. At ego: Atqui audite modò ; eſt aliud , quod ſcire operæ pretium erit . Et Mecœnas: Hic ſtamus , ut pro Lælio etiam ſpondeam ; cujus ſumma in magiſtrum obſervantia : verum ſcias non me ab illo hac parte ſuperari ; tanti te æſtimo. Cui ego: Tua benevolentia facit, ut tantus tibi videar: cæterum qui ſim, non adeò ſtolidus, qui neſciam : ſed contendam , quod inſtitui. Mos erat apud Ægyptios, ut qui caſu aliquo extra patriæ lares ſicubi demortui eſſent , eorumque corpora inſepulta remanſerant: minimè liceret talium cadavera trans fluvium , lacumque ad ſepeliendum deferri : hinc conficta à poëtis lex eſt , nulli abroganda , ut qui inſepulti fuerunt, minimè ad alteram Cocyti ripam , trans Stygiam paludem, quæ lacus ille circa Pyramides, haud dubio, erat , devehe-

Loca, ubi Pyramides , ſepulchris refertiſſima,

Qui primus apud Græcos Charontem , Cocitumque finxit?

rentur. Et quia Ægyptii ſummo ſtudio in eo campo trans Nilum humari præoptabant, vehemens illud animarum deſiderium transſmittendi fluvii, Virgilius commentus eſt lib. VI. ubi ait:

Gentium pęne omnium ſtudium, atque cupido tumuli.

Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcant.

Id verò fervens tumuli ſtudium, atque cupido, gentium pęnè omnium fuit: imò quidam Americæ barbari, honoratiſſimum parentibus fore arbitrabantur, ſi filiorum viſceribus tumularentur: idcircò eos devorabant. Tum Mecœnas: Verum hic ut barbaricus honor, ita immanis, & effera conſuetudo: ſed ad Pyramides veniamus: quæ, ut facilè ex hactenus dictis capi conjectura poteſt, ſepulchrorum vice conditæ ab antiquis Regibus illarum gentium fuere. Cui ego: Rectè intelligis: veteres enim, qui in Ægypto regnarunt, adeò gloriæ appetentes, tantoque ſtudio nominis immortalitatem quæſivere, ut nulli cultarum gentium, quarum proprius hic ſtimulus fuit, unquam ceſſerint: idcircò immortalia eſſe monumenta, quibus jam vita functi conderentur, eſſe voluerunt. Quia verò ſupra omnes ædificiorum formas ad immortalitatem aptior viſa pyramis eſt: hanc monumenta figuram accipere juſſerunt. Et ſanè ſi moles, ſtructu ra, lapis ſpectetur, meritò inter terrarum orbis miracula primo loco Ægyptiæ Pyramides numerandæ. Baſis quadratæ longitudo eſt paſſuum CCCL. (etſi aliæ minores, nam non omnes æquales, CCC. numerent) altitudo eſt graduum CCL, minorum verò CC, gradus lati palmos duos noſtrates, alti quatuor, qui gradatim uſque ad verticem aſcendunt: ſtructura, etſi primo non videatur elegans, quippè iis ornamentis vacans, quibus uti noſtri conſueverunt; nihilominus attentis animis meditanti mira oppido apparet: nam videre enim eſt immenſas lapidum moles, tam fabrè quadratas, atque inter ſe connexas, inque tam excelſam altitudinem, non niſi immenſis machinis evectas, ibique ad unguem collocatas, ut adhuc immotæ poſt tot ſæcula perſiſtant, magnæ quidem artis, ſumptuſque immenſi. Neque mirum ſi ea ornamenta neglexerunt, quibus ætas noſtra plurimum inſudat, nam illi non pulchritudinis rationem, ſed perennitatis habuerunt: quapropter inſtar montium, qui perpetui ſua mole, ac figura manent, illas extruxerunt. Lapis marmor eſt: cujus etſi ingens in Ægypto copia, & per Nilum, latoſque campos commodè etiam è longinquo advehi potuiſſet; quia tamen tam vaſti, & graves ſunt, vix concipere queas, quo pacto ferri, & quod majus eſt, attolli potuiſſent. Hoc loco Lælius. Mirum oppido, fateor: ſed nihil humano ingenio inauſum, ſi ad artis inge-

In America Filii Patres devorant, ut honeſtius ſepeliant.

Pyramides Ægyptiæ inter terrarum orbis miracula recenſendæ, deſcribuntur.

ingenium magnorum Regum potentia accedat : qua in re Romani minimè Ægyptiis poſthabendi , qui plurima , quæ tanto conatu, ac ſumptu Ægyptii celebrarunt, Romam non minori vel impenſa, vel induſtria transduxerunt . Non inficior, tum ego : Verùm opus tantæ molis , tantæque perennitatis , tam multiplicem , tantamque in unum congeſtam marmoris copiam haud equidem apud Romanos reperies . Sed redeo ad Pyramides , de quibus non rectè Martialis :

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphys.

Quando de his nulla ſæcula reticuere : quod autem tanta ipſe pompa celebravit, pauciora ſæcula obruere . Sed mittamus poëtarum ironias, quibus uti hiſtorico turpe ducitur. Et ſanè non ſatis mirari potui januæ ſtructuram. Siquidem ſeptem vaſti lapides ex duriſſimo marmore , quorum quilibet major eo eſt, qui Romæ in Pantheone viſitur, foribuſque pro Epiſtylio , Architrabem nos dicimus , impoſitus : qui lapides in altum educti , atque examuſſim compoſiti , arcum , fornicemque januæ conſtituunt . Ex janua , per quam ingreſſus in pyramidis centrum , ubi demortuorum corpora collocabantur , longiſſima via patet : cujus etiam compago mirabilis, multæ artis, ac magiſtræ opus. Eſt autem quadrati inſtar putei: non recta ad imum tendens, ſed acclivis , ac perdifficilis , & adeò præceps , ut ſine periculo adiri vix poſſit: idque factitabant, ne quis ad inter turbandam mortuorum quietem crebrò deſcenderet : atque ob id , condito cadavere , eiſdem lapidibus occludebant : cumque univerſi ejuſdem figuræ , ſtructuræque eſſent ; haud equidem aditus reperiri facilè poterat ; ni fortè tota pyramis diſſolveretur. Hic autem trames, in quem non niſi accenſis facibus penetrare licet: nam nullam ea parte lucem accipit, patet longitudine paſſibus fermè CC. non enim ex ſuperiore pyramidis parte rectus in ejuſdem gremium , ſed acclivis extentus . Eſt autem ipſe rectiſſimus , quaternaque lapidum ſerie compingitur: quarum prima tectum exhibet, ſecunda pavimentum : duæ reliquæ latera claudunt : illius tanta latitudo , atque altitudo eſt , ut unus tantùm vir, nec recto , ſed incurvo corpore incedere valeat : idque ex eo factum, arbitror, ne facilis cuique aditus eſſet. Lapides tam vaſti , ut quidam triginta palmorum noſtratium longitudinem æquent, ut mirum ſanè ſit qua arte locati fuerint. Ad ultimum tramitis caput , cella quædam inſtructa eſt: eamque ad aſſumendum ſpiritum poſitam crediderim : & ſanè neceſſe erat , ut poſt immenſum laborem , in difficillimo, ac prærupto deſcenſu exantlatum, locus aliquis reſpi-

randi

randi foret. Hoc loco Mecœnas: Perbenè maduiſti? Cui ego: Propemodum: nam inceſſus ille incurvo corpore maximè laborioſus, difficultas incedendi propter ſaxa quædam, quæ ex ſuperiore tramitis ore deciderant, viam præpediebant: facium calor, hominum halitus, tantum ſudorem elicuerunt; ut totus diffluerem: at viſendi cupiditas laborem allevabat, ſudoremque abſtergebat: nempè nihil homini arduum eſt, quod cupidine aliqua arripitur. Verùm accepto jam ſatis aëre, redeo ad laborioſiſſimum iter. Benè facis, tum Mecœnas: id enim abs te expectamus. A cellula, tum ego, in quam multa tandem defatigatione perveneram, incipit ad lævam trames alter quam perdifficilis, ac perarduus, ſurſumque protenditur: quando ex eo loci in ſuperiora iterum aſcenſus eſt: noſtræ clymacis ſpeciem refert: niſi quod trames hic non rotundo flexu, ſed angulari finitur. Eſt autem in ipſo ſolido pyramidis corpore inſtructus, immenſis lapidibus affabrè diſpoſitis: qui plures ordines componunt; quorum ſuperior inferiore magis prominet: ſenſimque arctantur: cellulamque, & tramitem efficiunt: de quo modò dicebam: in quem non per gradus aſcenditur: ſed hinc, inde marmore tali extructi: quos utraque manu apprehenſos tenens, atque inhærens, ſurſum enitaris oportet, idque perdifficile, adeo declives ſunt, inferiùs autem utroque in latere, duo foramina, quibus pedes aſcendendo ponas: uti apud nos in puteis fit: in quibus foramina gradatim excavata graduum inſtar ſunt. Eſt & illud incommodi, quod plus juſto diſtent, quapropter neceſſe eſt crura diducere, ut pedes longiùs extendas: quod non ſine magno incommodo, ac defatigatione efficitur. Hoc loco Lælius: Num, inquit, antiqui Ægyptii ſtatura grandiores? Cui ego: Veriſimile id quidem: atque ex hoc deduci commodè poteſt: ni id factum, ut difficilior aditus redderetur. At Mecœnas: Ego, inquit, veſtra pace, id factum ex eo arbitror, quod Ægyptii diductis cruribus naſcerentur, ut ait Ariſtoteles, & tu id ipſum in Autumnis Surrentinis affers. Cui ego: Doctè, tu quidem rem acu tetigiſti: ſed pergamus porrò. Superato hoc tramite, qui longulus, atque altus excurrit, in cubiculum intratur, ubi defuncti cadaver condebatur. Eſt autem illud oblongum, patetque longitudine pedes XXII, latitudine vero circiter XL. quod verò mirum oppidò in eo eſt, ſeptem, non ampliùs planis lapidibus componitur planus & ipſe fornix: ita vero poſiti, ut pars illorum parietibus hæreat, pars tectum efficiat: tam fabrè, atque examuſſim connexi, quadratique, ut tectum quam maximè planum, ac veluti lævigatum appareat: ſepulchrum in extremo

Ægyptii diductis cruribus naſcuntur.

mo ſitum : eſt autem ingens urna ex Thebaico lapide, qui porphyrite durior; ut ne duriſſimo quidem malleo, ac ponderoſiſſimo, fragmentum excindas: ſonumque reddit, qualem æs Campanum ſolet, imo & gratior auribus aſſonat. Urna ſola manet, ac ſine operculo : id ex eo, ajebant indigenæ, quia Rex ille, qui ſuperbiſſimum illud ſibi monumentum paraverat, tumulatus in eo non fuerit : quando id mortalium fatum eſt, ut ne de ſepulchro quidem certi ſint : atque ex hoc etiam eſſe quod aditus patuiſſet: qui in reliquis Pyramidibus, quæ plurimæ ſunt, deprehendi non poteſt: adeò connexi inter ſe lapides uno omnes modo, atque arte ſunt.

Tandem ex munifico ſepulchro egreſſi, in dium aërem, ut ait poëta, redditi: & certè oriri mihi iterum viſus ſum, at ſtatim cupido inceſſit, in ſummum Pyramidis verticem conſcendere: nempè numquam expletur curioſitate animus: quæque priùs viſa, acres ad alia exploranda ſtimuli ſunt. Non autem difficilis is aſcenſus erat, etſi laborioſus : nam ita lapides locati, ut ſenſim tenuati vacuum ſuppoſiti ſpatium quaſi gradum relinquant: alacres igitur cuncti in ſuperiora conniſi, editiſſimum in verticem evaſimus: ex quo pulcherrimus ante oculos proſpectus nobis exhibitus. Videbamus mare, longiſſimum Nili tractum, immenſamque penè Ægypti planitiem : quo ego conſpectu mirificè delectatus. Ubi verò deſcendimus nos dux itineris ad viſendam Sphingem produxit. Eſt autem ingens ſaxum ea forma, qua Sphingem pingunt, inſculptum : mirabile quidem pulchrumque viſu opus : at totam videre non datur, adeo enim circum arena excrevit, ut jam ſemiſepulta ſit: nec niſi humanum caput, collumque atque humerorum pars, dorſique videantur. Hoc loco me ità Mecœnas interpellat: Advectum ne aliunde ſaxum, an eo loci mons natus? Cui ego: Id difficilè judicare propter immenſam circum, ut dicebam, arenam: quia verò arenoſum univerſum circa ſolum, aliundè devectum crediderim : quod ſi ita : magna quidem potentia, magnis opibus, magnis machinis opus fuit. At Mecœnas: ſed quid mirum: ſi Ægyptum, & populorum refertiſſimam, & auri ditiſſimam fuiſſe hiſtorici omnes perhibent. Atque hæc ubi dicta ſunt, nos tandem Leucopetra excepit: & quoniam inſtructa jam menſa, cunctaque edulia eſui matura, conſedimus.

CA-

CAPUT DECIMUM.

Poſtquam baſilica apud Mecœnatem menſa tractati ſumus, ſuſcepta de Pyramidibus narratio, continuata, deque mortuorum cadaveribus ſermo habitus.

UBi jam ſecundis menſis celebratis, aquam manibus ephebi effuderunt: nos Mecœnas rogat, num meridiari vellemus? Cui ego: Faciemus, quod juſſeris: ſi tibi meridiatione opus, nos etiam ſomnulum capiemus: ſin minus, id etiam nobis percommodum. Tum ille. Tuus mihi ſermo, non calamiſtratus, nulloque imbutus fuco, ſed ſua ſimplicitate ſatis dives, omni ſopore dulcior; idcirco, quæſo, ut quod ſuſceperas, ilicet exequaris, retexe igitur telam, nec fili invenire caput perdifficilè. Cui ego: Geratur hic tibi mos: & eo præcipuè, quod ad cibum coquendum plurimum ſermo valeat. Attendite igitur: luſtrata jam Sphinge: quoniam dies extabuerat, in pagum quendam pergimus, cui *Abuſiro* barbaris nomen. Hic Lelius: Num antiquæ Buſyridis reliquiæ? quam magnam in Ægypto urbem olim fuiſſe accepimus. Cui ego: Non defuit, qui ita opinaretur: ſed perperam: nam Buſyris intra Deltam fuit, inque illius gremio, ut Author eſt Diodorus. Hæc vero villa extra eſt, atque ad ſuperiorem Ægyptum ſpectat: Hic ea nocte pernoctavimus: & quoniam defatigati, ac penè elumbati, altiſſimè indormivimus. Orto mox ſole, aſſurreximus, ſtatimque ad viſendas alias circum pyramides, quæ plurimæ per eam planitiem ſparſæ, etſi minores reliquis, conſpiciuntur. Has verò Mumiarum vocant: ea enim circum loca hæc cadavera eruuntur. Sunt autem Mumiæ antiquorum Ægyptiorum cadavera, quæ miro quodam bitumine condiebantur, ne putreſcerent: multis mox faſciis, aliiſque pannorum involucris involuebantur: atque in hunc modum ſepulchro, eo in campo, mandabantur: ſoliti quin etiam in illiuſmodi faſciis Ægyptiis literis, quas hieroglyphicos vocant, demortui genus, virtutes, nomen, veluti epitaphium, inſcribere: his vero ſepulchris totus ille campus occupabatur. Campus verò maximè aridus, ac ſabuloſus, quæ ſiccitas, mea quidem ſententia, ad vindicanda è corruptione cadavera, quæ humore facilè corrumpuntur, maximè conducebat. Hic Lælius: Non omnes in pyramidibus locabantur? Minimè, tum ego, neque id omnibus propter immenſos ſumptus facilè erat; Reges tantum in eas, quique regii ſanguinis, primique principum virorum, quorum multæ opes, inſigni illa fune-

Buſyris urbs antiqua ubi ſita ſit.

Quid ſint Mumiæ.

ſuneris pompa inferebantur : cæteri ſimplici cultu humi condebantur iſto modo : in ſterili, ac ſiticuloſo circum campo innumeri penè putei excavati erant, ac profundiſſimi quidem illi : ſingulique, ut arbitror, ad ſingulas familias pertinebant; quarum impenſis facti, ut etiam apud nos in privatis tumulis factitatur. Imoque in puteo varia circum loculamenta, quaſi ſepulchra inſtruebantur, ut apud antiquos mos fuit : & paſſim Puteolis præcipue via Campana viſuntur : in his corpora locabantur, atque arena integebantur : qua mox totus puteus opplebatur : ingeſtaque ſuperius plurima item arena; difficile deinde erat os putei reperire. Atque hæc corpora, quæ lucri gratia multo ſtudio à villicis quæruntur, èque profundiſſimis illis puteis in lucem iterum educuntur, Mumias vulgus appellat, quæ, quoniam prodeſſe morbis credunt, in varias terræ partes diſtrahuntur. Hoc loco Mecœnas: Licuitne tibi integrum hominis cadaver inſpicere? diſtractas ego particulas vidi ſæpe. Cui ego : Plurimi ad nos villici confluxere rogantes ſi ad veſtigandas Mumias ire in animo eſſet, ſe libenter ſuam operam locaturos : ego, quoniam id multi temporis eſſe, & non mediocris impenſæ audiveram, reſpondi, mihi tantum non ſuppeditari temporis, ac pecuniæ : inſpecturum tamen libentiſſime, ſi aliquam jam erutam in promptu haberent: neque id illis ſine præmio ceſſurum. Illi negarunt: quocirca ad viſendos puteos, qui jam excavati, ac vacui erant, me confero. Pagani ad ſua unus poſt álium, ut ſit, dilapſi : duo tantum nos ſecuti, quaſi per otium : ut verò reliqui, jam ſe è conſpectu ſubtraxerunt, ad Achmetidem converſi : habere ſe, inquiunt, duas elegantiſſimas Mumias, quas nobis contemplandas exhiberent, dummodo id ipſorum lucro cederet. Quod cum ad me Achmetides attuliſſet, ſtatim pacta pecunia, ad viſenda ea cadavera proficiſcimur : occultaverant ea pagani in caſa quadam ſemiruta non longè à pago nè reliquis innoteſcerent : ea enim apud illos lata lex eſt, ut quæ ab hujuſmodi cadaveribus pecunia corrogaretur, qua plerumque victitant, in commune collata, in ſingula mox capita divideretur : idcirco ſi quid occulere poſſunt, non omittunt; quando nulla pene gens, apud quam, non ſuum fraudes locum habeant: imo vulgus callere fraudes artem putat, honeſtiores prudentiam vocant : adeò à ſimplici illa primævæ ætatis ſimplicitate deſcivimus. inverſiſque vocabulis vitia tegimus : ſed ne longè à propoſito divertam; Cum diu per arenam; extra publicam viam, ne deprehenderemur, non ſine magno labore progreſſi eſſemus, ad tuguriolum tandem illud devenimus.

R Hic

Hic pagani circumflectentes oculos, ſi quis nos obſervaret, attentè ſpeculantur: cumque ſub obtutum caderet nemo, caſam ſubimus, in ea ſub arena, qua totum pavimentum altè obrutum, gemina cadavera tegebantur: quæ illico educta præ noſtris oculis locavere. Primum, quod inſpeximus viri erat: lineiſque pannis ſtrictiſſime involutum: quæ faſciæ bitumine conditæ una cum cadavere duraverant: inſuper totum corpus magno, lineoque amictu undiq; tegebatur: qui totus fere pictus, ac inauratus, arctè aſſutus, illitus bitumine, plumbeiſque ſigillis circum circa obſignatus: quæ cuncta illuſtris mihi viri argumenta videbantur. In ſuperiore corporis parte, quæ ob pannorum multitudinem plana erat, humana effigies appicta, juvenemque referebat; nec dubium quin defuncti imago eſſet. Quæ tot circum ſignis, caracteribus, hieroglyphiciſque tanto colore, & tam vario, tantoque auro interdiſtincta, atque exornata, ut pulchra æquè, ac mirabilis viſu eſſet: veſtis longa, atque ad talos uſque demiſſa: eoque ex panno, ac forma, qua uſos fuiſſe antiquos Ægiptios narrat Herodotus. Etſi hujus de mortui album lineum, & ſignis interpictis, & aureis maculis interſtrictum, quod honoris gratia cum defunctis factitatum crediderim, cerneretur. Caput aureo item operimento, gemmiſque diſtincto tegebatur; ex quo capillus niger, & criſpus prominebat: cui ſimilis barba, etſi rarior: oris color, ut manuum ſubniger: ex quo deduxi hunc hominem non ex inferiori Ægypto, præcipuè Delta, ubi homines ad vineum vergunt, ſed ex ſuperiori fuiſſe: ubi incolæ Æthropibus, quibus contermini, ſimiles criſpo capillo, ſubnigroque colore naſcuntur. Aureum ex collo pendentem torquem gerebat: ex quo juxta pectus, quaſi gemma, aureus orbis dependebat, in quo inſcriptæ literæ, inſculptaque ſigna quædam nobis omninò incognita: orbis ipſe, in avem effictus viſebatur. Hoc loco Mecœnas Facile crediderim virum iſtum, cujus appictam imaginem deſcripſiſti, unum ex Ægypti Prætoribus, aut Judicibus extitiſſe. nam hi, ut Diodorus refert, iſtiuſmodi torquem gerebant, ea verò avis veritatis imaginem præſeferebat. Cui ego: Erudite, & veriſimile quidem illud. Dextera, ut ad narrationem redeam, auream pateram tenebat, rubro liquore plenam ſive id ſanguinem, ſive vinum, quod vero ſimilius eſt ſignificaret: & ſacrificii alicujus libamen prænotabat. Siniſtra (cujus index, & ultimus aureo annulo in articulo juxta unquem inſigniti) ſuboſcurum neſcio quid oviforme ſtringebat: quod ni tum mea me opinio fefellit, ei fructui perſimile videbatur, quod inſanum malum appellant: neque

Malum Inſanum Preſerpinæ ſacrum.

neque id myſterio vacat. Atque hic ſtatim Mecœnas: Num, inquit, quia pomum illud Proſerpinæ ſacrum apud Ægiptios foret? Cui ergo: Affirmare non audeo, negare ne id quidem. Crura, & pedes nuda: horum tamen plantæ nigris ſandaliis regebantur: è quorum ſoleis niger filus eductus, perque majorem digitum, proximumque tranſiens, geminis fibulis, quæ plantis aſtrictæ colligantur, adnexus pedi ornamento eſt. At verò quod curioſius, relatuque dignius mihi viſum, attentiſque animis adnotavi, id eſt, quod jam jam adjungam. Faſcia quadam ampla veluti cingulo præcingebatur: in qua nigro pigmento, hoc verbum Ægiptiis literis inſcriptum erat EV ☩ VXI, quod eſt Eutiche, vel Eutichius: bonam Fortunam latinè ſonat: idque proprium viri nomen puto: ſcriptumque in fine I pro HS, ut re vera ſcribi deberet, corrupto Æpyptiorum more, uti plerumque ſit, vocabulo: quemadmodum litera † pro T picta. Eſt autem celeberrimum Hæbræorum Tau, quod veteres Hebræi in crucis formam ſcribebant: quam tamen literam novi Hebræi in odium crucis expunxerunt, aliamq; indunxerunt, qua nunc utuntur, Hic Lælius, qui Græcis literis egregiam operam navaverat: Quid, inquit, ſi dictio illa EV †; VXI verbum ſit imperativi modi, idem ſonans, quod apud nos, vale? neque id ab uſu illorum temporum abhorret: quo & priſci Latini uſi ſunt: legimus enim apud Virgilium:

Inſcriptionis in Faſcia Inſcriptionis in Faſcia cujuſdam Mumiæ interpretatio.

Salve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque vale.

Quibus verbis Ænæas Pallantis corpus a Turno occiſi patri Evandro ſepeliendum remiſit: cui cum Mecœnas aſſentiſſet. Nihil ego. inquam, habeo quod objiciam niſi detortum verbum: verum ſcio id corruptione linguæ evenire potuiſſe. Sed hujus viri cadavere circumſpecto, alterum contemplari attentiſſimè cœpi, quod, ut ſuperius innui, defunctæ fœminæ erat: non ſecus ac primum faſciis, lineiſque pannis involutum, conditumq; bitumine: juvenis etiam præ ſe ſpeciem ferebat: nec dubito quin viri aut coniux, aut ſoror aliqua extiterit: in eadem enim urna utrumque repertum pagani affirmabant: hujus autem veſtis panno appicta, auro, gemmiſque ditior erat, in aureis circulis, quibus variata veſtis, præter dicta jam ſigna, & caracteres, inſculptæ pariter aves quædam, atque animalia, quæ leones videbantur: at vero ea in armilla, quæ media erat, bos ſeu verius vacca inſculpta, quæ vel Apis, vel Iſidis vices gerebat, pluribus præcinctum torquibus collum nitebat. ex quorum uno ad pectus pendens aureus orbis ſolis

imagine enitebat : inaures plurima nitentes gemma utraque ex aure pendebant: manus etiam & ſura aureis , gemmeiſque monilibus præcincta , exornataque erant : ſiniſtræ digiti omnes, excepto pollice, annulis inſignes, index duos, quorum alterum in articulo proximo, præferebat : dextræ annularis gemino tantùm prælucebat . Quæ manus perexiguum vas ex auro ejus formæ, qua aquales fieri conſueverant, tenebat: ac duobus digitis quaſi per jocum oſtentabat ; ſiniſtra faſciculum ex longis, rotundiſq; virgulis ſtringebat: quæ verò illæ, dignoſci non poterat, oris color magis albicat, nigri tamen capilli, & criſpi: nigri oculi ; at ſupercilia, quæ ſpatioſa, & coniuncta ; ut id ætatis apud eas gentes mos eſt oculi pariter ampli, palpebræ ſubnigro quodam fuco illitæ : forſan ſtibio, ut antiqui temporis fæminæ ſolitaverant ; quod & nunc apud Orientales populos factitari perhibent. Hic Mecœnas : Non id quidem improbabile : verum cedo, elegans ne pictura ? nam nulli inſignes pictores apud Ægyptios memorantur . Cui ego : Rectè conjectas : nulla in ea elegantia, eamque præ ſe artem ferebat, qua apud nos uſi pictores, qui barbaris ſeculis extitiſſe perhibentur. Sed luſtratis hiſce Mumiis , Paganiſque mercede donatis , in pagum redivimus : nobiſcum puellæ cujuſdam caput attulimus. Ubi verò brevi nos cænula refecimus, jamque de diſceſſu cogitabamus ; cum nos quidam convenit , rogatque ſi Africanam Mumiam inſpicere amor eſſet, Cur ego ; novitate vocabuli excitatus, Eoquæ, inquam , Africana Mumia ? Et ille : Cum , inquit , per Interiorem Libyam Afri iterfaciunt, excitantur nonnunquam validiſſimi venti, qui vaſtos arenæ cumulos, nam ea tota arenoſa eſt, in contrariam partem ferunt, viatoreſque opprimunt : qui præfocati illicò intereunt : ea autem arida arena adeò cadavera exſiccantur, induraturque, ut minimè putrefactioni dent locum : deinde, cum contrarii venti in contrarias partes ſpirant, arenamque impellunt, eadem cadavera nudantur : acceptaque inter mumias pariter poni conſueverant : iſtorum unum ad nos devectum, quod contemplarì operæ oculis erit. Tum ego, nihil moratus, in pagani caſam pergo : in quam brevi ingreſſus cadaver inſpicio. Erat Æthiops nigerrimus adeo informis, ac fædus, ut me cacodæmonem, vel aliquem ex damnatìs ad inferos videre mihi viſus ſim ; tanto horrore, ut illud poetæ oſurpare potuiſſem :

Africana Mumia.

Obſtupui, ſteterantque comæ, & vox faucibus hæſit :

Et ſanè cum inferorum loca, æternaque animo meditor ſupplicia, illam mihi præ oculis imaginem pono : oculi cavi omni-

omnino, ac nudi, labra corroſa, naſus jam pene diffluxerat: reliqua membrorum caro una cum pelle benè exſiccata, totumque fere corpus integrum: ſi ventrem excipias ex quo exta extabuerant, ac pene effluxerant: dentes nitidiſſimi, criſpus capillus, ac brevis: crura, ut ſunt Æthiopes valgi, diſtorta. Hic Lælius: Num hinc illud, quod in Nauticis eſt, excepiſti? verſuſque recitavit:

Arabiæ deſerta velut, Libyæ, & loca cirum,
Cum gemini adverſo ſpirarunt flamine venti;
Hinc notus abreptam magna vi voluit arenam:
Inde levem Boreas nubem ciet horridus: ingens
In medio cumulus ſubſtollitur: atque ubi quondam
Campus erat, magnus congeſti pulveris extat
Confeſtim mons: & miſeros premit altus euntes.

Cui ego: Rem ipſam, Læli, ut ſoles, putaſti. At Mecœnas: Laudo, inquit, Læli, ingenium tuum, & ſtudium, quo erga magiſtrum te geris. Verum quia jam inclinatur dies, tempus eſt ut currum conſcedamus: nam volo vos tempeſtive domum reducere. Cui ego: Satis erit ſi ad Barnenſes uſque ædes nos comiteris: cæterum, quæſumus, ne te amplius noſtrorum cauſa vexes, quod cum vix paſſus eſſet, conſcenſo curru Barnam contendimus.

CAPUT UNDECIMUM.

Navigatio Babylone Alexandriam, quidque ea in urbe ante diſceſſum acciderit memoratum.

DUm autem curru deferimur: Age, ſis, inquit Mecœnas. Quid poſtea? Tum ego, ea pompa, qua diſceſſeramus Babyloniam reverſi, deque reditu illicò cogitavimus, & quoniam Galli quidam profectionem adornabant, nos illis comites adjunximus. Mox profecti Canopum ſecundo Nilo perventum: hic Gallica navi conſcenſa, proſperoque uſi vento, tandem Alexandriam tum meo, tum Achmetidis gaudio, cujus viſendi parentis mira cupido, ſub veſperam appulimus. Primo mane è navi egreſſi rectà ad Achmetis domum greſſus direximus Excepit nos bonus ſenex: tantaque lætitia, ut continere ſe minimè quiverit, quin me illico totis ulnis complecteretur: nec tantum ex nati, quantum ex mea incolumitate, de qua dubitare jam cœperat, gaudium concepit. Nempe ſi vera amicitia eſt, nihil ſanguini cedit: nec chariores amici ſunt quàm affines. Ut ſedimus de tota peregrinatione rogare cæpit, ego cuncta paucis expoſui: audivit ille animis intentiſſimis; &

ut

ut de adverſis contriſtabatur, ita in lætis geſtiebat: non ſecus ac ipſe vel ſubiiſſet pericula, vel evitaſſet: accerſitaque nutu, ei Druſillam, de qua tragædiam omnem edidicerat, impensè commendavit. Numquam ſanè mirari deſino viri barbaro ex genere, barbaroque in ſolo nati tantam beneuolentiam, humanitatem, atque erga antiquos dominos tantam grati animi teſtificationem: eos dies, quibus expectandum fuit, ut navis Gallica, qua veneramus, adornaretur, tam affabiliter, & lautè pro conditione hominis tractavit, ut vel ipſa Druſilla ſummopere admiraretur.

Druſillæ, ſerviq; occurſus Alexandriæ.

At illud memorabile accidit, quod conceptam jam lætitiam abundè cumulavit: dum altero ab eo, quo Alexandriam veneramus die, per urbem una cum Druſilla virili, ut ſolitaverat habitu induta, præcipua loca viſebamus, in juvenem incidimus: quem ut virgo conſpicata eſt, hæſit, ſuſpenſoque diu animo, oculiſque in juvenem fixis, contemplata attentiſſimè eſt. Juvenis cum animadverteret in ſe hominem curioſè intentum, cœpit & ipſe mirabundus Virginem intueri. Id ego animadvertens, in eam illicò cogitationem animum induxi, eſſe nimirum eum juvenem, qui cum virgo navigaverat, inque piratas inciderat, quapropter. Num, inquam, ille tuus eſt ſervus? Et illa: Ni me fallo, ipſiſſimus eſt: at interrogare non audeo, nec tutum videtur. Cui ego: Id mihi negotii relinquito. Nec mora, juvenem convenio; & quis eſſet interrogo? Ille cum patrium ſermonem audiret, magnopere lætatus, Italus, inquit. Cui tum ego: Gaudeo, quod eadem nos patria tulerit, eundem aërem ſpiravimus: verùm qua ex Provincia? Et ille. Brutius, Crotone natus. Tum ego: At quis te huc caſus devexit? num in piraticas manus veniſti? Ille verò: Divinaſti, inquit. Tum ego nihil dubitans quin Druſillæ famulus eſſet, jubeo nos domum ſequi, habere quædam, quæ ipſum intelligere operæ pretium foret: ad Druſillam verò: Bono ſis animo; ille tuus eſt famulus. Ut nos recta domum recepimus, in ſecretius cubiculum ingreſſi, ſervum intuens. Eſtne, inquam, iſta tibi facies nota? Et ille: Etſi non nihil immutata, inque virili veſte ſexus lateat, & mea me fallat opinio, illa mea domina Druſilla eſt. Cui ego: Illa ipſiſſima eſt: quod ut audivit, ingenti perfuſus gaudio, tenere lacrymas vix potuit, ſubituſque ad deoſculandos pedes accurrit. Nec minor ſanè Druſillæ lætitia fuit, recepto præter ſpem famulo, inſignis fidei, & cui ipſa, etſi invita, calamitatem creaverat. Poſtquam mutuis gaudiis modus factus eſt aliquis, quo ca-

ſu

ſu Alexandriam petiiſſet; & ſuine juris, an ſub alterius poteſtate eſſet? interrogo. Tum ille ita exorſus, totius rei ſcenam compendio enarravit: Mauro homini, cui à piratis venditus fui, uxor erat Turcici generis, & ea non inelegans: quæ virum, &, ore, & moribus turpiſſimum nullo modo ferre poterat: nec aliud quotidie, quam illius fatum, non optabat modo, ſed meditabatur etiam, ſi potuiſſet. Ut ego domum veni, inque me illa oculos conjecit, cœpit illico me humaniter tractare: cumque vir aberat, ſummam in me benevolentiam affectabat: quæ cum ſervi conditionem excederet, ſuſpecta mihi erat: verebar enim ne illa impudico amore exardeſceret: quapropter, durius agebam, èque blanditiis illius magis, quam à domini minis cavebam. Nam cum à puero, ut meæ dominæ ſatis notum eſt, honeſtè educatus eſſem, & quam maximè ab illicitis voluptatibus abſtinere didiciſſem, nihil magis, quam pudicitiæ primum, mox fidei, quod plerumque uſuvenit, jacturam facere pertimeſcebam. Quodam die, quo herus in villam cum amicis diverterat, cœpit illa blanditiis me primùm tentare: mox aperta vi. Ego etſi totus inhorruiſſem, ne tamen furentem illico exaſperarem: non eſſe id ejus loci, nec temporis: nec licere illi tantam viro injuriam irrogare: neque illud ſine Numinis vindicta, neque hominum fieri: recogitaret animo, quam turpe futurum ſi reſciretur: neque id agendum, quod ſummo probro, ſummoque capitis diſcrimini ceſſurum. Illa cognita mea conſtantia, rem diſtulit: me tamen pecunia, quæ vehementiſſimus apud homines ſtimulus, donavit: & hæc, inquit, redemptionis pretium eſto, Ego nolebam accipere: mihique gratius ſub ſervitute futurum, quam male partis libertatem adipiſci. Illa exaſperata, totaque ira fervens; Mea, inquit, non domini, ut tu falſo exiſtimas, hæc eſt. Et quæ mea ſunt, non cui voluero dare licet? tene, nam ſi renuas tibi capitale futurum pro certo habeas. Tum ego iram furentis timens: nam fæmina, & amante irritata, nulla fera nocentior, pecuniam accepi: erant centum aurei. Sequenti die ad demandatum mihi à domino negotium domo egreſſus, in foro italum offendi, qui ex Gallica navi, quæ in anchoris ſtabat, mercimoniorum cauſſa deſcenderat. Hic cum me ex vultu, ac ſermone Italum eſſe cognovit: quis eſſem? rogat, & quo illuc caſu adveniſſem? Cui ego tragædiam omnem narravi. Ille miſericordia, quæ facilè recordatione malorum excitatur, ſtatim permotus, ſpondet me Gallica ea navi abducturum: idque futurum tutò, ſi poſtridie ad litus ad certum locum, ad quem rari accedebant, ſub veſperam veniſſem: fidemque ſuam Sacramento firmat.

Quæ Druſillæ Famulo in ſervitute acciderunt, enarrantur, & quomodo factus Liber.

ſirmat. Ego tanta plenus ſpe domum redeo. Vix pedem intuli, cum nuncius è villa ægrotare dominum attulit: & ut credo ex nimia crapula: & ne morbus ingraveſceret, in eadem villa ſubſtitiſſe. Id ego divinitus factum duxi, ut facilior occaſio evadendi mihi foret. At hera id ſibi commodum ad explendam voluptatem rata, cœpit me arctius urgere. Ego, cui fixum animo erat, lucem vitæ potius, quam pudicitiæ nitorem amittere, negare cæpi: ne verò rem in ultimum ſtatim diſcrimen adducerem (cum remedio uti licet, adhibere prudentis eſt) lenire eam variis rationibus conatus ſum. Expectaret, ſi quid viro humanitus acci-diſſet, tum ſine noxa fieri poſſe, quod in preſentia culpa non vacaret: nec licere alienam calamitatem in proprium commodum vertere, ſibique voluptatem, ex viri malo quærere. Tum illa, quaſi furia, in iram exarſit, & minaci vultu, nec ſine fremitu: Vide, inquit, quid facias; ſcio equidem me ab injuria vindicare: atque ita indignabunda è meo ſe conſpectu ſubduxit. Hoc loco Mecœnas: Miror, inquit, hominis conſtantiam, quam in ſervo difficile reperies. Cui ego: Tanti eſt à puero virtuti aſſueſcere: & qui ſanctè, honeſtèque educati, & ſi ſervi, liberum animum gerunt. Ità vero, tum ille: nec facile ea virtus flectitur, quæ altius radicem fixit. Sed quid tum poſtea? nam tam curioſa res eſt, quam quæ maximè. Mane cœpit hera, ajebat famulus: me iterum blanditiis appetere: & accipe, inquit, dure, & ingrate, ſimulque alios L aureos porrexit. Ego quoniam ad rem, quam machinabar, faciebant, libenter accepi, quod illa benè interpretata, jubet me ſequi: cum ſtatim nuncius alter adfuit: quo jubebatur ipſa illico ad virum proficiſci, qui non bene ſe habebat. Illa lætata nuncio, nam brevi objturum ſperabat, extemplo parvit; meque cum ancilla Maura domi ſubſiſtere juſſit. Quantum id mihi gaudium, quantam lætitiam attulerit, haud verbis explicare queo; imo ingentes animos ad fugam addidit: quippe non humano id conſilio factum, ſed divino eveniſſe putavi: ſunt enim miſeri curæ Deo, & perire ſine auxilio Superorum, nequeunt innocentes Fateor: nullus eo die longior mihi viſus, nec quidquam, quam fuga in animo erat: tandem ut exalbuerat, ad locum pergo: qui ſolus omnino erat: at neque Italum inveni. neque Cymbam ullam in vicinia animadverto. Quocirca angi animo, ac pene de ſalute deſperare cœperam, inque meum caput jam jam atrocia omnia imminere: nimiæque me fiduciæ damnabam: cum|è navi, quæ non longe erat, cymbam ad litus concitatiſſimo curſu venire conſpicio, qua viſa erectus ſpe, ac pene exortus ſum: adfuit

Mira in ſervo Pudicitia.

brevi

brevi amicus, meque accepit , atque in navem duxit . vix conſcendi tum eductis anchoris, proſperoque vento exorto, Alexandriam venimus : atque hic tertius dies eſt , Verum ut hæc dicta , Barnam perventum : relictoque hic Mecœnate, nos Neapolim perreximus.

Libri Secundi

F I N I S.

VERIS HERCULANI

LIBER TERTIUS

CAPUT PRIMUM.

Dum apud Mecœnatem verſamur, iter Alexandria Italiam verſus, quæque in eo acciderunt, enarrata.

Iter Italiam verſus deſcribitur.

QUodam die dum ego, & Lælius apud Mecœnatem eſſemus: ita ille ad me: Sæpe te interrogare in animo fuit, at fallente modo memoria, modo ad alia digreſſi, ſæpe etiam omiſi: nunc quando, & memoria ſuggerit, atque ab aliis rebus liberi, atque expediti ſumus, occaſiunculam non negligam: quid tandem in reditu tuo, dum Alexandria in Italiam remeares, curioſi accidit? nam ſi meminiſti, ea in urbe profectionem in patriam adornabas, Cui ego: Memini quidem: & ſæpe etiam reliquum illud navigationis ad te narraturus veni; ſed ad alia è veſtigio digreſſi, quod primum in animo propoſitum erat, pertranſivi: faciam igitur nunc tibi ſatis, remque ad umbilicum deducam. Tum Mecœnas; iſtuc expecto. Et ego: Ubi Gal-

licus

licus myoparo, quem ibi operiebamur, ad navigandum inſtructus, atque in promptu fuit, Ac meti vale diximus. Sed quantis me lacrimis bonus ſenex dimiſerit, haud verbis explicare queo, certè non tantas pro filio effudiſſet: uſque adeo roboratus beneficiis amor, ævoque inveteratus, naturæ non cedit: interdum etiam exſuperat: & ubi bonam natura indolem collocavit, nihil eſt, quod deſideres: deinde ut mutuis aliquantulum lacrymis temperatum eſt, mihi omnia fauſta ominatus, viatico affatim oneravit: nec ullis adduci precibus potuit, ne adeo in nos profuſus eſſet, imo perpauca ea eſſe, ajebat: ſeque mihi omnia debere: & ſi ampliores fortunæ deſiderandæ, id eò ſpectaret, ut largiſſime me donaret. Hoc loco Mecœnas: Utinam, inquit, ità omnes memores beneficiorum eſſent, & eam nacti à parente natura indolem: nihil in hominum vita expeti ad felicitatem poſſet. At vitiato ſemel caudice comuni labe, id fruſtrà deſideramus: non enim prudens is eſt agricola, qui carioſa è ſtirpe optimos fructus expectat. Sed perge tu porro. Tum ego: Divulſus non ſine vi ab Achmete, navim comitibus Druſilla, & famulo conſcendi: expanſiſque illico velis. Alexandria exceſſimus, totique Ægypto vale diximus; ventus, qui principio vela impleverat, erat Auſter; quo brevi Rhodum, aut Cretam tenere ſperabamus. Sed ea nocte, quæ profectionem ſecuta eſt, Libico maris imperium Auſter conceſſit: qui ut ejus natura eſt, cœpit vehementiſſimo flatu perfurere, ſeque in Occidentem paulatim flectere: noſque ab inſtituto curſu deflectere, inque Cyprum clavum dirigere cogebat. Id mihi & ſi cuperem quam citiſſime patriam reviſere, non tamen omnino ingratum accidebat: tanta cupido erat novas terras, novos populos perluſtrare: & eam præcipuè inſulam, de cujus celebritate multa in ſcholis didiceram. At hæc ſpes brevi præciſa: iterum enim ſibi Auſter maris arbitrium vindicavit: quod ubi victor obtinuit, Libonoto conceſſit: quo ſecundo in puppim perflante, cum Rhodum nos perveniſſe crederemus, Carpathum tenuimus, quod quidem pergratum mihi accedit: nam eo in portu Turcica claſſis inauthoris ſtabat: erant XL. triremes, & naves XVIII. quæ Sporadibus perluſtratis, ad Creticum bellum contendebant: ibi vero Rhodiam claſſem VIII. roſtratarum, & Africanam, quæ ex Tripolitanis navibus, Tunetanis, ac Mauricis conflabatur, in dies expectabant. Hoc loco Lælius. Quo bono Nomine ex barbarorum unguibus tutò evaſiſtis? Cui ego; Cum fœdus Gallos inter, ac Turcas initum eſſet, nos utpote ſocios benignè admiſerunt. Imo in Prætoriam unà cum navis præfecto conſcen-

Claſſis Turcica in Carpatho ad Creticum bellū contendens.

dimus, Turcicum Archithalaſſum inviſuri: cui monuſcula etiam attulimus: qui humanior, quam cæteri barbari, nos affabiliter excepit: plurimaque nos de Alexandria interrogavit; & ſi Cythèum, aut Cydoniam peteremns. Præfectus vir peracutus, & cautus: Negavit ſe per ea loca tranſiturum: mox ubi dimiſit, geminis vervecibus, & panibus aliquot donavit: deinde obtenta facultate, univerſam inſulam perluſtravimus: curioſeque rogitabam, ſi adhuc ex jis leporibus ſoboles eſſet, qui aliunde advecti, tanta fæcunditate creverunt, ut indigenas aliò commigraſe coëgerint: unde factum adagium Carpathii lepores, ubi quis hoſtem domum admiſerit: verum adeo inſcia in temporis ea gens eſt, ut ne nomen quidem proverbii teneret: imo tanta in univerſam Græciam, ex quo Turcicum ſub jugum miſſa, ignavia, atque inſcitia irrepſit, ut in Græcia Græciam quæras: tantaque obſita barbarie, ut meritò quidam dixerit ἐβαρβαρώθη ἐν τῇ ἑλλάδι. uſque adeò verum eſt, humanis artibus, ac liberalibus diſciplinis ingenia miteſcere; quæ ſi deſint, efferari. Ita vero, tum Mecœnas: ſed quid tum poſtea? Cui ego: Luſtrata inſula, vela fecimus: placuitque Septentrionale Cretæ latus prænavigare, ne ad Auſtrale deſcendentes Africanam in claſſem incideremus: cujus occurſus, cum illa plerumque ex piratarum colluvie, ac deſertorum fæce coaleſcat, apud quos nulla fides, fœdera nulla, non ſatis tutum videbatur: id mihi ex animi ſententia evenit, ſummo etenim opere avebam Ægeum mare tot terris ſparſum, tot conſitum inſulis perluſtrate: & ſpes etiam erat, fore ut Venetam claſſem obviam haberemus, quam ad Cithera ſtare in anchoris rumor apud Turchas percrebuerat. Secundo igitur vento, qui æſtivo ex Oriente ſpirabat, navigantes, brevi ſalutata ex longinquo Aſtypalea, Zephyrium promontorium tranſmiſimus, deinde læva Diam inſulam, mox verò dextra Theram, & Thireſiam preterveсti: in Venetum lembum inſtructiſſimum, remigioque pene volantem, qui Cytheum petebat, incidimus. Veneti ut ex vexillo Gallicum Myoparonem eſſe deprehenderunt, illico ad nos properaverunt, & ſalute militari more data, atque accepta; unde ſolveremus, & ſi quid de Turcica claſſe accepiſſemus, interrogant. Nos Alexandria ſolviſſe, Carpathioque in portu Turcicam claſſem conſpexiſſe, reſpondimus. Et illi: Venetam claſſem ab Citheris in Milum profectam, gratumq; Architalaſſo futurum, ſi eum in portum diverteremus: quæque de Turcis comperta haberemus, illi exponeremus: hominem eſſe humaniſſimum, noſque benevole excepturum. Viſum præfecto, nec non & reliquis, qui in

Unde proverbium Carpathii Lepores

in navi eramus, hanc Venetis, per quorum portus crebrò navigabat, gratiam facere: quapropter obliquato aliquantulum velo, Melum contendimus. Ventus, qui commodè perflaverat, multum ſe ſub veſperam remiſit, quo factum, ut parum ea nocte navigatum ſit, primo mane reflantibus iterum auris, velum paullo vehementius urgentibus, meridiem circiter in ampliſſimum Meli portum intravimus. Claſſe illico ſalutata, Venetum Prætorem adivimus: qui nos aſfabiliter excepit, cunctaque de Turcis à nobis cognita edoceri voluit: quibus enarratis, perhonotificis verbis dimiſit: nos quod reliquum diei ſupererat, in luſtranda Venetorum claſſe conſumpſimus. Hoc loco Mecœnas ſic me interpellat: Quæ melior, atque inſtructior viſa, Turcica ne, an Veneta? Cui tum ego: Utraque, ut verum fatear, erat inſtructiſſima, in Turcica plus pompæ, atq; ornatus, plus in Veneta animorum inerat, cui ſi tempeſtive Italorum ſubſidia adveniſſent, non dubito, quin egregiam de Barbaris victoriam retuliſſent. At nos in hac parte peccamus ſæpe: & noſtro cum damno. Hic Lælius: Merito tu idcirco in Bellicis:

Tempeſtate nova primi procedere in armis
Feſtinate, duces; hoſtemque ad cœpta præite.
Tempeſtivus erit campi quicumque Magiſter
Poſſeſſor hîc victor erit: qui ſerus, abibit
Re ſæpe infecta, poſitiſque inglorius armis.

Cui Mecœnas: Egregie, Læli, iſtuc avidè expectabam, ad me vero: quid tum poſtea? Cui ego: Melo egreſſi, Cythera ſecundo vento tenuimus. In quorum litore turrim nobis quidam ex nautis oſtendebat, inque ea Veneris olim fanum extitiſſe, ex quo Helenam Paris rapuiſſe fertur, affirmabat. Ego illam proſpiciens: hinc, inquam, incendium illud exarſit, quo brevi Europa, atque Aſia comprehenſæ, tanta mortalium clade, & tot annis afflictæ gemuerunt: ſimulque ea mihi animum cupido ſubiit, locum propius inſpicere: at: vetuit Navarchus: feſtivè addens, Ne ſopitas diu flammas excitemus: nec malorum refricata memoria ſuo vacat malo. Igitur Venetis Fano vale dicto, ac tranſmiſſo mox Laconico ſinu, Tænarium venimus. Hic quoniam ventus velo immoriebatur, viſum Navarcho ſcapham in terras aquatum dimittere: ego Tænariam ſpecum videre pecupidus, in eam ſtatim inſili, cumque quatuor armatis in litus cotendimus, ad quod ubi applicuimus, in oram ſcapha egreſſi deſcendimus, in qua in hominem ferme nudum incidimus: quem ex oris lineamentis non Laconem eum, ſed Italum eſſe putavimus: nec noſtra nos opinio fefellit vix.

Veneris Fanum ex quo Helena a Paride erepta.

enim

enim nos conſpicatus, in genua accidens, multis precibus rogavit; ut nobiſcum reciperemus; inque Italiam, in quam nos navigare exiſtimabat, deveheremus. Deinde ſerio admonet, ut quam cito in cymbam reverteremur, eam oram prædonibus paſſim habitari, qui divino, humanoq; jure contempto, cuncta latrociniis complent, hoſpiteſque denudant: ſummæque miſericordiæ loco habent, ſi non repugnantes, non occidant: nam ſi vim vi repellere auſit, atrociſſima quæque in victos exercent. Galli cum benè ſperare hominem juſſiſſent: ſunt nobis, inquiunt, arma. & animi, queis, ſi veniant, propulſemus. At ego cum rogo, ſi Tænariam ſpecum vidiſſet? Et ille, ut qui vetuſtatis ineruditus, ne vocabulum quidem noſſe faſſus eſt. Interea loci, devexæ, jam ætatis Lacæna ad nos venit, pomorum omnis generis ciſtam benè plenam gerens: & ſi emere animus eſſet, rogat. Cui Gallus quidam, qui Grecam linguam callebat, quanti indicaret, petiit. Tum illa: Quanti vis, inquit: brevi igitur tranſacta res eſt: mox fontem In proxima valle eſſe ait nitidiſſimum æquè, ac gelidiſſimum, ubi aquari per eommodum: paſcere item in ea gregem, ſi agnas à paſtoribus, vel lac, caſeumque comparare voluntas eſſet. Tum negante ſupplice tutum eſſe illuc ſe conferre, eos non paſtores, ſed prædones qui gregem paſcerent, & ſolitos illa anu Inſidias ſtruere; petiere tamen, tanta illis in armis fiducia. Ego cum in promontorio ſpecum quandam animadvertiſſem, Tænarias fauces eſſe, per quas ad Inferos iter olim patuiſſe in ſcholis audiveram, arbitratus, eò ire pergo: quam non multis paſſibus ingreſſus, immanem ſpeluncam, horridamque eam eſſe video, & perobſcuram: quocirca non auſus ulterius pedem inferre, ne revera in Platonis àntro me vivum conderem. Hæc inter, ſocii ingenti feſtinatione redierunt: plurima enim turba è proximis collibus effuſa deſcendebat: & ne jam à paſtoribus oppreſſi eſſent, horum paucitas, atque illorum arma effecerunt: in ſcapham igitur inſilientes ab infami ora paululum receſſimus: mox curſu inhibito, expectari parumper placuit, ut quæ ea turba, & quibus adveniret armis, videremus. Nec moratum diu eſt: venere ad litus circiter triginta partim ſclopis, partim ſudibus armati, atque enſe Laconico: quos ubi exploſis tubis ſalutavimus, in navim curſum illico cepimus. Hoc loco Mecœnas: Ut variant, inquit, humana! ea loca, quæ quondam gente tam culta, & tam ſanctis legibus inſtituta habitabantur, nunc exuta pene humanitate: nihil niſi barbarbariem, atque immanitatem præſeferunt. Sed quid tum poſtea? Cui ego: Reſtante iterum vento, Peloponneſum

Specus Tænaria.

præ-

præternavigamus: tranſmiſſoque ſinu Meſſeniaco inter ultimum peninſulæ promontorium, quod Acutas dicitur, & Thiganuſas, atque Oenuſas inſulas curſum intendimus: inque Mothones conſpectum ſub diei ſequentis creperas pervenimus: qua urbe è ſalo ſalutata, bonis Jonium avibus, erat enim ſumma ſerenitas, & ſecundus perflabat Eurus, ingredimur. Quo ducente, brevi Strophadas, Harpiarum quondam regnum, tenuimus: id tempus ſolitarius in his ſcopulis degit: & partim ſtipe à navigantibus corrogata, partim hortuli fructibus, herbuliſq; quas ipſe ſibi plantat, vitam tolerat, & feliciſſimè quidem certè. Quem ego Beatiſſimum omnium duco: ut qui procul à tumultibus, atque humanis fraudibus perpetua pace fruitur: qui ſi intus ab animi perturbationibus ſe fortiter vindicet, quod non difficile factum duco, fruetur etiam, quam poſt fata expectamus, æterna. Hoc loco Lælius ſubridens: Vellem te ego in Strophadas amandare, ut feliciſſimam illam pacem, quam tanti æſtimas, obtineas. Cui ego: Item libenter. Et ſcis me, cum datur, relicta urbe, in ſolitudinem convolare, inque ea me unà cum Muſis occludere. Et ille: Scio equidem. Sed in ſolitudine Surrentina: nimirum in angulo totius orbis amœniſſimo: in quo quis æſtatem non ageret? Cui tum Mæcenas: Optimè, ac feſtivè Lælius. Verum talis Parthenii genius, ut etiam in aſperrima ſolitudine vitam duceret tranquillam. Et ego: Si Muſis comitantibus ſola loca petas, amœna ſint oportet: nam horrida fugiunt Muſæ, quæ elegantiorem cultum amant: ſi vero Metanœa comite, in ſylvas te conjicias, tum quo horridior locus, eò aptior ad vitam expiandam æternamq; beatitudinem obtinendam. Sed redeamus ad propoſitum. Strophadibus, & ſolitario relicto, occidentem verſus iter corripimus; Euroque efflante, brevi Italiam tenere ſperabamus: at brevis ea ſpes fuit: nam exortus ex inopinato vehemens Africus ad Epyri nos litora deflectere coëgit, alteroque, à quo ſpirare incœperat die, ad Corcyram devexit: id mihi, etſi patriam reviſere ſummopere cuperem, non ingratum omnino accidit: tantus erat amor novas gentes perluſtrandi, atque ea loca, quæ tantum vetus fama celebraverat, inquirendi. Ut portum intravimus, factaque ab Veneto Prætore poteſtas deſcendendi eſt: in litus inſilui, ſtatimque ubi antiqui Alcinoi horti fuiſſent, & quæ veſtigia illorum ſupereſſent, indigenam quendam, quem primum obviam habui, inerrogo. Et ille: Nullus, inquit, hic cui Alcinoo nomen, nec quos dicis hortos ſcio. Cui tum ego: Celeberrimos, inquam, illos, aureiſque pomis inſignes, quos quondam Alcinous inſulæ

Alcinoi Hortum Rudera.

rex.

rex plantavit, ſummoque ſtudio excoluit. Tum ille ſubridens: Somniaris, inquit, hoſpes. At ego demiratus illius inſcitiam: ò ubi, ecclamo, omnis eruditionis parens Græcia! ò ubi cultæ quondam gentes! Hæc inter, Venetus quidam ſupervenit, & quid perquirerem? rogat. Cui ego: Phæacum horthus, quorum ne nomen quidem apud hanc gentem manet. Et ille: Ne mireris, inquit: obſita omnis barbarie, atque inſcitia Græcia eſt: eruditæque gentis honorem ex barbaria incumbens turbo decuſſit meque ſtatim ad colles quoſdam perduxtavit; qui præ cæteris pecliti, atque amœniſſimis hortis conſiti erant: & hic, inquit, extitiſſe olim Alcinoi hortos, ferunt: qui quoniam aurantiorum refertiſſimi, aurea mala protuliſſe fabulati ſunt veteres. Mox his ex collibus ad litus redivimus, & ne ad viſendam urbem arcemque eminenti in ſaxo impoſitam irem, devexus jam dies prohibuit quocirca gratiis humaniſſimo viro peractis, in navim redivi, ubi me Druſilla expectabat, cœnulaque celebrata, ad quietem conceſſimus. Circiter ſecundam noctis vigiliam ingens in navi clamor exortus, quo illico exporrectus, quid eſſet? interrogo. Qui proxime ſtabat. Vela, inquit, expandi Navarchus juſſit: nam cum Thracius ſpirare cœperit, non omittendam occaſionem duxit: eoque ſecundo brevi ſe Italiam venturum ſperat. Nec ea hominem ſpes fefellit, tertio die ſub Auroram Brutios colles conſpeximus, quos fauſtiſſimis mox vocibus ſalutavimus, propiuſque accedentes nos Crotonem delatos comperimus: quanta Druſillæ lætitia vix dici poteſt. Hic Mecœnas: Credo equidem: quis enim poſt tot caſus, ac tanta exantlata pericula, ſoſpitem ſe in patriam appuliſſe ſummopere non geſtiat! Et ipſe: At non minori ego gaudio affectus ſum, quod paternam in domum ſalvam miraculo virginem reduxiſſem.

Et ſanè ſi nihil aliud, magnum me ex ſuſcepta navigatione fructum retuliſſe arbitrabar, quod nobili loco natam virginem ex penitiſſima barbaria, totque immaniſſimorum prædonum manibus, ac tot periculis, ſine minima quidem, vel pudoris, vel fidei labe illibatam, ac ſoſpitem parentibus reddidiſſem: clarioremque meam expeditionem futuram, quam Argonautarum, duce Jaſone: qui nihil niſi vanum nomen, & neſcio quam arietis pellem, auro ne dicam, an mendacio fucatam retulerunt. Quid enim homini glorioſius poteſt accidere, quam ſervatoris vel nomen, vel gloriam ſua virtute, ſuis laboribus adipiſci. Hoc loco Lælius: Imo tu Perſeo glorioſior: nam ille Andromedam è Ceti faucibus liberavit, tu virginem ingenuam, ac nobilem ex Orco, in quem jam jam caſura erat, vindicaſti, Cui Me-

cœnas:

cœnas; Erudite, Leli, ut ſoles. Sed quid ſi poetam noſtrum Orpheo componamus? non id jure? Imo felicior, tum Lælius: nam ille incautus, quam reducebat Euridicen, amiſit: hic ita ſe, qua prudentia qua conſtantia geſſit; ut ereptam virginem tot per diſcrimina, ac turbines ſalvam perduxerit. Quibus ego: Gratias ago, quod glorianti mihi adbland mini. Sed redeamus in viam, nam tempus eſt, ut de diſceſſu cogitemus. Vix Portum intravimus, cum præmiſſo famulo, recta ad Druſillæ domum contendimus: in quam ut venimus, virginis parentem obviam habemus: qui reducem filiam ea lætitia excepit, qua redivivam recepiſſet, & ſanè opinione ſua talem habuit; ut qui jamdiu è vivis exceſſiſſe crediderat. Poſtea verò quam omnem ex nata hiſtoriam intellexit, me filiæ ſervatorem, ſuumque maximum benefactorem magnificis verbis appellavit, tot gratias egit, tantis me præconiis, tantis laudibus affecit, quantis maximè potuit. Non intra privatam eam domum ſe lætitia continuit; ſed pervagata per univerſam urbem fama, ingens Nobilium concurſus in virginis domum, eam videre cupientium, reditumque tum ei, tum Patri gratulantium: nec quidquam tota civitate, quam Druſillæ reductio, imo exortus narrabatur. Me vero mirari omnes, celebrare, extollere, inque priſcorum heroum numerum referre, quas ego laudes libens devorabam. Ubi vero gratulationibus modus factus eſt aliquis, ad opiparum prandium concedimus, nec ſemel inter pocola mihi feſtis vocibus univerſi convivæ, & erant plurimi, propinavere. Hæc vero ut dicta, Mecænatem rogo Numquid Neapolim vellet, ſtatimq, una cum Lælio diſceſſi,

CAPUT SECUNDUM.

Recitatur Galli cujuſdam ode, & mox Authoris carmen Seculare.

Adhorti proſpectum ſedebam, & verſiculos quoſdam, quo limatiores prodirent, radebam, cum Neapoli me Lælius inopinus oppreſſit: Et Salve, inquit, Muſarum delicium. Cui ego: Salve, inquam, meum corculum, ſtatimque eum mecum una ſeſſum accepi: & quid novi ab urbe apportaret? interrogo. Tum ille: Habeo, inquit, quod tum mihi, tum amicis omnibus accidit perquàm gratiſſimum: tibi vero futurum grave haud dubito, ſcio quippe animi tui moderationem. Sed velis, nolis, audias oportet. Cui ego: Quid iſtuc tandem eſt? Et ille: Accipe: Qua-

rinus, ſcis viri nomen, & eruditionem. Cui tum ipſe: Cui non dictus Ilas. Tum ille: Humaniſſimus hic vir, oden quandam, quam ei doctiſſimus Blanchetus Pictavio miſit, ad me Roma confeſtim tranſmiſit, & ut legerem juſſit, cui ſine quæſo, ut paream, atque illico recitavit.

Galli cujuſdam ode ad Parthenium.

N. Parthenio G. S. I.
Poëtæ Clariſſimo Neapolitano
Cum Philippus Dux Andegavenſis Rex Hiſpaniarum renunciatus eſſet.

ODE.

Partheni, noſtræ ſine te Camœnæ
Frigeant: Clanus ſine te moretur
Flexiles undas: ſine te reſiſtat
Penſile plectrum.
Obſtupet Phœbus novitate rerum,
Hinc, & hinc ſacri ſtupuere fontes
Neſcii curſus: nova lux Olympo
Orta refulget.
Neapolim inſiſtit nova ſtella cœlo:
Heſperis ſplendet Cynoſura regnis,
Ante non viſa, & Pharus hoſpitalis
Dat nova lucem.
Æmulum Solem patitur. creatque
Ludovix: clarum ſociare lumen
Impigri Soles, parileſque cœlo
Fœdere gaudent.
Vidimus Solem: radiis coruſcat
Pictonum tractus, faciemque candor
Congener ſignat, ſedet eleganti
Gratia fronte.
Partheni, cedit tibi Muſa plectrum
Magna nam doctus celebrare verſu,
Bellicas artes reſonas, daturus
Grandia prælo.
Scribe Regnantem Heſperiæ Philippum,
Scribe concordes populos beantem;
Scribe bis dena imperio potenti
Sceptra regentem.
Helmus auritus fidium canoros
Audiat cantus, Cytharamque Males
Audiat ponto: Teretiſque ſaxum
Audiat arcis.
Plaudat Etruſcum mare, plaudat æquor
Adrianum, & Parthenope canenti

Acei-

Accinat vati, emeritumque ſummis
Inferat aſtris.

Ut recitavit: Bona verba, tum ego, & tota poëtica, At Lælius. Sed quando tantus te vir excitavit, ad magna te accingas, oportet. Cui ego: Satis, ſuperque luſimus, ut an Navalia bella abſoluturus ſim, plurimum dubitem. Ad Hiſtoriam, ut ſcis, animum applicui: & de hac etiam in ancipiti eſt animus: adeo diminutæ corporis vires. Tum ille: Ne tam cito animo deſpondeas; reviviſces Surrentino in Elyſio illo tuo, cujus aër potentiſſima tibi panacæa: cujus ope morbus omnes expellas. Cui tum ego; Non inficiar, ſed elapſos jam annos revocare non poteſt. Tum Lælius; Ut Neſtoreos vivas annos, Superos rogo, quæſoque: & ſi placet, ut de noſtris addat tibi Juppiter annos, precor. Sed quid iſtuc, quod inter manus eſt: Cui ego: Carmen ſæculare, quod nuper habui, & ut limatius iterum, prodeat, ad trutinam revocabam. Et ille: Quæſo, ut recites, nam cùm habuiſti, morbo regio præpeditus, non interfui. Cui ego: Cantabo libenter, ut ſi quid minus placet, admoneas, atque illico de ſcripto cantitavi.

CARMEN SÆCULARE
INNOCENTIO XII. PONT. MAX.
DICTUM.

Parthenii Carmen Sæculare Innoc. XII. P. M.

HIc ego non Muſas, vatum commenta priorum
In mea ab umbroſo deducam carmina Pindo;
Nec te per rigui paſcentem flumina, Phœbe,
Amphyſi quæram, vel in Actæo Arachynto.
Haud equidem ſacros ficto de fonte liquores
Haurire eſt animus, nec inani nomine paſci.
Te Virgo, ſummi genetrix veneranda Tonantis,
Auſim, ſi tantum fas eſt, accerſere cœlo.
Tu, quæ purpureo fulges circumdata Sole,
Et ſtellis redimita, facique innixa bicorni,
Divorum regina, hominumque incedis: & omnis
Te circùm Aligerùm pictis exercitus alis
Funditut, obſervans, tua juſſa explere paratus;
Tu Nati, tu Patris amor communis, & Auræ
Ætheriæ, noſtrique ſalus, ſpeſque unica Mundi,
Divinos fontes, & dii carminis œſtrum,
In noſtros infunde animos, numeroſque miniſtra
Æquales operi; quando nova ſecla paramus

Dicere, quæ Summus pacato condere mundo,
Magnanimis jamjam INNOCENTIUS apparat orſis:
Ac toto in terras deducere gaudia cœlo.
Tuque adeò, magni quem ſecli Fata pararunt
Authorem, Romane Pater, cui cernuus uni,
Per te pacatus, terrarum flectitur Orbis,
Huc adſis, patrioque, precor, da carmina vati;
Ut canere à ſuperis per te data munera Divis,
Sparſaque per cunctas cœleſtis gaudia terras;
Utque tuas poſſit laudes, tua nomina ferre,
Quà nitidus primo conſurgit Lucifer ortu,
Quàque idem fuſcos jam Veſpere mergitur undis.
Jam circumflexo centenis curſibus orbe,
Venturi Parcæ texebant ſtamina ſecli:
Tempore quo Superis mos eſt antiquus, Olympi
Sydereas aperire fores, atque alta Tonantis
Atria, ſolennes & circum ducere pompas.
Utque ipſi pariter (largiſſima dona Deorum)
Spectacli in partem tanti, pompæque venirent
Mortales, ſoliti in cunctas diffundere terras
Gaudia, lætitiamque, & amicæ munere Pacis.
Et jam purpureo properabat lumine Phœbus
Pandere Divorum ſtellantia limina, & annum,
Annum expectatum, votis & mille petitum,
Auſpicio ordiri læto, cum ſummus ab arce
Ætheria Pater in terras ſua lumina fixit,
Viſurus, quæ fata hominum, qui rebus ineſſet
Terrenis color, & qui agerent mortalia caſus.
Sed vix divinos oculos, vix arduus omnes
Per terras circùm mentem, perque æquora flexit,
Cum totum denſa immerſum caligine Mundum
Proſpexit, ſcelerumque alta cuncta obſita nocte.
Namque novis odiis, odiiſque incenſus avitis
Tartareus Pluto, Stygiis è ſedibus omnes
Per totum peſtes vitiorum immiſerat Orbem.
Quas inter diſciſſa nigros Diſcordia crines
Prima volat, ſpargitque faces, atque undique vaſta,
Irritans populorum animos, incendia ſufflat
Bellorum, ſocioſque in mutua concitat arma.
Hinc latè exultat Mars impius, aſpera miſcens
Prælia: concurrunt gentes, quæ pace quietæ,
Jam dudum patrios verſarant vomere campos:
Inque vicem cœdes, & triſtia funera portant.
Omnia miſcentur, jactantur turbine ab uno
Omnia, juſque datum ſceleri, perverſaque ſacra;

Quæ cùm proſpiceret ſummo regnator ab axe,
Ingemuit, caſus hominum miſeratus acerbos.
Atque hæc divino dedit ore; Tot horrida fluctus
Martia luctificos tempeſtas movit, & omnem
Europam ſubvertit atrox furialibus undis.
Nimirum tantos mortàlia crimina luctus
Per tantas meruere neces: gens impia pœnas
Promeritas luit, & proprio ſe ſanguine paſcit,
At fragili quoniam generi miſereſcere noſtrum eſt;
Æmulaque inferni calcanda ſuperbia Ditis,
Succurram tanto jactatis turbine rebus.
Quæque una exortos valeat ſedare tumultus,
Atque ſuam Mundo faciem, priſcumque decorem
Reddere, ſydereo demittam à vertice Pacem.
Quæque piet populos, & noxas diluat omnes,
Addam olli comitem Pietatem: operiſque miniſter
Præclarus tanti quique aurea ſecula condat,
Sit, qui Romanæ dignatus honore Tiaræ,
Terrarum regit auſpiciis melioribus Orbem;
Hunc etenim, cui munda dedit cognomina virtus,
Delegi prius ipſe, ſacra quàm ſede locarent
Unanimi conſenſu homines; ut ſcilicet alto
E cœlo Pacem redeuntem, munere noſtro,
Atque unà acciperet Pietatem, Orbemque piaret;
Atque novi in terras exordia duceret ævi.
Idque etiam ſacris prædici vatibus ante:
Nimirum ut gentes cunctæ, populique tenerent,
Quæ ſummo præſtanda viro reverentia, juſſit.
  Hæc ſecum nitidi fatus moderator Olympi,
Aligerùm è tantis accerſit millibus unum,
Magna Patris Magni cui terris nuncia ferre
Conceſſum: panſis Euro velocius alis.
Ille volat, ſolioque aſſiſtit juſſa paratus
Accipere: actutum placido olli ſic Deus ore:
  Vade, age, Romuleos in colles dirige curſum,
Atque hæc Pontifici defer mandata Latino:
Me tandem cœlo Pacem dimittere ab alto
Decreviſſe: cui Pietatem adjungere, & omnem
Virtutum inſignem cœtum, ſententia menti eſt.
Ipſe choro ſedem tanto, & ſolemnia ſacra
Digna paret, Latio gentes purgamine luſtret,
Conciliet reges, decernat fœdera, placet
Iratos populorum animos, nexuque ſub uno
Alliget, & Scythicos in fines bella releget.
Illum ego, virtutes, reliquos quibus eminet omnes

Mort-

Mortales ſuper, aſpiciens: vim ſcilicet Æqui,
Candoremque, Fidemque, & Relligionis amorem,
Ac mites animi ſenſus, mentemque benignam,
Pauperibus qua ſemper opem largitus amicam eſt;
Iamdudum è tantis elegi Heroibus unum.
Hæc ipſa ad rerum præclara, & grandia facta:
Scilicet ut magnus Pater eſſet; & arbiter Orbis,
Venturique auctor ſecli, Paciſque ſequeſter,
Atque ſator Pietatis, & illo ut Principe cuncta,
Expulſis longe Furiis, & Dite fugato
Clauſtra ſub inferna, antiquo reddantur honori.
Hæc Pater Omnipotens: confeſtim nuncius ales
Præpetibus curſum pennis rapit, & ſecat altum
Æthera, diffugiens, nitidum ceu fulgur; & alis
Diſpulſus paribus latè circumſonat aër.
Et jam deſcendens Eoo à cardine ſumma
Attigerat Tauri faſtigia: jamque Chymæram
Deſerit, & monſtrum, monſtrique incendia ridet.
Mox volat Ægæo, ſparſaſque in fluctibus altas
Deſpectat Sporades, Cycladeſque, & Gnoſſia regna;
Spectat, & Eubœam, & toto jam gurgite menſo,
Pelion approperans, altumque interſecat Oetam.
Quos cùm proſpiceret, placido dat talia riſu:
O claros auſus, & grandia cœpta gigantum!
Hinc ſe Parnaſſi geminata in culmina librat:
Et Pindum læva, fortunatoſque receſſus
Muſarum, & Phœbi, dextraque Helicona relinquit.
Nec mora fulmineis pulſata Ceraunia flammis
Jamjam ſuccedens celer occupat: inde profundum
Jonium curſu tranat pernice: propinquam
Mox tenet Heſperiam: perque alta cacumina longi
Sub paribus pennis delabitur Apennini.
Ilicet & vaſti dimenſus culmina montis.
Se tandem ſacro Tarpæi in vertice ſiſtit.
Tempus erat, quo blanda roſis Aurora coruſcis
Se comit, jam prompta mari conſurgere, & Orbi
Optatum deferre diem prænuncia Phœbi:
Cum Pater è thalamo ſurgens Romanus ad aram
Se flectit, funditque preces: & Numina toto
Pro grege ſollicitus, pro ſponſa exorat: ibi ales
Summo miſſus ab axe ſupervenit, & jacit ore
Talia divino: Superi me rector Olympi
Ad te, Magne Pater, demiſit: & illa referre
Juſſit, agenda tibi quæ ſunt, quæque ipſe miſertus
Fata hominum optaſti jamdudum ſupplice voto:

Nimirum

Nimirum afflictis pacem concedere rebus,
Atque omnem luſtrare gregem, Mundumque piare
Carminibus, ſævi quæ multa licentia Martis,
Et rabies hominum, & diri furor intulit Orci:
Atque futura ævi primordia condere, quæ jam
Concordes auro ſubtexunt ductile Parcæ.
Ergo age. quandoquidem tantarum ad munera rerum
Te Pater Omnipotens delegit, & omnia volui
Sub pedibus, vertique tuis mortalia juſſit.
Numinis i magni divina ad cœpta miniſter:
Junge animos regum, populorum pectora flecte:
Da pacis leges, mala crimina dilue, ſeclum
Conde novum, cunctiſque viam ſub ſydera pande.
Hæc poſtquam roſeo effatus dedit aliger ore,
Se ſubitò, expanſis in cœlum ſubſtulit alis.
Quàque viam ſecuit; fax lumine clara refulſit:
Atque aër circum dio ſpiravit odore
At Pater Aligeri ſummo dignatus honore,
Ilicet aggreditur magni mandata Tonantis
Explere, & finem tantis imponere cœptis.
Ergo ubi Sol fuſcis rediens auratus ab Indis
Extulit Oceano currum, lucemque revexit,
Tarpejam in ſedem ſacrum de more Senatum
Imperat acciri: confeſtim murmure facto,
Acciti veniunt Patres, diumque ſubintrant
Limen, & auratis ſe cuncti in ſedibus aptant
Hinc poſtquam ſilvere, throno ſic inquit ab aureo
Tum Pater, & lætis implet ſermonibus aures:
Quod precibus multis, dudumque optavimus, illud
Nunc tandem Omnipotens ſolio miſeratus ab alto,
Annuit: & Pacem mortales viſere rurſus,
Et ſecum Pietatem unà deducere Olympo,
Cumque novo juſſit diffundi gaudia ſeclo.
Quare agite, hæc mecum molimina grandia rerum
Suſcipite, in partemque operis ſuccedite tanti.
Hæc ubi, qui pulchra ſunt majeſtate decori,
Quique tonant acri eloquio, ingenioque potentes,
Deligit, ut magnos ad reges ſacra reportent
Mandata, & dictis animos ad fœdera flectant.
Utque, jubente Deo, deponant arma, furoremque
Et tandem à prædis, ignique, & cæde tenentes,
Conjungant ſocio ſe fœdere, ſeque viciſſim,
Depoſitis odiis, puro ampleCtantur amore,
Fœdataſque pient fraterno ſanguine dextras.
Ipſe ſed interea ſolennes ducere pompas

Molitur,

Molitur, condenda quibus ſacra ſecula Mundo
Auſpiciis Divùm magnis, atque omine læto,
Ordiri incipiat, ſacriſque inſignibus ornet.
Eſt Vaticani clivoſo in vertice collis
Regifico moles ſumptu. luxuque ſuperbo
Inſtructo, & ſummo Divorum ſacra Tonanti,
Magnum opus, & regni pro majeſtate Latini.
Quo nil Roma potens, nil majus jactitat Orbis,
Magnorumque ferax operum generoſa vetuſtas.
Nec quidquam Romana colit ſacratius uſquam
Relligio, & magni clareſcit nomine Petri,
Marmoribus ſurgit niveis, variataque ſaxo
Barbarico, Numidaque exciſæ à rupe columnæ.
Longa laboratis queis projectura coronæ
Capitulis ſuper incumbit, circumque recurrit,
Incingens templum, ſculptura inſignis, & auro:
Altera Divorum quo non eſt ditior ædes.
Vaſta ſed in cœlum teſtudo attollitur, alti
Æmula Soractis, vel nubiferi Apennini,
Stellatumque ferit ſtellato vertice Olympum.
Concava depictis Divùm nitidiſſima ſignis,
Quæ ſpirare ſua ſub imagine, viva colore
Nativo credas, fulvoque ardere metallo.
Quo veſtita tholi faſtigia ſumma ſuperbi,
Atque extrema ſimul confinia, quæque figuras
Appictas inter ſpatia interpoſta niteſcunt.
Clarum opus, & factum ſe dicere poſſet Apelle.
At verò inſculptis circùm convexa renident
Marmoreque, ſtatuiſque: & cœlo inſignia docto
Ampla feneſtrarum fulgeſcunt limina, & arcus
Magnifici, cardoque auro variatus: & omnis
Ex opere inſigni moles externa ſuperbit.
Ut Polycletea ſe natam dicere dextra
Poſſet, & aſtrifero ſimilem ſe fingere Olympo.
Huius ab auguſto Romani limine templi
Dum ſacra Pontificis vox intonat, alta Tonantis
Redduntur populis, totique oracula Mundo,
Sancta hic Relligio cultu veneratur avito
Regnatorem Orbis, Divûmq; hominumq; parentem;
Atque adolet pia thura: patrumque è more vetuſto
Mille ſacerdotes perſolvunt ſacra: Supremo
Inque cruenta Patri mactatur victima Natus,
Natus, quo cuncti ſunt Servatore redempti
Mortales, propria noxa, noxaque paterna.
Huc reges ſua dona ferunt, huc cardine ab omni

Terrarum populi venientes vota reſolvunt.
Omnes hic gentes divino fonte lavantur
Sordibus à cunctis; animiſque, & corpore mundæ
Inſtar olorini caneſcunt alitis, aſtra
Ut volitare ſuper. numerumque augere beatum,
Cumque ipſo regnare Deo per ſecula poſſint.
Auguſto in templo binæ ſub cardine valvæ
Vertuntur ſolido, nitidoque ex ære rigeſcunt.
Quarum perpetuò cunctis hæc una pateſcit,
Numen adoratum quotquot delubra ſubintrant.
Altera centenis ubi magnus curſibus annus
Incipit, atque novo conduntur ſecla metallo,
Pontificis Magni dextra reſeratur; & illa
Quotquot templa petunt quocumque è litore Mundi,
Ac ſacra Romano peragunt de more, piantur
Criminibus, vitam quæ commiſere per omnem:
Atque iter ad Superos ſibi tutum, & Olympia regna,
Ad quæ progeniti magno ſunt munere Divum,
Lactea per nitidi pandunt veſtigia Cœli:
Ergo ubi jam tempus, compoſto fœdere, Pacem
Accipere è cœlo venientem, unàque beatum
Virtutum cœtum, ſacraque ſub arce locare:
Scilicet ut magni menſes auctoribus illis
Exoptata novi facerent exordia ſecli:
Tum Pater ornari cultu delubra ſuperbo
Præcipit, & Phrygio veſtirier omnia textu,
Omnia Sidonio fucata ardere ſub oſtro.
Et jubet Attalico pariter, Batavoque labore
Marmoreum ſplendere ſolum, cultuque Britanno;
Inſterni flores, ornari floribus aras;
Balſama ſuccendi, ſylvaſque ardere Sabæas;
Quidquid & Ægyptus, quidquid Nabathæa remittunt
Regna vaporiferi, Perſiſque, Eoaque tellus.
Ordine ſed longo ſolennes inſtruit ipſe
Interea ad templum pompas; comitante Senatu
Purpureo Patrum: quos torque induta coruſco
Nobilitas ſequitur: totaque ex urbe Quirites
Effuſi, retrò ſuccedunt agmine longo.
Ipſe Quirinali gradiens ſpectabilis oſtro,
Et nitidus gemmis, & tempora ſacra Tiara
Tergemina redimitus, & ore verendus, & alta
Majeſtate. Deo ſimilis quæ cernitur ipſi,
Cœtum inter Patrum, turmaſque incedit ovantes;
Pone chorus geminus, geminas diviſus in alas
Subſequitur, citharas, ſiſtrumque, & nablia pulſans,

Arte, modis, numero, & concordi perſonat ore
Divinas laudes, Superoſque ad grandia cæpta;
Auſpiciis properare bonis, & adeſſe ſecundos
Supplicat, ingeminanſque preces gens aſſonat omnis.
Undique ſepteni feſtivo carmine colles
Reſponſant: & tota ſacro per compita paſſim,
Perque vias omnes ſubſultat murmure Roma:
Et cantu, cytharaque poli convexa reſultant.
Jam ſacrum ad templi limen pervenerat agmen
Purpureum: in binas hic ſe tum diſtrahit alas:
Amplaque per medium ſit ſemita: totaque longo
Ordine flammarum, pompaque ardente relucet,
Hàc ſe Romuleus Princeps ad operta reducit
Limina, queis ſancti capiunt exordia menſes.
Mox veteri de more ſacras diſcindit acuto
Vecte fores, reſerat valvas, aditumque recludit,
Quo novus auſpiciis currat felicibus annus.
Qui ſubitò feſta populi, Pàtrumque, Equitumque
Voce ſalutatus, plauſuque exceptus ovanti eſt.
Vix diæ patuere fores, cùm lumine claro
Ingens delubrum complexa eſt undique flamma,
Auditusque ſonus, validi ceu fluminis acti
Diſrupta de nube: omniſque à vertice collis,
Et templum viſum eſt, & ſubſultare columnæ.
Mox ſcindi cęlum, cęlique à lumine primo
Aurea Pax roſea, celerique invecta quadriga,
Conſpecta in terras deſcendere: cui comes alma
Aſſiſtit Pietas: circum pennata recurrens
Nobilitas placidis expandit niſibus alas:
Carminibuſque vago levis implicat orbe choreas.
Quos inter cantus vox hæc audita: Quirini
Auguſtum ad collem ſummo deſcendimus axe,
Imperio Patris Magni: qui viſere terras,
Commodumque jubet bello componere mundum:
Ut longe tenebris vitiorum, armiſque fugatis,
Protinus incipiat ſeclorum nobilis ordo:
Aurea quo terris, orſis felicibus, ætas
Perpetuum victura fluat: cunctæque revinctæ
Interea Furiæ, peſteſque, horrendaque bella,
Et fraudes, iræque, antris claudantur Avernis,
Aſt, Innocenti, ſummorum hæc munera Divûm
Virtutes meruere tuæ, te maximus unum
Reſpexit Pater: & facilis tua vota, preceſque
Audiit, & caſus hominum miſeratus Olympo eſt.
Hæc poſtquam læva cœlum de parte ſerenum

Into-

Intonuit, latèque faces micuere ſupernæ;
Continuò magnum populorum murmur obortum
Numen adorantum, tenſiſque ad ſydera palmis
Promeritas tanto grates pro muuere habentum.
Mox roſeo è curru concordi fædere Pacem,
Et ſociam accipiunt Pietatem, omnemque Dearum
Felicem cœtum: & pompa ſolenne reponunt
Sede ſub extructa, medioque in fornice templi.
Immortale tuum, Innocenti, & grande trophæum:
Quo non Pontifici Romano illuſtries unquam
Ponere venturi poterunt in ſecla nepotes:
Viſere nec majus., quotquot miracula Romæ
Ex omni veniunt ſpectatum limine Mundi,
Per tantas populi terras, perque æquora tanta.
Cui liceat vati carmen ſupcraddere; ut omnis
Hæc tua poſteritas dum grandia munera noſcet,
Et meritas referat grates, & laudibus ornet
Te, nomenque unum, dignoſque indicat honores.
  Immodico quæſtu purgata, & moribus aula,
Caſtigatus amor Generis, data jura Nepotum
Pauperibus: cultus ſacris altaribus auctus,
Aucta fides, reges luſtrati, & regna recepta:
Aurea Pax populis conceſſa, Orbiſque piatus:
Inſtructæ moles, nova ſecula condita Mundo,
Magnum Innocentii opus eſt, & nobile donum:
Cui ſacer hæc vates monumenta perennia ponit.

Quibus cum finem feciſſem, & Lælius probaſſet, ad alia digreſſi ſumus.

CAPUT TERTIUM.

Dum in hypæthra ad Veſuvii conſpectum conſeditur, multa de illo quæſita, cunctaque illius incendia breviter recenſita.

SEdebamus quodam mane ego, & C. Manlius in ſubdiali Ambulatione, ex qua amœnus ad Veſuvium proſpectus patet: ut verò otium falleremus, libellum legere cæpimus: erat hic Martialis; cum autem plurima epigrammata recitaremus, ad hoc tandem ventum, Martiali s de Veſuvio epigr.

Hic eſt pampineis viridis modo Veſbius umbris,
Preſſerat hic madidos nobilis uva lacus.
Hæc juga, quam Niſæ colles plus Bacchus amavit,
Hoc nuper ſatyri monte dedere choros.

Hæc Veneri ſedes, Lacedæmone gratior illi;
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta jacent flammis, & triſti merſa favilla:
Nec ſuperi vellent hoc licuiſſe ſibi.

Lesbius, Besbius, & Veſuvius Mõs appellatus, & quare!

Ut Manlius perlegerat, ſatis inquit, cum hoc poëta: quæramus nunc ipſi erudita, & primò cur Lesbius, & mutata deinde litera, Besbius, & Veſujus appellatus? Cui ego: Cenſent quidam ita dictum à græca voce λεσβιεῖν, & λεσβιάζειν, quæ ducta à Lesbiis denominatione, quorum impudici mores, obſcæno ore loqui ſonat. Nec ſanè quidquam hoc monte obſcænius putant, cum flammeo eructans ore evomit incedia: ac fæda illa ſulphurei ignis, ac bituminoſi illuvie univerſa conſpurcat. Alii mores, ipſos notari dicunt: quibus circum accolæ, præcipuè Nolani male audiebant. Atque hinc illud Auſonii cum de Criſpæ libidine loquitur.

Nolani male audiebant.

Et quam Nolanis capitalis luxus inuſſit.

Hic Manlius. Num recitatus nuper poëta hanc idcirco Veneri ſedem dilectam affirmavit? Cui ego: Ita enim verò. Siquidem Oſci, qui prima hæc loca tenuerunt, libidine maximè notabantur: non ſecus ac Cyprii, Lesbii, ac Lacedæmones. Nonnulli Besbium à Gygante quodam dictum opinantur, qui ab Jove ictus ſob hoc monte conſepultus eſt. Etſi alii Alcyoneum hunc vocent Finxit enim antiquitas ignivomis ſub montibus Gigantes jacere, quos in cœlum pugnare auſos, fulminibus Juppiter disjecit ſic ſub Æthna Enceladum, ſub Ænaria Typhæum, Mimanta vero ſub Prochyta latere fabulantur. Atq; dedita hinc occaſione, ait Philoſtratus, Neapolitanos Alcyonei gigantis oſſa jactare ſolitos. Teneo iſta, tum Cajus: quare, ſi lubet, pergamus ad alia. Ante memorabilem illam eruptionem, quæ in primum Titi annum incidit, putaſne alias Veſuvium exarſiſſe? Cui ego: Aio enim verò; & author eſt Strabo, qui floruit Auguſti; ætate. Siquidem eo tempore ſumma montis planities cinere oppleta erat, & ſaxa in cavernis ambuſta viſebantur, quando autem incendium contigerit non liquet: & alias etiam, ſed longo admodum intervallo, veriſimile oppidò eſt: etſi ob temporis vetuſtatem memoria occiderit omnino. Tum Cajus: Id mihi facile perſuadeo; quis enim conflagraſſe antiquitus eum neget, ſub quo antiquiſſima incendiorum materies continebatur. Sed numeremus, ſi tibi gravè non ſit, quot poſt illam Titi, conflagrationes extiterunt. Faciam, tum ego: ſic enim otii faſtidia detergemus. Poſtquam trecentos, & octoginta annos quievit, ut nullus jam de illo timor incolis eſſet, ex impro-

Gygantes ſub Montibus.

Veſuvius etiam ante Titi tempora exarſit.

improviſo ſub brevem Olybrii principatum, tam immenſo incendio exarſit, tantam cinerum vim effudit, ut longum terrarum tractum caligine obduxerit: deinde, Theodorico in Italia regnante, iterum conflagraſſe traditur, & tam vaſto incendio, ut univerſam Campaniam vaſtaverit. Deque hac Veſuvii eruptione extat elegantiſſima Caſſiodori Epiſtola Theodorici nomine ad Fauſtum ſcripta, de remiſſione tributorum, quæ Campani ſolvere ſoliti erant. Præterea eo anno, quo Beliſarius Neapolim expugnavit, eructavit rurſus: etſi non tanta vaſtitas ſecuta ſit: imo plus timoris, quam damni intulit. At major fuit eruptio, quæ anno xvi. Conſtantini V. accidiſſe perhibetur: quo etiam tempore, tota Italia, tanta tonitrua inſonuere, tanti effuſi imbres, tanta fulmina ceciderunt, ut plurimi mortalium, una cum brutis interjerint: quæ mala non ultimum quidem illud conſecutum eſt, eruptio ſcilicet Saracenorum in Africam, ac poſtremum Cartaginis excidium, ea enim malorum natura eſt, ut non ſola in mortales irruant, & plerumque calamitatis appendix gravior eſt ipſa calamitate. Sed pergamus porro. Anno ab orbe inſtaurato DCCCCXCIII. intercapedine CCCVIII. annorum facta, iterum improviſus immugiit adituque vi reſerato, univerſam penè Italiam inſolitis flammarum eruptionibus perterruit. Annis vero uno, & triginta interpoſitis, rurſus ſub Benedicto VIII. & Henrico Principe, in vaſtiſſimum erupiſſe incendium multi memoriæ tradiderunt. Hoc loco Manlius: Haud equidem credidiſſem, tantum irarum in Veſuvio noſtro ineſſe, ut tot vicibus exarſerit. Cui ego: ſed multæ reſtant, & noſtris temporibus iræ impotentior viſus eſt. Ambroſius Nolanus vir quam maximè eruditus, refert ſua ætate Veſuvium montem ignem evomuiſſe: antea verò quam effervescere cœpiſſet, teterrimum viſum aërem, tantaque inſolenti caligine obductum, ut magno cunctis terrori eſſet: pluresque per dies immani æſtu montis viſcera efferbuiſſe; mox ubi ignis vis illa deferbuit, concoctaque materies, quæ intus æſtuabat, cinere ſubruſo longè, latèque pluiſſe: ut cuncta tenuiſſima veluti nive obrui; obtegique cernerentur. Hic Manlius: Memini me apud quendam Auctorem legiſſe ante hæc tempora anno M. CCCVI. ſub Benedicto IX. Pontifice, memorabile incendium contigiſſe; tenes illud? Cui ego; Ille auctor, ni me fallo, Ænarienſem conflagrationem ad Veſuvium tranſtulit: imo & error eſt in Chronologia: nam eo anno non Benedictus IX., ſed Clemens V. Benedicto XI. ſuffectus, ſedebat. Tum Cajus: igitur vel Ænaria exarſit?

Veſuvii Eruptiones enarrantur.

Ita

Ita verò, tum ego: & quidem anno MCCCII. ſub Bonifacio VIII., quo tempore vetuſtiſſimarum eruptionum memoria deſierat omninò: nam antiquiſſimis temporibus conflagraſſe nulli dubium: tantus vero ſulphureus ignis egeſtus, ut incolas fere omnes unà cum brutis deleverit. tanta item pumicum copia eiecta, ut totum circa mare obtexerit: plurimus verò ciuis ab his centum millia paſſuum latè effuſus eſt. Tum Cajus; intelligo: at legi etiam apud Munſterum, noſtrum Veſuvium anno MDXXXIX. effervescente iterum ſinu, tantum cineris eructaſſe, ut novus illico mons congeſto ex cinere aſſurrexerit. cui ego: At falſus, bonus cæteroqui author: ea enim eruptio ad Gaurum potius pertinuit, quem juxtà ex Lucrino lacu incendium erupit: atque is mons enatus, qui Puteolano in ſinu viſitur, cinereuſque ab indigenis appellatur. Sed pergamus ad eas eruptiones, quæ hoc ſeculo acciderunt, & quarum plurimas nos ipſi vidimus: quando ſeneſcente jam mundo, ſuccumbere eo morbo, quo abſumpturus tandem eſt, videtur. Et quidem memorabilis fuit illa, & terribilis quàm maximè, quæ ſub finem anni MDXXXI. XVIII. Kal. Jan. occurrit: ex quo ſervata miraculo non ſolum noſtra Neapolis, ſed univerſa Campania fuit: tanti eo tempore terræmotus percrebuere, ut horrendum in modum cuncta oppida quaterentur: tanta cinerum copia, ut ad plures ſupra terram pedes aſſurrexerit, ac ſata omnia obruerit: tanta ignitorum lapidum, imo rupium, procella, ut arbores, tecta, domus, imo,& ipſas urbes dejecerint: ex cratere autem ignivomo ampliſſimus ſulphuris, ac bituminis inflammati fluvius, tanto impetu effuſus, inque ſeptem mox ramos diſſectus, præcipiti in mare lapſu diu defluxerit; neque ſolum obvia quæcumque in terris habuit, exuſſerit; ſed ipſo in mari duodecim ſolidos dies efferbuerit, fluctuſque depaſtus ſit. ex adverſo autem montis latere ingens fętidarum aquarum torrens erupit: qui latè effuſus, ac bulliens, quamplurima circùm loca inundatione fœdavit. Secuto mox anno, Februario menſe mirum in modum recruduit incendium, atq; vaſtitatis metus renovatus eſt: tandem manifeſtiſſimo D. Januarii beneficio, & noſtra Neapolis, & univerſa Campania, & timore ſimul, atque incendio liberata. Sed reliqua perſequamur. Anno MDCIX. V. Non. Jul. ambuſtus montis crater emicuit, atque inter immanes fumi vortices, magnam vim cineris, ac lapidum eructavit; nullis tamen concuſſionibus mons tremuit, nullo igneo fluvio deronuit: quocirca innoxiis minis exarſit. Hoc loco Manlius: Iſtuc tu certè incendium ſpectaſti. Cui:

Novus Mons ex cinere congeſto.

D. Januarii beneficio univerſa Campania ab incendio liberata.

Cui ego: Propemodum; eram enim quatuordecim annos natus: ſæpiusque in apertum prodivi, ut inſuetam meis rem oculis attentius contemplarer. Hanc vero conflagrationem altera ſecuta eſt poſt annos XX. quæ etſi magno mugitu, magna flammarum eruptione cæperit, magno ſparſorum cinerum imbre, ad dies aliquot continuaverit, innoxia tamen fuit. Eo me tempore totum in ſcribendis Nauticis occupatum Veſuvii fragores excitarunt, & meum neſcio quid Bellici in animum injecerunt. Hoc loco ita me Cajus interpellat: Num nam ex illo montis incendio ſimilitudinem illam deprompſiſti, quam habes lib. III. ſtatimq:verſus recitavit.

Ac veluti ruptis, gremio fervente, caminis,
Ingentes ſcopulos, & grandia ſaxa ſub auras
Veſbius agglomerat, disjectaque viſcera montis
Erigit eructans, & ſydera verberat imbre
Saxorum; totus radicibus egeritur mons.
Flammarum erumpunt cunei ſub nubila, & ingens
It cælo fumus, latèque obnubilat aſtra;
Præcipiteſque ruunt pice nigra, & ſulphure mixto
Ardentes fluvii; rapida flammante favilla.
Subjectas replent valles: atque omnia circùm
Arvaque, litoraque, & villæ vaſtantur, & urbes.

Cui ego: ut recitavit: Divinaſti, tu quidem Manli: cæterum quoad reliquas eruptiones ſpectat, duæ aliæ memorabiles ſubſecutæ, una V ab hinc anno, de qua ſego in Æſtatibus Surrentinis mentionem feci, altera quam ſuperiore anno vidimus: verùm de his plura dicere ſupervacaneum. Tum Manlius: Admodum: quocirca ad alia ſermonem transferamus: & illud ſummopere ſcire aveo, verumne ſit, quod ajunt, Veſuvii cinerem in maximis eruptionibus, non ſolum in Ægæum, ſed Conſtantinopolim uſque, imo in Libyam, Ægyptum, ac Syriam delatum; quod quidem Hieronymus Borgius his verſibus eleganter ſcripſit:

Senſit procul Africa tellus
Tunc ex pulvereis geminata incendia nimbis.
Senſit & Ægyptus, Memphiſque, & Nilus atrocem
Tempeſtatem illam Campano à litore miſſam
Nec caruiſſe ferunt Aſiam, Syriamque tremenda
Peſte: nec extantes Neptuni è fluctibus arces,
Cyprumque, Cretamque, & Cycladas ordine nullo
Per pontum ſparſas, nec doctam Palladis urbem:
Tantus inexhauſtis erupit faucibus ardor
Ac vapor, Oromedon vomeret cum fervidus iram:

Terri-

Terrigena horribilis Veſuvina mole ſepultus.

Veſuvii Cineres Conſtantinopolim uſque delati.

Taxatur Bodinus, qui ſe omnium Hiſtoriarum, Cenſorem facit. Et illuſtriũ Scriptorum teſtimoniis Hiſtoria, de Veſuvii cineribus comprobata.

An verò hic poëtica uſus hyperbole belliſſimè luſit? Nam ſi benè memini, ridet hæc Bodinus, & eo loco habet: poëtarum commenta, & aniles nugas. Cui ego. Haud equidem, poetica hæc ſomnia, vel fabellæ aniles: ludit ipſe Bodinus: qui dum ſe Hiſtoriarum pene omnium cenſorem facit, tum maximè omnium ſe cenſuræ obnoxium exponit. Non enim mentitus eſt Dio, cujus hæc verba: Τοσάυτη γὰρ ἡ πᾶσα κόνις ἐγένετο, ὥς' ἀπ' ἀυτῆς ἦλθε μὲν καὶ ες Αφρικὴν, καὶ Ασίαν, καὶ Αἴγυπτον. Non Caſſiodorus, vir antiquæ fidei: qui Theodorici nomine ſcribens, hæc ait: Volat per mare magnum cinis decoctus, & terrenis nubibus excitatis, tranſmarinas quoque provincias pulvereis guttis complevit, & quid Campania pati poſſit agnoſcitur: quando malum ejus in orbis alia parte ſentitur. Non Marcellinus, qui hæc memoriæ prodidit: Veſuvius mons Campaniæ torridus inteſtinis ignibus æſtuans, exuſta evomit viſcera, nocturniſque in diem tenebris omnem Europæ faciem minuto contegit pulvere. Non Sigonius: qui addit tanto terrore Conſtantinopolitanos perculſos, ut Leo Cæſar urbe exceſſerit. Non tandem Baronius, graviſſimus author, mentitus eſt. Hic ſtatim Manlius: Ne quæſo, te amplius vexes: ſatis enim teſtium eſt. Sed quæramus, ſi lubet, qua id cauſſa effectum ſit: nam etſi id præter Naturæ leges fieri potuiſſe, non dubitem: non tamen ad ſacram ſemper anchoram, & ut ajunt, ad aram confugiendum. Cui eo: Rectè æxtimas, cum enim ſua ſponte natura ſuppetit cauſſas, non eſt ab illa deſciſcendum. Si ita, tum ille, qua id ratione eveniſſe arbitraris? Tum ego: Dicam compendio, quid ſentiam; aliò enim negotiolum me quoddam vocat. Quia pulvis ille Veſuvianus, qui unà cum fumo efferveſcentis vi æſtus in ſublime intorquebatur, levitate præditus quàm facile pendulus in aëre perſtabat: perflantibus mox ventis impulſus in longiſſimas regiones pervolabat: quoniamque à variis ventorum flatibus agebatur, idcirco nunc in Libyam, nunc in Traciam deferebatur. Enim verò, ſi vicinas in provincias ventorum impetu actus quam breviſſimè excurrit: & hujus loculentiſſimi teſtes rei ſunt, cur etiam non potuit vehementiore, ac continente illorum flatu in remotiſſimas etiam terras pervenire? Hic Manlius: illæ igitur pulvereæ nubes eo deferebantur modo, quo reliquas verſari per aërem videmus. Cui ego: Ita prorſus. Quia verò ille cinis non totus ejuſdem levitatis erat, dum ulterius impellebatur, gravior depluebat, levius longiùs, ac longiùs agebatur, atque iſto modo factum eſt, ut in

ut in Libyam, Aſiamque pervolaverit. Tum Manlius; Iſtuc ſatis exploratum, reliqua nunc pergamus agere. Antequam ſuperiore anno MDCXCVIII. qui ob pactam inter Europæ Principes pacem memorabilis in faſtis erit: & quem tu eleganti illo carmine, niveo inſtar lapillo, quod in Autumnis Surrentinis eſt, ſignaſti; Veſuvius feſtivis primo ignibus applaudere; mox verò caminis ſupra modum accenſis, mugituque immani, renovare iterum bella viſus eſt: ſcis equidem ad plures ab litore paſſus mare ſubſediſſe, nec quidquam propius factum, quam naves in ſicco conſediſſent: id quoniam inſuetum noſtro in Cratere, portenti loco habitum: putaſne tum aquas per occultos terrarum meatus, in cavernoſa montis defluxiſſe? Cui ego: id mihi veriſimile viſum: & fore, ut brevi in incendia Veſuvius erumperet, amicos præmonui: arida quippe materia, è ſulphure, bitumineque aduſta, ea aqua paulatim cæpit fermenteſcere, tandem æſtuans, ac bulliens è ſummo Crateris ambuſti labro, immani illo torrente effuſa eſt. Tum Manlius: intelligo. Verum anne calidus ille, atque adurens imber, qui per aliquot dies latè depluens, ſegetes omnes fructuſque arborum corrupit, ex illa aqua effectus? Cui ego: Aio enim verò: ſiquidem denſiſſimus tum cinis, atque humidus depluebat. Ego primo credidi ex Aureo monte, qui ſupra Stabias eſt, pluviam illam eo ad nos vento deferri, qui æſtate poſt meridiem oriri ſolet, & Tropæum dicimus: mox verò, ab monte Veſuvio eructari animadverti, & compertum ab multis habui, qui per ea loca accenſis facibus medio in die iterfaciebant. At fulmina illa, tum Manlius, quæ tam crebra, atque horrenda inter denſiſſimos fumi vortices identidem coruſcabant, è monte ne erumpebant? Cui ego; Ita verò, ex eo enim halitus ignei aſcendebant, qui mox præ frigore coacti in fulmina exardebant: quod quidem vaſti incendii argumentum erat: quod & in aliis conflagrationibus, & ea vel maximè, quæ in annum MDCXXVI. incidit, exploratum perhibent. Atque hinc pariter immania illa tonitrua exaudiebantur: ſuppeditante enim Veſuvio materiam, inter fumi, pulveriſque nubes detonabant. Intelligo hæc, tum Cajus: At cur illud, quod mihi oppido mirum viſum eſt: ex albicante nimirum cinere, confectum tum eſſe, jamjam deſiturum incendium? Cui ego: Id Siculus quidam; qui Æthnæo incendio interfuerat, Herculanenſibus prædixit, & bona ſpe eos eſſe juſſit: id ego ex eo fieri arbitror: quia cum primo ferveſcunt incendia, præ nimio humore, qui in fumum convertitur, nigræ erumpunt flammæ, niger torque-

A.MDCXCVIII. Mare ad plures paſſus ab litore ſubſedit; mox Veſuvii eruptio.

Ex albicante cinere jamjam deſiturum incendium cognoſcimus, & quare.

tur cinis : defervente mox igne, ſiccior materia in album vergit, atque fumus ille albidæ inſtar nebulæ elevatur: cinisque item albidus eſt : quod quidem in univerſis incendiis uſuvenit, & videre cuique eſt. Atque hæc, ut dicta, ad negotiolum me contuli.

CAPUT QUARTUM.

Magnificentiſſimæ villæ Magni Ducis Etruriæ; quæ non longè à Florentia, in colle, quem Pratolinum Tuſci dicunt, ſita eſt, accurata deſcriptio.

SEdebam cum Mecœnate in Agrunda : eratque mecum Lælius, cum Mecœnas, quoniam, inquit, in aprico hoc amœnoque projectu ad placidiſſimas Zephyri auras conſedimus, & otioſis eſſe eruditis non licet, quæſo, ut pulcherrimam villam illam, & perquam magnificam, quam te ſumma admiratione in Etruria vidiſſe, alias dixiſſe memini, nobis, qui illic minimè fuimus, ob oculos ponas, ut noſtros oblectari animos ſaltem pictura concedatur. Cui ego: Faciam lubentiſſimè, tum ut tibi morem geram, tum ut ſic quas poſſum gratias humaniſſimo Principi referam, qui me ſe inviſentem ſumma benevolentia complexus. Et ſanè tanta in eo humanitas, tanta comitas, ac magnificentia, ut majorem non deſideres. mitto mores ſuaviſſimos, ac probitatem ſingularem, quibus ille regium animum, ac vere Magnum exornavit, ſed rem cominus aggrediamur. Eſt igitur in umbilico Etruriæ, quà hæc ad Apenninum vergit, amœniſſimus quà poſitu, quà proſpectu locus, cui ab amœnitate, ac pulchritudine inditum ab indigenis nomen. in eo villa regio planè ſumptu, ac ſtructura mirabili ædificata: duo illam nemora hinc, inde præcingunt: jucundiſſimi circum colles frondenti veluti ſerto coronant: ampla planities ante regias ædes, quæ dextrà aſſurgunt, extenta jacet: ex qua per geminos gradus, qui in apertum palatii veſtibulum marmoreo præcinctum balauſtro, terminantur, in eaſdem ædes viridi præcinctas prato, conſcenditur. In angulis geminæ turres, geminis obeliſcis exornatæ, in quibus vigiles ſtationem habent: antica ædium pars, ac principalior, ad ſeptentriones convertitur, altera ad meridiem convergit. Hoc loco ita me Mecœnas interpellat : Quot paſſuum millia Florentia locus abeſt? Cui tum ego: Ferunt V, non amplius. at mihi longiſſimum iter viſum eſt: ni forte Florentina milliaria plus juſto longiora noſtris ſint:

Magni Ducis Etruriæ Encomium.

Ejus Villæ in Pratolino deſcriptio.

ſint: ſed redeamus ad magnificentiſſimas ædes. in illorum conſpectu ampliſſimus campus eſt, in quo vaſtiſſimus gigas ex lapide fictus aſſurgit: atque Apennini, cujus epigraphen præfert, vices gerit: eo autem ſitu ſedet, quaſi Inclinare ſe honoris gratia vellet: manu ſuper draconis caput incumbit, qui ex ore perquam amplo, in largiſſimum fontem aquam infundit. Gigantis corpus ab imo ad ſummum uſque faſtigium vacuum. caput turritæ inſtar columbariæ effictum, faſtigiarumque eſt, ejus aures, atque oculi feneſtellæ ſunt ad excipiendas columbas. Juxtà gigantis humeros elegantiſſima ex marmore addita nuper aquila, quæ roſtrato ex ore copioſiſſimam aquam ſpargit, quaſq; Jovi ſervat, jaculari ſagittas credas. Campum in cujus proſpectu Apenninus aſſurgit, perquam pulcher præcinctus amplectitur: in quo ſex, & vinginti loculamenta ex elaborato ferro, hederaque conveſtita poſita ſunt: in quorum ſingulis ſingulæ ſtatuæ, ex niveo marmore elegantiſſimè ſculptæ viſuntur: in hunc verò campum, tàm magnifico exornatum theatro per ferreos cathros affabrè effictos, perque totam campi latitudinem extenſos, venientibus aditus patet.

In eminentiori clivo, qui in conſpectu ædium ſurgit, Marmoreus ſtat Juppiter, qui hinc Aquilam è nigro marmore, hinc aureum in manu fulgur habet: qua non ignem, ſed nitidiſſimam quaquaverſus aquam magno impetu evibrat: ut qui non fulmine terrere homines, ſed delectare ludicro velit. Ad nitidiſſimum hunc Jovem duo ampli, rectique tramites ducunt: in quorum extremis longi lapides pumicoſi, inque medio ampliſſimorum fontium extructi pulcherrimam ſcenam exhibent. Sed in campum redeuntibus occurrit ad dexteram in ipſo ſylvæ aditu domus ovatum faſtigiata in fornicem, inque ſex latera diſtincta: quam circum duodecim innixa columnis porticus viſitur: fornix in tholum conformatus plumbeis laminis intectus eſt. Ex hac rectà deſcendentes elegantiſſimum Perſei ſimulacrum ſerpentis dorſo inſidentis obviam habent. ſtatua in pumicoſo monticulo collocata. ſerpens continuo aquæ effluxu ſibilare creditur. Infra Æſculapii ſignum ſerpentem alterum manu tenentis aſpicitur: è ſerpentis gutture nitidiſſimus fons emicat: quæ dum cerneremus miram hauſimus voluptatem. Hic Mecœnas: Credo equidem: quando maximam nunc ego ex illorum pictura percipio: maxima profecto ea lux, cujus vel umbra conſpicua eſt: ſed perge, ut facis. Cui ego: Contendam illicò: nam extra lineam tranſilire, res benè longa non patitur. Antrum

Statuæ pulcherrimæ in Villa.

ulterius eſt è pumicibus fabrè coagmentatis inſtructum: in quo ſuis cum catulis urſa repoſita, miraque concinnitudine exornata uberem aquam effundit.

Aquarum luſus jucundiſſimi.

Sed miranda quantumvis hactenus deſcripta ſint, longè tamen mirabilia, quæ ad meridionalem ædium partem viſuntur: ubi in adinveniendis machinis cum natura certare ars, & felici quidem conatu videtur: ut nimirum per ludicra aquarum inventa perpetuam præbere ſpectatoribus voluptatem valeret. Ad Meridiem igitur ædium, perquam amplum veſtibulum, ex quo geminæ ſcalæ rotundæ, marmoniſque balauſtris adornatæ in planum ab ædibus exeuntes perducunt. atque hic ludicrum illud diſcrimen impendet, ne orta ex improviſo non è cœlo, ſed è terra pluvia benè perpluas: ſiquidem utrinque ex ſingulis gradibus improviſo ab occultis ſyphunculis aquæ emicant, quæ ſibi mutuò occurſantes teſtudinem exhibent: tanta vero aquarum copia eſt, tam ſubito erumpit impetu, ut effugium nullum in promptu ſit: Hoc loco feſtivo Mecœnas riſu: Maduiſtis, inquit, benè quotquot in comitatu eratis? Cui ego: Cœteri, qui ignari dolorum feſtinato pedem greſſu primi è veſtibulo extulere, affatim perpluere: ipſe qui ultimus tardiore ibam gradu, ſtatim me intus recepi, & ſic levi aſpergine perfuſus ſum. At pergamus porrò; inter hos gradus, & vicinum antrum cui ab immani aquarum effuſione Diluvio nomen factum eſt, peramplum ſoli ſpatium, fiſtulis undique inſtructum eſt: quæ laxata à cuſtode clave, aquam pariter effundunt, & ni cautè incedas, inque cuſtodis oculis oculos habeas, non exiguum ab aquarum ludicro periculum jactu eſt. At vero antrum plurimis innixum columnis vario ex marmore exciſis. mediæ præcipuè laudantur, quæ nitidiſſimo lævore vireſcunt: ſolum ex lapillis diverſi coloris texellatum, phrygioque opere interpictum. Per totum late antrum magna aquarum vis, cum laxato emicat epiſtomio, ſuffunditur: ut urceatim pluere credas. E regione oſtii ejuſdem antri ſcala eſt exigua quatuor, non amplius, gradibus, quibus alterum in antrum ingreditur, cui à Galatea nomen impoſitum: in hujus aditu audaciſſimi quiq; timore corripiuntur: etenim tali, & tam miro artificio conſtructum eſt antrum, ut jamjam ruiturum videatur: mire artis mirabilius opus, quo fit, ut ſic caſurum conſiſtat, ut re vera decidens credas: inter hiatus murorum hederæ intertextæ conſpiciuntur; viridis vernat ficus è rimulis verò abundè aqua erumpit. antrum tum nitidis coralliis, tum conchis, conchiliiſque, tum etiam variegatis neritibus conveſtitum, pulcherrimam præ

Antrum Galateæ artificioſe conſtructum ad deterrendos homines; cum jamjam caſurum videatur.

le

ſe ſpeciem gerit, neque leve pulchritudini additamentum picturæ, atque ornatus adjungunt. Medio in antro peramplus crater, variis ſcopulis diſtinctus, è quorum uno, arte, ac machinamento prorſus mirabili aureo in loculamento geminis delphinis invecta Galatea prodit: delphines tum ex ore, tum ex oculis, totidem quaſi fontibus aquas vibrant. Ipſa vero nympha, dum ſe in cryſtallo, quem manu gerit contemplatur, uſque ad externum crateris marginem devehitur: geminis illam conchis, quibus adnata corallia, hinc, inde comitantibus; ambæque è geminis ſcopulis egrediuntur. Quo tempore fontis in margine ſubſiſtit, dumque ſubitura ſcopulum recedit, innumeræ penè fiſtulæ ſuis in locis clam poſitæ, per univerſum latè antrum, tanto, & tam largo imbre rorem excitant, ut difficile admodum ſit ſe à pluvia defendere. Hic Mecœnas: Madefacti igitur, & quidem benè. Cui ego: Maduerunt reliqui, at non ego, & natus tuus: Et ille: Gaudeo: ſed qua arte, evaſiſtis? Aurea tum ego; etenim cum hominem, qui nos per ſingula deducebat, aureo nummo donaſſem, adeò ejus benevolentiam conciliavi, ut ſemper me ſecreto admonuerit, quo in loco ſecurus ab aqua poſſem ſubſiſtere. Tum ille: Acutè tu quidem: nihil enim auro potentius, quo non animi, ſed arces etiam expugnantur: at cedo, qui eo in antro immunis ab imbre locus erat, ut cavere poſſim, ſi unquam illuc me genius ducet? Cui ego; Uterque extremus angulus, qui juxta fontem; ubi nec ſyphunculi latitant, nec ex aliis emiſſa aqua pertingit: ſed rem bene longam proſequamur. ſimul ac è ſcopulo prodiit Galatea, marinus Triton concham inflare cœpit, nec deſiit, niſi poſtquam iterum ſe eadem ſubduxit: ſonus autem hydraulica machina fit, aureſque afficit miro modo: quocirca eodem tempore & oculus viſu, & auris ſono, & voluptate animus paſcitur. Ex quo tandem antro ægrè divulſi, dum in alterum, Diluvium, ut dixi, appellatum, regrediremur, in geminas ſtatuas incurrimus, gemina utrinque loculamenta è pumicibus contexta, quæ duos ſupra fontes, quorum labra è conchis, muricibuſq; efficta, inſtructa ſunt: in horum uno Bacchi ſignum, in altero Orphei viſitur: juxta gradus vero, quibus ad Galateæ antrum itur, utroque in latere duo alia loculamenta, in uno marina arbor, ſubter vero ſignum, Pavonis caput exprimens: tam fabrè collocatum, ut dum præ timore oculos circumvoluit, uberem ex ore aquam evomat: in altero Aquifolium frondeſcit. è ſingulis fermè foliis harum arborum, cum laxatur epiſtomium, magno impetu aqua exilit, Non longe gemini

Alterum Antrũ Diluvium dictũ deſcribitur.

gemini ſtant abaci è vario marmore lævigati, quibus in mediis pulcherrima ex effuſa aqua Pharus reſplendet. è regione marinæ arboris ſedet in ponticulo puerulus, qui orbem dextra tenet, eumque fontis aqua perpetuò verſat. duo ad pueruli pedes cygni bibere viſuntur, atque ex intervallo caput è fonte, quaſi jam ſaturi educentes. & hinc prælum in quo preſſis ex olivis oleum fluere credas, & officina item, in qua cartha conficitur; illinc vir acuens cultros, ac novaculas, aqua rotam verſante.

Sed tranſmiſſo Orphei ſigno, oſtium patet, cujus in aditu vibrata ilicet è tubulo aqua perfundi quam facile eſt. nos quamcitiſſimè inſilientes effugimus, cubiculumque ingreſſi ſumus. Hypocauſtum vocant. cujus pavimentum ex nobiliori argilla conſtratum, parietes elegantiſſimè picti, ac marmorato expoliti, atque exornati. Hic inſtructum balneum eſt, quod è duobus fontibus calidam accipit, & qua hæc certam ad temperiem reduci valeat, frigidam. fontes gemini è metallo ſatyri ſuſtinent. in editiori conclavis parte puellus viſitur: quem ſi curioſus tetigeris, illico aquam effundet, qua perbenè perpluas. vix etenim acceſſeris, cùm fallente ſub pedibus ſolo, technica ſe aperit fovea, ſimulque fiſtulæ reſerantur: ex quibus extemplo multiplices aquarum venæ, erumpunt. Circa plurima animalium ſigna ſunt muſivo opere elaborata, duroque in lapide inſculptæ imagines. Hic Mecœnas: Evaſiſtis ſatin' ſalvi, de te non dubito. at meus filius, utqui curioſus ſupra modum, non certè artificioſo illo ex barathro evaſit. Cui ego: Ita prorſus factum eſt: ſed condonanda illi culpa, quippe adoleſcenti.

Hipocauſti deſcriptio, & dolus,

Reverſi ad Bacchi ſignum in alterum incidimus oſtium, inque ſimilem dolum. ex eo in tria cubicula aditus patet. Primi latera albo ex pumice inveſtita, belleque exornata: pavimentum diſtinctum, variegatumque miro modo. media è concha, quæ ibi eſt, pulcherrimum aſſurgit opus è pumicibus inſtructum. in ejus faſtigio gemini ex corallo rami, èque marinis conchis, ac muricibus, quaſi loculamentum: juxta innumeri ſyphunculi, aquam emiſſuri, latitant. Sed jam ſecundum in cubiculum intrantes, elegantiſſimum Tritonem obviam habemus; qui magno flatu marinam concham inflat: ipſe à duobus delphinis in amplum craterem educitur. una cum delphinis plurimi prodeunt ſatyri; plurimamque univerſi aquam emittunt tot item pumicoſo è cono, ex fornice, èque ipſo ſolo, tot undam fiſtulæ jaciunt, ut urceatim toto cubiculo pluat. In hujus proſpectu viſitur Jovis ſimulacrum ſub Tauri effigie mirè geſtien-

geſtientis ob raptam Europam : infra vero illud eſt marmoreum Cleopatræ ſignum, juxtàq; intermixto ex marmore fons eſt, ejuſque aquam gemini, qui aſtant, ſatyri egerere conſpiciuntur. In umbilico ſequentis conclavis menſa eſt octo in latera diſtincta : in quorum ſingulis ovale cavum. in hac menſa ſexcenta ſpectantur ludicra, non minus viſu, quam arte mirabilia. Propè pincerna aſtat aquam manibus miniſtraturus. Ad dexteram hujuſce conclavis ſumma voluptate ſpectare licet militum agmen arcem invadentium : hiſque inſtructi machinis, quæ ad obſidendas urbes adhiberi conſueverunt, alii & ipſi ſclopis armati, tuentur. aſt illud mirum oppido, & perquam ludicrum, quod non igne ſclopi, nec tormenta exploduntur, ſed aqua : quæ eum cient ſonitum, quem ederent ſi tormentario pulvere inſtructa forent. id autem mihi ſummopere placuit : & ni Martia à jocis abhorrerent in mea Bellica inſerviſſem. Hic Mecœnas : Verum poſt ferias pugnas, in quibus non eſt joco locus, licet interdum victoriam feſtivis luſibus exornare. Cui ego : De his alias, nunc contendam efficere, quod inſtitui. Ad lævam ejus cubiculi, quo morabamur, perquam magnificum eſt antrum, inque varia loculamenta concinne diſtinctum. Hic inter ferreos chaltros nympha in procinctu ſtat : quæ ſimul atque hi chaltri referantur, egreditur urnam ferens, longumque ſpatium hauſtura ad fontem aquam decurrit, tanta agilitate, atque ore tam vivo, ut ſpirare credas. fons in oppoſita parte politus : ubi pumicoſo in ſcopulo paſtor nymphæ amaſius ſedet, qui venientem ad ſe nympham tibia excipit, quam inflat miro modo : eoſque corporis motus exhibet, tantaq; facilitate ; ut non melius vivens paſtor in animanda tibia præſtaret. nec ceſſat, ni ſe nympha intus receperit. quo puncto ſtatim chaltri occluduntur. Interea alia quædam ludicra ſpectare licet : nimirum fabri officinam, in qua ferrum cudi diceres : ad moleſtrinum occupatum in moliendo molarium, ſerpentem ſeſe explicantem, cygnum bibentem, caput identidem attollentem, canentes arboribus aves, & cornicem prope inſidentem. & quod feſtivum maximè, ac ludicrum eſt, in ſpeculo, quod objectum eſt, jucundiſſimam venationem : feras velociſſimo curſu fugere, inſequi venatores, jaculari, ferire, ovantique prædam murmure reportare. Hoc loco Mecœnas : delectatus certe hoc ludicro meus puer, id enim ut in ſylva virile, ita puerile in pictura ludicrum. Ita verò, tum ego : Atque hæc cum dicerem, adſunt Ephœbi cum pateris mulſa congelata benè plenis. Tum Mecœnas : Hauriamus

Alia Ludicra.

mus

mus ex his nunc ſolidam voluptatem : ad ludicra redibimus mox.

CAPUT QUINTUM.

Interrupta ſuperius villæ deſcriptio inſtauratur; & tandem abſolvitur.

POſtea verò quam mulſam exhauſimus Eia, inquit Mecœnas, quando diei multum ſupereſt, abſolvamus amœniſſimæ villæ narrationem : quæ mihi tam grata accidit, quàm quæ gratiſſima. Et ſanè digna, ut tu illam Herculanum in ver, cui te ſcio operam dare, inter prima inſeras. ſic enim delectari illius pictura poterunt, quibus contemplari oculis non licet. Cui ego: Id ipſum jam meditabar: & te ſuaſore, libentius faciam. at quoniam prolixa res eſt, veniamus ad limen oſtii, ut dicunt. Dum è celebri antro Diluvio nomen, reverteremur, invenimus ad gradus ſuperiùs memoratos geminas ſpeluncas : in ea verò, quæ ad dexteram aperitur, piſcatores in antro vidimus cancros occidentes, qui in aqua ſunt : aquamq; efflando in ſpectatores jaciunt. circum ſubſellia aliquot marmorea, queis ſi conſideas, illico emicante aqua, perfunderis : infra gradus ad lævam muſtela in ſerpentem ruere cernitur; dum interea Theſſala anus mechanicum verſat incerniculum: ſunt vel hic inſidioſa ſubſellia, à quibus priore incommodo eruditus declinare quis facilè poterit.

Sed abunde ſaturi voluptuariis hujuſce antri ſpectaculis in jucundiſſimum viſu campum, quo ædes coronantur, ſubintramus: in quo ſpatioſus, ac ſuperbus limes longiſſimè extenditur : per quem hinc, atque hinc ſua ſurgunt ſubſellia : ex quibus triginta utrinque fontes elevantur : ad pedes innumeræ occultantur fiſtulæ, quæ obliquè collocatæ, atque ob id cum ab univerſis aquæ emicant concavam veluti teſtudinem figurant : idcirco tuto incedes ſub medio illius aquoſæ fornicis, nec tibi ab aqua periculum, ni cum de repente, reducto epiſtomio : tubuli occluduntur; ſed levis aſperſio, ac veluti ſubita irroratio. At majus periculum cum limitis terminum accedis : major enim ibi tubus rectà attollitur, in quem ſi incideris, bene perplues; ex quo ad latera declinantes, ut evaſimus, in ampliſſimum crarerem devenimus : ubi mulier lotricis figuram induta candidam telam intorquens aquam exprimit. ad ejus lævam puellus inſiſtit, inque ſubiectum fontem mingit. atque iſto ſpectaculo iter illud magnificum bellè finitur, At verò

priuſ-

priuſquam amœniſſimum hunc in tramitem per geminos gradus deſcendatur, ſpectare ſub his licet pulcherrimum fontem cum ſigno proximi amnis, in cujus manu è marmore vas poſitum, copioſiſſimam in fontem aquam verſat; quæ ex eodem proximo amne derivari fertur.

Mox ad dexteram flectentes alatam conſpicimus Famam, tubam manu præferentem: quam ilicet aquarum vi, machinaque impellente, ori admovet, occinitque perquàm ſonorè: alaſque unà continuò commovet. Hæc inter ruſticus quidam ad fontem ſedens pateram præfert, draconique aquam propinandam porrigit: dumque hic caput dimittit, ille elevat manum: atque ita unico fermè hauſtu totam draco aquam ebibit: ut haud ſciam, an quid pulchrius videri poſſit. Hic Mecœnas: Credo facilè: at ego neſcio, an hic mirari plus artis magiſterium, quàm Principis munificentiam debeam, quæ ut in reliquis magna, maxima hic, ac prorſus regia: ſed perge porrò: & quando magna iſthæc me voluptate afficiunt, quæſo ut nihil prætermittas. Cui ego: Faciam, ut jubes. etſi inclinari in veſperam dies jam cœpit. Contra Famæ ſignum, ad lævam ſedentis ſimulacrum Panis eſt, avidoque ore Syringen, quam deperiit, proſpectantis: quæ Nympha Deorum miſeratione in calamum transformata. Hoc loco Lælius: Teneo fabulam: ſic enim Ovid: cantat:

Inter Hamadriadas celeberrima Nonacrina
Najas una fuit, Nympha Syringa vocabant.

Cui ego: laudo memoriam tuam: verùm aliò divertere non vacat. Pan fiſtulam manu tenet ſeptem cicutis compactam; qui, aqua ſignum animante, erigitur, admotaque ad os fiſtula, caput miro verſans modo, cicutas omnes explorat: ac veluti ad numeros jam revocatis, ſonorum occinit: ſonoque jam edito, iterum ſedet: inque amaſiam ſuam Syringen amatorio vultu obtutum figit. Supra turris attollitur, in cujus vertice Cuculus inſiſtit; qui ſe inclinans blandè accinit.

His omnibus vehementi tum admiratione, tum voluptate conſpectis; cumque è ſiniſtra in orientem per iter non admodum latum flecteremur, in aviarium ſatis amplum, ferreis columnis, ductilique ære intertextum, incidimus: jucundamque vidimus propè ſylvam, & amœnum oculis proſpectum, & commodum avibus receptum exhibentem: in cujus veſtibulo copioſus fons delabitur: inque antrum conformatus fons incluſis potum avibus ſuppeditat. Hunc ſupra ornithonem elegantiſſimum pomarium conſitum eſt: quod juxtà pulcherrimus viſu fons murmurat: ejuſq, tectum inſtar tholi faſtigiatum geminis ex porphyrite columnis innititur: Aviaria.

pomarium plurimæ arbores ornant; variaque ex buxo opera, & texturà, & elegantià pulcherrima diſtinguunt. Hinc verò digreſſi, perque anguſtam ambulatiunculam incedentes, quæ tam amœna eſt, quam quæ maximè, in alium perquam magnificum fontem pervenimus: quem vario ex marmore elegantiſſimè inſtructus ordo coronat: ordo quatuor columnis diſtinctus: columnæ verò ita inſculptæ, ut quernis intextæ; implicatæque frondibus videantur in illarum capitulis quatuor aves inſiſtunt, quæ quatuor anni tempora referunt: in medio agricolæ geſtantis arborem ſignum locatum eſt; ex arboris verò foliis affatim aqua exudat, atque extillat: quod quidem ſignum quatuor alia fabrè ficta circumplectuntur; quæ diverſis ex locis eo artificio aquam effundunt, ut mirè variegatam texturam efficiant. Dum verò per eandem ambulatiunculam progrederemur, quædam vivaria viſimus, in quibus magna piſcium copia aſſervatur. Tandem nos bivium quoddam accepit; ex quo dextrà, ſiniſtràque duo itinera erant, non admodum lata: contra Parnaſſus mons aſſurgebat, inque laurea ſylva poſitus: in illius verò conſpectu gigantis caput miro modo elaboratum viſebatur: oculoſque mirabili nervorum motu quaquaverſus intorquebat: cumque diu curioſum de ſe ſpectaculum nobis præbuiſſet, immenſam aquarum copiam ex improviſo evomuit, qua qui proximus erat ephebus, & dolorum ignarus penè obrutus tanto ſociorum riſu, ut nanquam alias. Hic Mecœnas ephebum, qui forte aderat, intuens: Adeone, inquit, tu incautus, ac ſtolidus nonne ſatis ſuperiora erudire te poterant? Et ille: Tanta me curioſitas tenebat, ut ad fraudem, etſi in illiuſmodi dolos ſæpius incidiſſem, minimè adverterim: imò varianda hilaritate aliqua res erat. Tum Mecœnas: ſed non miror, nam cupidine novarum cum tenetur animus, difficilè ſibi conſtat, præſentique voluptate diſtractus, præteritorum obliviſcitur. ad me verò: perge, ut cœperas: ut enim conjicio, gratus tibi Parnaſſus jlle fuit. Cui ego: Rectè intelligis: Mons univerſus ex ſaxis indiſtinctè, nullaque arte compoſitis, ut naturam melius æmularetur: vepretis tamen, & arboribus inveſtitus: atque arbuſculis etiam, crebroque frutice variatus: quibus gratiſſimam ſpectantibus ſcenam exhibet: in ejus dextro clivo novem Muſarum chorus ſedet: ſuiſque ſingulæ muſicis inſtrumentis exornatæ, quas ſupra Apollo eſt, lyram tenens, tantamque præ ſe majeſtatem gerens, ut re vera viventem quendam divum crederes. In ſummo montis vertice expanſis Pegaſus alis incumbit, ungulaque fontem, & quidem copioſum elicit: elegantiſſimè fictus eſt. Quod verò mihi

Parnaſſus cum Muſis affabrè factus.

ſum-

ſummopere placuit, dulciſſimus ſonus fuit. Etenim cum montem cum Apolline Muſaſq; miraremur, villæ cuſtos, qui nos per ſingula perductabat, laxato epiſtomio, aquam admiſit, qua veluti flatu animata Muſarum Inſtrumenta ſonare cœperunt: ac vario, diverſoque ſono, pro organorum varietate, omnibus abſolutam numeris muſicam exhibuerunt; quam poſtquam ſumma tum aurium, tum animi voluptate percepimus, in montis ſinum introgreſſi omnem operis artem, atq; organa, quibus varius ille ſonus ederetur, magna admiratione contemplati: verùm tum in ingreſſu, tum in egreſſu, qui primi pedem inferre auſi ſunt, perbenè maduerunt, aqua ab occultis ſyphunculis ilicet emicante.

Iufra amœniſſimum, & verè poëticum hunc Parnaſſum ingens quercus attollitur, quam mediam octogonum planum complectitur: in cujus ſingulis angulis fons eſt perelegans: ad ipſius verò radicem quercus ſimulacrum, ex quo aqua altiſſimè emittitur, locatum eſt. Snpra quercum planum ſatis amplum extenditur: inque illo ſuperbiſſimus fons, in quem duobus gradibus, qui trunci præ ſe vicem gerunt, aſcenditur, Cùm autem paululum progreſſi eſſemus, in prælongam Salamandram offendimus; quæ humi jacens in ſubjectam paludem continuò aquam egerit. non longè à palude villicus, colligendis juncis dat operam: ſunt & ad lacum arbores, plantæque omnis generis. Non procul mirum oppidò horologium vidimus, quod non pondere, ſed aquarum vi verſatur, horaſque pulſu indicat; ſupra artificialis turbo, qui perpetuò, agentibus aquis, rotatur. Ad dexteram tria vivaria inſtar lacuum: in his plurimæ aquatiles aves circumvolitant: Mergi nimirum, Fulicæ, atq; Anates: mediæ in vivariis inſulæ, ſeu ſcopuli ſunt, in quos ſe aves recipiunt. Poſt vivaria elegantiſſimum æquè, ac muniſicentiſſimum ex lapidibus verſicoloribus inſtructum balneum, inq, varias cellas diſtinctum, non ſine admiratione ſpectavimus: ex ejus verò margine plurimæ aquarum emiſſiones erumpunt; inq; unum coëuntes, ad abluendos eos, qui lavatum ingrediuntur, pulcherrimam viſu pluviam efficiunt.

Horologium hydraulicum.

Ex his digreſſi, perq; ampliſſimum iter ad ſiniſtram tendentes, in antrum quoddam pedem intulimus: in illius ſinu Satyrus inerat, Corinthio ex ære fuſus elegantiſſimè, urceumque juxta dolium tenet: ex quo dolio, atque urceo tanta aqua effunditur, & nitida, & frigida, ut tota principis familia abundè hauriat. in antrum per clathros itur: in quibus tot fiſtulæ latent, ut univerſos penitus perluant, cum laxato epiſtomio, aquam omnes ejaculantur. Ex quo tan-

dem antro non ſine multa aquarum aſpergine, egreſſi. Hic Mecænas me ità interpellat: Maduiſtin igitur & tu? Cui ego: Aliquantulum: tot enim, tantique paſſim inſtructi eo loco doli, ut acutiſſimum quemque fallant. Et ille: Gaudeo, quod tandem feſtivum ſociis riſum præbuiſti. riſiſſem & ego quamlibenter, Cui tum ipſe: ſummum mihi lucrum, ſumma voluptas fuiſſet, hanc tibi ridendi anſam præbere; ſed pergamus porrò, Ex eo, inquam, egreſſi, in alterum, cui Cupidini nomen, intravimus: in quo plures latent fraudes, quàm alibi. Quid mirum, tum Mecœnas, ſi Cupido dolorum artifex. Cui ego: Recte colligis. verum hic non ab igne, ſed ab aqua tenduntur inſidiæ: quocirca innocentiores, nec niſi in riſus erupturæ. In ipſo veſtibulo, vix pedem gradui admoviſti, ut in antrum deſcendas, cùm ſtatim utrinque è duobus ſyphonibus aqua emicat, inque os ipſum introeuntium effunditur, totumq; hominem perluit. Puer tuus qui primus pro more ingreſſus eſt, unà cum ephebo cœteris documento fuerunt, ut ſaltu, gradu tranſmiſſo, antrum ſubirent. ad antri parietes octo ſedes ſunt, in quibus ſi ſedeas, perfunderis eo modo, quo in ingreſſu. In antri gremio Cupidinis ſimulacrum ex ære, magnificoque in fonte inſiſtit, facem præferens. eo autem artis ingenio locatus, ut ſe circum verſet, èque face aquam fundat, omneſque circum abluat. Ad dextram delphinus eſt, inque eum, qui ſe medium ſtatuit, aquam ilicet eructat. Ex adverſo Rana viſitur, quæ cum latus obvertit univerſum antrum perfundit. antrum ex pumicoſo lapide factum, & tam benè naturam imitatur, ut nihil amplius accedere poſſit. Contra ex pumicoſo item ſaxo teſtudo in tholum faſtigiata conſurgit, proſpectumque, ſcenamque terminat: ex ea vero aqua quàm altiſſimè exilit. Ex antro demum egreſſis, tanta aquarum copia ex innumeris penè fiſtulis illico emicuit, nec deſtitit, ni ad aream quandam perventum fuit, ut urceatim pluere credidiſſes. ſed quid? vix ad aream perventum, cum pluere iterum cœpit eodem modo. ſunt hic duo ruſtica ſimulacra, unum villici ex capra lac elicientis, alterum uvam prementis.

Ultra hanc aream, altera ſubſellis è ſaxo inſtructis circumdata viſitur. verum cave, ne hic ſedeas, nam fugies illico tuo damno; tanta ex illis aqua erumpet, ut penè obruaris. medius in area è marmore fons, qui à gallis in ejus cratere bibentibus, nomen accipit. Verum ad ſuperbiſſimas ædes redeuntes, in ampliſſimum vivarium pervenimus, quod longo amplexu ex marmore balauſtia præcingunt: inque geminas ſcalas terminantur: quibus in vivarium, quod

inſtar

inſtar balnei inſtructum, conſcenditur. in hujus proſpectu ſimulacrum eſt, quod perſonatum vocant. Eſt autem hominis, qui ſe piſcatum ire ſimulat, piſceſque aliquot præfert, ſed tantam aquam evomit, ut rivum diceres. Poſt ſimulacrum cella facta eſt, in qua duo parvi inſtructi ſunt clibani, ad aquam calefaciendam. non longè ruſticus cum cado adſtat, eoque aquam in craterem verſat. crater ex marmore pulchrè interpictus. Hoc loco Lælius: Vide, inquit, ne perveſperi domum redeamus; jam enim dies extabeſcit. Cui ego: Optime mones, & in tempore: nihil quippe de villa elegantiſſima dicendum reſtat, Mecœnatem igitur rogo: Numquid Neapolim vellet. Et ille: ut prope diem vos reviſam. ſtatimque diſceſſimus.

CAPUT SESTUM.

Quæ in Magnete vis ſit, quæ ferrum alliciat: quæque Sympatia, atque Antipathia, pluribus diſputatum.

Dies Redivivo Numini ſacri recurrebant: quo tempore, indicto literis interſtitio, in Herculano, unà cum Lucilio, qui à capite laborabat, uti conſueveram, ruſticabar. dum autem primo à feſtivis die ad otium pro hypethræ foribus conſedimus, multa de animi tranquillitate diſputantes, adeſt famulus, meque rogat, quota diei hora deflueret? Ego tum illi: Inſpice automatum, vel ſi placet, ſolarium. Et ille: Automatum laxata nimirum rota horas præcipitat, ſolario ſtylus excidit. Tum ego pyxidulam, in qua deſcripta horarum ſpatia, educo. planoque in loco ita accomodo, ut acus Magneticæ cuſpis in Meridiem ſe converteret. mox inſpicio, quamnam horam umbra indicaret eratq; tum XVI, quam ſtatim famulo ſignifico. At Lucilius: Qua data, inquit, porta, ingrediar, & quando otioſi ſedimus, haud tibi grave futurum duco. Cui ego: Intelligo quorſum ſpectes. Et ille: Non miror, acre tibi ingenium. Age ſis igitur, & quæ vis ea in Magnete ſit, qua ferrum alliciat, ac pertrahat? & quæ tanta ferri cum eo connexio quam συμπαθίαν Græci nuncupant: quæ tanta averſio ejuſdem ab eodem, ſi ad alteram partem applicetur, quam illi αντιπαθίαν vocant? id enim ex longo ſcire aveo: & eò præcipuè, quod illiuſmodi affectionibus, quas πάθη Græci, nos etiam perturbationes cum Tullio nuncupamus, tota pene hominum vita agitur, ut nihil ferme ſit, quod non amore, vel odio fiat; quibus gemino veluti cardine uni- De Vi Magnetis diſquiſitio.

verſa

verſa circumvoluuntur. Cui tum ipſe: Magnum tu me, Lucili, lapidem movere vis: & facerem, ſi vires in præſentia ſuppeterent, etiam in gratiam tui, cujus nivei mores, ac læta indoles me devinxerunt miro modo. Et ille: Dummodo velis, nihil impedit: ſubitum tibi, atque expeditum ingenium. Cui ego: Bona verba: quibus nec ego aſſentior, nec ji, qui ſe rectè ſapere profitentur, reſque penitus internoſcere; tu verò facis amicè. Tum Lucilius: Ut ut ſit, inquit, id ipſum quæro, cur ego ita ſentiam & benè ſentire mihi videar? alii verò contrariam in partem abeant, & rectà ſc ire via arbitrentur, nam ni me fallo, hujuſmodi perturbationes in cauſſa ſunt. Haud falleris, tum ego: ſed videamus quando jubes, ſi quid imparatus ad rem afferre poſſim, audias tu quæſo amica aure: nam ſi ita, non ingratum tibi ſermonem futurum confido. Ne dubites, tum Lucilius: benignas tibi aures accomodabo. Cui ego: Atque audi, remque ordior hoc modo: Sympathia, quam Cicero convenientiam naturæ, coniunctionemque ingeniorum; ſimilitudinem, ac concordiam, Plinius, vocat, nihil aliud in hominibus eſſe duco, quàm concentum quendam, & conſenſum ſive naturæ, ſive morum, quo ita duo inter ſe nativa quadam cognatione conſentiunt, ut facile ſocientur: ex hoc autem ingeniorum conſenſu amicitia oritur, quæ ſi vera ſit, nihil illa in humanis preſtantius, nihil divinius eſt. Antipathia verò, quam naturarum repugnantiam, atque diſcordiam, diſſimilitudinemque iidem appellant, diſſenſus quidam eſt, quo duo nullo modo inter ſe conſentiunt. ex hac non amicitia, ſed averſio plerumque naſcitur ut unus alterum pati neutiquam poſſit. utraque ni ratione, ſapentiaque moderetur, vehemens eſt animorum perturbatio, quæ optimos quoſque in tranſverſum agat, verſetque. enim vero niſi intra æqui, bonique fines huiuſmodi affectio ſe contineat, nihil illa turpius, nihil pernicioſius eſt; vel enim immoderatum in amorem ſi paucorum; vel in ſectam, ſi plurium, turpiſſime degenerat; ex qua gemina ſentina dicam, uon fonte, duplex tum privatæ, tum publicæ rei peſtis exoritur. Ex immodica enim benevolentia corruptela morum, corporum lues, honeſtatis naufragium, eaque omnia mala proveniunt, quæ minime honeſtæ voluptates ſecum afferre conſueverunt. Ex ſecta vero labes bonarum artium, virtutum excidium, ſimultatum ſeminarium, mutuæ charitatis interitus enaſcitur. id etenim hujuſce peſtis ingenium, ea aſſeclarum indoles, ut omnia ad ſe, ſuoſque trahant, ſibi velint: & quod pejus eſt, omnia ſibi deberi arbitrantur. ſe ipſos amant

Quid Sympatia?

Quid Antipathia.

Ex *Sectis* quot mala in Remp.

mant, colunt, obſervant, ſe mutuò laudant, commendant, promovent: ſibi commoda vindicant, honores arripiunt ſibi conſulatus, præturas, ædilitates petunt: invadunt: cœteros verò, quibuſcum nulla gratia, atque antipathia, deſpicatui habent, laudibus fraudant, dignitatibus arcent, magiſtratu ſubmovent: uno verbo, quaſi proſcriptos igni, & aqua interdicunt. ſi candidatus amicus eſt, quas non illi vires adhibent? quem lapidem non movent? quos nervos non intendunt? quam fraudem, erravi, artem vocant, non iuſtruunt, nè petitione dejectus, voto non potiatur? quantis non illum laudibus apud populum; apud patres ornant? quantas commendationes? quantas preces adjiciunt? quàm magnificis verbis attollunt? quantum virtutes amplificant? quanto vitia fuco, quantis mendaciis illiniunt? Competitores verò, quibuſcum nulla eſt gratia, nullus conſenſus animorum, quantis onerant probris, ut dejiciant? quantos conatus exerunt, ne voti compotes efficiantur? virtutes vel ſilentio tegunt, vel attenuant, vitia exagerant, mores carpunt, merita reticent, perque fas omne, ac nefas eunt, ut honorum aditu prohibeant, tandem ut compendio ſtudeam, nulla eſt machina, quàm non admoveant, nullæ artes, quas non adhibeant, nullæ decipulæ, quas non iſtruant, ut quod ipſi velint conſequantur, inque fundum ſuum cuncta derivent. Ex hoc autem quis adeò cæcus eſt, ut non videat, Rempublicam omnem ſubverti, ſocietatis vincula diſrumpi, tolli virtutes, amandari diſciplinas, atque una tantùm nutriri vitia, atque foveri. Enimverò ſi ad omnes honorum gradus, non qui virtutibus dives, modeſtia inſignis, doctrina conſpicuus, lauream erudito in pulvere adeptus eſt, vel palmam in arena ſua fortitudine, ſuis armis egregiè promeritus eſt: qui labori otium poſthabuit, virtutemque voluptati præpoſuit, promovendus eſt: ſed qui amicus, qui noſtras; quique otio emarcuit, diſciplinam ſolvit, obtuſis armis, ac ſtrioſo equo uſus eſt: cujus culpa acceptæ clades, afflicta Reſpublica, fortes in acie ceciderunt: quis, quæſo? poſthac virtutum ſectator: quis diſciplinæ cuſtos? quis, Reipublicæ pugnator? quis vitiorum hoſtis? quis patiens laborum erit? quam pauciſſimi admodum, qui generoſum nacti animum, omnia infra virtutem habent; ipſaque facti honeſtate contenti ſunt. Non ità? Ita ſanè, *t*um Lucilius: neque iſto vel verior, vel blandior ad aures meas allapſus unquam ſermo eſt. O quàm benè humano generi conſultum eſſet, ſi non amicitiæ, non ſanguinis, ſed unius tantùm virtutis ratio haberetur: nec privatæ rationes, ſed publicæ nos ad judi-

Non Amicitiæ, ſed unius Virtutis ratio habenda eſt in Rep.

judicia ferenda, ad diſtribuenda munera, ad dandas laudes impellerent; iſto enim modo fieret, ut bonæ vigerent artes, florerent diſciplinæ, niterent mores, atque humanitas ipſa limatior eſſet: nam præmia virtutem excolunt, & ubi hæc malos ſequanrur, rari admodum boni reperientur. Verùm omittamus iſthæc, quæ neque loci hujus ſunt, nec temporis; & pungunt quidem animum, non allevant, atque ad limen oſtii, ut ajunt, veniamns: & quinam conſenſus iſte, qui verò diſſenſus ſit, enucleatè diſſeramus; in cœteris enim animantibus, atque inanimis explicari vix poteſt, Cui ego: Iſtuc jam contendebam, quæſo igitur, ut auſcultes. Tum Lucilius: Hic ſto, contende ergo, ut cœperas, te ego dicentem animo ſequar, atque auribus. Tum ego; Quidam Phyſicorum ſunt, qui ineſſe rebus univerſis vim quandam quam πιότητα Græci, qualitatem Latini dicunt, opinati ſunt. illa vero arcana veluti virtute, tum animi, tum corpora vel amico invicem nexu copulentur, vel internecino, ut ita dicam, odio ſe oppugnent, jugulentque: nam duplicem illa indolem præſefert, amicam ſcilicet, & hoſtilem. Sic Magneticus lapis, quem, ut ſcis, Herculeum etiam, & Magnetem appellant, ita hujuſmodi vi in ferrum afficitur, ut duriſſimum quamvis, ac ponderoſiſſimum vel è longinquo conſpectum ad ſe alliciat, trahat, uniat, adſtringat; ut divelli non niſi vi adhibita, & majori illa evaleat. Contra verò adamas, contraria affectione, atque vi inimicam nactus indolem; ita Magneti diſſidet, ut juxta poſitus, omnem illius virtutem hebetet, atque obtundat; ferrumque trahere minimè patiatur. Hic Lucilius: Intelligo. at quid tu de hujuſmodi qualitate? quam ſimilitudinem ipſam, ac diſſimilitudinem naturarum volunt. Ipſe enim, ut candide fatear, non ſatis video, quì fiat, ut ſimilitudine, diſſimilitudineque, quæ utraque agendi vi prædita neutiquam eſt, tantus in natura motus oriatur: imo mihi videtur idipſum quæri, cur nimirum ſimiles, diſſimileſque res afficiantur iſto modo. erit ad ſummum, non inficiar, diſpoſitio quædam, qua res ad mirabiles illos effectus excitentur. Cui ego: Egregie tu quidem, Lucilli; Enim verò cum ferrum, excuſſo veluti ſomno, ad Magnetis amplexum tam ſubitaneo, tam celeri curſu advolat, ut pennas induiſſe crederes; vim illam, qua id patitur. vel ipſum ſibi ingenerat, vel accipit à Magnete? ſi primum velis, rogo, cur non antea? nam ſola lapidis præſentia operoſa non eſt; ſi ſecundum, atque à Magnete derivari aſſeras; jam hic reclamante Philoſopho, in ferrum abs ſe diſtans ageret, & operosè equidem certè. Non refragor

Adamas Magnati inimicus eius virtutem hebetat

fragor

Cni nam cauſæ tribuendum; Cutem hominis piloſam ex vulnerato capite reciſam, eodem tempore incenuiſſe, quo is, a quo fuerat revulſa, & Mira etiam de aliis enarrantur.

fragor : tum Lucilius verùm experimenta quædam in promptu ſunt, quibus nonnullæ cauſſæ vim iſtam præ ſe ferre videantur. Perhibent piloſam hominis cutem vulnerato ex capite reciſam, eodem prorſus tempore incanuiſſe, ac capillos depoſuiſſe quo is à quo fuerat multo ante revulſa, & canos induit, & glabreſcere mox cœpit. Memorant apud Britannos, ad quos Liber non navigavit, nec victor uti apud Indos, vitem invexit, aliunde aſportatum navibus vinum, eo tempore quam maximè effloreſcere, quo vites, à quibus expreſſum, gemmaſcunt. compertum ſæpe cervinam carnem ſale conditam id temporis veluti effermenteſcere, interdum etiam computreſcere, quo ad procreandam cervi ſobolem incitantur. jam vero (omitto cœtera, ne ſim longus, & te illa non latent) & hominem in reciſam ab ſe cutem, & vites in vinum, & in cognatam ſibi cervos carnem vim aliquam illorum effectuum effectricem immiſiſſe, eſſe qui neget arbitror neminem, nam ſi ſecus, quo id pacto evenire potuiſſet, non dum ſatis intelligo. Cui tum ego: Acutè tu quidem, Lucili, & eruditè: verùm reſponſio eſt ad manus, & primo, ut à capite exordiar, à quo tu merito exordium duxiſti; ea in cute fibrarum textura, eademque cum toto corpore temperies erat; idcirco eaſdem cum toto capite affectiones ſortiebatur: non igitur mirum, ſi unà cum reliquo capite incanuit. In vino eadem temperatio, eadem ac vitibus naturæ indoles, eandem etiam fermentationis periodum patiebatur: ut cum floreſcentibus vitibus, incaleſcere in earum ſinu humor inciperet, vinum matris ingenium imitatum, incaleſcere etiam, ac fervere moliebatur. Non ſecus ac ceraſa, reliquique fructus, diverſis licet in locis, eodem ferè anni tempore matureſcunt: eædem enim arbores cum ſint, idem, quo tepeſcant, ac veluti animentur, æſtus, jidem, in cunctis effectus oriuntur. Nec multum de cervina carne negotium. Hic Lucilius: Ne te vexes, inquit: teneo quippe; eandem nimirum illa cum cervis fermetationem experiebatur. Cui ego: Ita verò. At miror, Lucili, te illud, quod tum admirabile, tum curioſum quàm maximè eſt, non retuliſſe. numnam excidit memoria? Et Lucilius: Quodnam illud? Cui ego: Quod de Aprilo araneo celeberrimum, ac pervulgatum eſt. Hic Lucilius, ut ad rem novam, & inopinatam fit, aures arrigens: quid iſtuc, ait, monſtri eſt? quæſo, ut narres. nam ut latinè fatear, & meo more, nunquam intellexi. Deus bonè quot ſunt, quæ nos, qui cœteroqui eruditi audiri affectamus, fugiunt omnino! Tum ego: Laudo, Lucili, candidam iſtam tuam indolem, ac ſin-

cerum animum, quod in paucis reperio. ſic enim plerique ſunt, ut cum pauciſſima admodum didicerint, omnium ſe artium, diſciplinarum omnium ſcientes videri, atque haberi volunt: & cum ipſi plerumque incipiant, omnium ſe cenſores, omnium judices, eò iniquiores, nullo ſenatusconſulto, nullo plebiſcito conſtituunt. Ex ea vero, qua ſive naturæ, ſive educationis vitio præditi ſunt indole, illud lucri percipiunt, ut nimirum odio univerſis ſint; maledicentiæque nota à reliquis ſecernantur. At nos interea excidimus ab equo: redeamus, quæſo, in viam, à qua neſcio quis nos deus abduxit. Eſt in Apulia, & præcipue Tarentino in agro

Quà piger humectat flaventia culta Galeſus,

Ab Apulo Araneo, Tarantola, Vulnerati tandiu agitantur, quamdiu Araneus vixerit.

Quoddam animalculum, araneo quam ſimillimum: imo ex araneorum genere, quæ plurima ſunt, unum eſſe docti non dubitant. Tarantulam indigenæ appellant, cujus tanta veneni vis, ut quos ſemel momorderit, tandiu illi agitantur, quoad animal vixerit, quod autem mirum oppidò, & fabulæ ſimillimum eſt; cum anni æſtus incaleſcere, àtque unà furere illiuſmodi animalia incipiunt; & ipſi furere, ac variis, miriſque modis agitari: ſtatiſque temporibus in eos motus proſiliunt, in quos occulta veneni vi incitantur, quod ni facerent, per ſummos cruciatus interirent. at non una veneni vis eſt: quidam muſica levantur: & dum citharæ, ac lyræ certos ad numeros pulſantur, ad eoſdem illi numeros ſaltus agglomerant, choreas jungunt, perque itus, redituſque venenum excutiunt. Ex his verò, incitatioribus quidam numeris, quidam remiſſioribus gaudent. alii acuto, alii gravi ſono, diverſoque ſaltandi genere afficiuntur. Sunt quos arma, nitidique enſes delectant, perque umbratiles pugnas, ſimulatoſque ictus humorem decoquunt. tandiu vero hujuſcemodi motus durant; quoad omnis veneni vis ſe ſenſim remiſerit. Hic Lucilius: Mira quidem narras. & quæ nunquam inducerem in animum, ut crederem, niſi tu diceres. Verùm dic, quæſo, undenam iſtiuſmodi motus fiant? Quia, tum ego, hi ſpiritus, qui cum veneno in hominum corpora irruperunt, ejuſdem naturæ, ac ji ſunt, qui in araneo perſeverant, jiſdemque affectionibus obnoxii; quocirca id temporis, quo araneus perfurit, & hi, quos momorderit, agitantur; & varii quoniam in variis araneis ſunt, varia pariter veneni vis, diverſoſque effectus progignit. Intelligo, tùm Lucilius. Sed quinam iſtiuſmodi ſpiritus, & quæ illorum indoles? velim, ni grave tibi ſit. clarè explices; nam totam in his, ni me fallo, ſympathiæ, atque antipathiæ

Mira hujus veneni vis.

Sympathiæ, atque Antipathiæ vis in ſpiritibus.

vim

vim ſtatuis Cui ego: Rectè autumas. ſta igitur: rem ipſe dilucidè, ut potero, explicabo. Ex univerſis fermè corporibus minutiſſimæ quædam partes continuò emittuntur, quæ cum tenuiſſimæ, volatiles, activæq; ſint, non erit abs re, ſi eas ſpiritus appellemus, etſi re vera inanimes ſint. Hoc me loco ità Lucilius interpellat: Num nam illæ ſunt atomi, quas Democritus ſomniavit? Cui ego: ſivè ſimplices atomos, ſive compoſitas ſubſtantias rectius eſſe mavis; perinde erit in re noſtra. ſed ne, quæſo, moras innectas, jam enim, ut vides ad umbilicum dies eſt. Ex his verò ſpiritibus quidam ſimiles, quidam diſſimiles ſunt omnino. quidam ſimiles aditus, ac ſpiramenta πόρυοσ Græci dicunt, quod apud Phyſicos receptum uſu vocabulum jamdiu eſt: quidam diſſimiles, ut ſubire corpora, ſeq; penitus inſinuare nullo modo queant. Jam verò ſi corpora ſimiles emittant ſpiritus, ſimilibuſq; ſpiramentis laxentur, ut excipere eos poſſint, inter ea ſympathia, ac ſocialis quidam veluti nexus intercedit: ſi verò diſſimiles ſint, diſſimileſque poros nacti, nullus inter ea nexus, nulla amicitia: ſeſeque internecino odio perſequuntur. Hic Lucilius: ſi non verum, veriſimile quidem certè. at ſi ſic, jam ex Magnete innumeri ſpiritus evibrantur. Cui ego: Aio enimvero. ut autem id in animum inducas: dic, quæſo, unde nam eſt. quod canis heri ſui veſtigia ſectetur? quod illum in infinita penè hominum multitudine, & quantumvis conglobata, divina illa dicam, narium ſagacitate dignoſcat, teneat, blandiatur? quod feram longo ante ſpatio fugientem, & quam ne vidit quidem per invios, atque imperplexos ſylvarum ſaltus perſequatur, inveniat, comprehendat? nonne quia ſubſtantiam quandam tenuiſſimam, quam ſpiritus voco, illi effundant: quam canis ſagacitas ſentiat, ac perſcrutetur? Non abnuo, tum Lucilius: imo conjecturam facile capio, nullum penè corpus inveniri, ex quo tenuiſſimæ particulæ non expirent. Cui ego: Rectè colligis. ex odorifero odores effluunt, ex olido, & graveolenti putores, ex cocto nidores, vapores ex valido, èque luminoſo lux emicat. Intelligo, tum Lucilius: ſed quo pacto poros, ſive ſpiramenta permeant? Cui ego: Quo aërem cuncta ferme corpora permeare, nemo unus eſt, qui neget, nam ſi patet aditus, & particulis illis pervius eſt, quid impedit, ut volatiles cum ſint, ilicet irrumpant, penituſque deſcendant? Tum Lucilius: Et hoc etiam concedo: manifeſtum quippe. At qua vi deinde hi ſpiritus ferrum ad magnetem trahant, non plane intelligo. ſis igitur tu mihi Delius natator. Faciam, tum ego: verùm res eſt ſatis pre-

Qua vi Spiritus Ferrum ad Magnetem trahũt?

prolixa, & multi multa ſunt, quæ nituntur, ut è vado emergant. referam alias, cum erit otium, in præſentia me paucis expediam; eoſque imitabor, qui ut è latronum manu evadant, pallium relinqunt. Quia illi ſpiritus ad ſuum principium, fontemq; unde emanarunt, perpetuò enituntur; quò dum unà cum amicis ſpiritibus, qui ferro inſunt, incitantur, illud arcanis veluti vinculis alligatum trahunt, magneti ſociandum: Atq; in id ratiocinationis prandii ſignum datur: quo audito ilicet aſſurreximus.

CAPUT SEPTIMUM.

Occaſione ignis ſpeculo excitati, quæſitum an à Prometheo id primùm tentatum, & an revera, & quibus ſpeculis Romanas naves Archimedes incenderit.

VErnis recurrentibus feriis, Herculanenſe in rus conceſſeram, ut ſolidos eos dies liberiore otio fruerer, capitiſq; dolorem aliquantulum allevarem; in quod rus mecum unà ſe C. Manlius receperat; ut ex tuſſicula, qua identidem vexabatur, mitiſſima illa cœli temperie convaleſceret, adoleſcens magnæ ſpei, & tum Latinis, tum Græcis literis eruditus: moribus vero adeo cultus, ut nullus illo limatior. Dum verò quodam die in hypethram apricandi gratia egredior, ibi inambulantem Manlium invenio: cui ſtatim: Quid hic Manli? Et ille: Obſono famem deambulando. Benè facis, tum ego. Sic enim comedes majori appetentia. At ille: Age ſis: Arabicum mihi potum adornato, quem ſcio tibi gratiſſimum, illo ego frequenter utor: ut ſi quæ ſunt excretorum reliquiæ, facile egerantur. Tum ego: Inſerviam tibi hac in re, cæteroqui leviſſima, vellem ut majoris operæ occaſionem exhiberes. Ingrediamur igitur cubiculum. Ubi vero pedem ambo intulimus, ego vitrum utrinq; turgidum, & globoſum accipio, ut illo Soli obiecto ignem excitarem, quem ſimul ac excudi: accipe, inquam, Manli, ne dum potio adornatur, odioſa iſthæc tibi mora ſit, fabellam perquam lepidam, quam quidem erit operæ auribus audire. Et ille: Iſtuc ex te expectabam: cedo, igitur: operam ego tibi aurium dabo intentiſſimam. Ego vero: Atq; audi. Philoſophus quidam, erravi ſophiſtam dicere volebam. Hic Manlius: Intelligo: non enim ſurdo fabulam canis. Ego tum: Teneo ingenium tuum: ſophiſta ille, & quidem apud iſtiuſmodi homines vendibilis, cum me cryſtallo Solari-

Fabella de Sophyſta quodam, qui ignem Uſtorio ſpeculo excitatum Cacodæmoni tribuebat,

laribus radiis objecta, ignem excitare animadvertit, nō ſecus ac ſi portentum novum, atq; inſolens inſpexiſſet, ſtetit primo attonitus rei novitate: facto mox ſibi animo, ſalutari ſe ſigno munit, quaſi cum Cacodæmone luctaturus, etſi non bonus athleta; adeo meticuloſus erat, animoq; puſillus: præſtigiaſq; arbitratus, quod ipſis oculis tam manifeſto aſpiciebat: Næ tu, inquit, Theſſalus, qui magicis cautionibus ignem creas; Cui ego: Nugaſne loqueris? Imo feriiſſima, inquit ille. Iſtuc enim ſua ſponte fieri nequit, quare religioni duco, te ad Ædilem præſtigiarum deferre. Tum ego non ſine ſtomacho: Næ tu Philoſophus, qui hoc tam vulgare, tam tritum non teneas; quis enim adeo craſſæ Minervæ, qui neſciat ignem eſſe ſuæ ſpontis; & quis non vidit Solaribus radiis in unum adunatis flammas erumpere? Hic Manlius: Mirum oppido, ac perridiculum; uſque adeo delirant aliqua multi, qui in frivolis toti ſunt, omnemq; in illis operam locant, notiſſima verò naturæ contemplari ſupini prætermittunt. Quàm benè literis conſultum eſſet, ſi iſtiuſmodi homines, omiſſis ſophiſtarum nugis, quæ ſiculis gerris vaniores ſunt, in ipſius naturæ adyta pedem inferret: atq; ea meditarentur, quæ multa animum cognitione rerum locupletarent. Cui ego: Sapis tu quidem, Manli; & ò utinam ſentirent ſic omnes. Et ille: Verùm age, & oſtentatam occaſiunculam arripere, ac tenere tibi grave non ſit; quo circa patiare, quæſo ut unum, aut alterum abs te requiram. Imo gratiſſimum, tùm ego, velim tamen ut rem in pauca conferas. Et ille: Uſus compendio, dicam, inquit, breviter. Et primo fabulantur poëtæ, ut te certò non fugit, Prometheum, qui Japeti filius traditur, pater vero Deucalionis: quemque ajunt extitiſſe mortalium audaciſſimum: quippe in Solem ipſum auſum irrumpere, atque ex illo ignem ſubripere, quæ quidem audacia illi capitalis fuit: Nam Jovis juſſu à Mercurio ad rigidiſſimam Caucaſi rupem alligatus, additus & miſero infenſiſſimus comes Vultur, qui illius præcordia continuò depaſceretur: atque hinc cecinit.

An Prometheus hujus ſpeculi Inventor; atq; hinc conficta ejus Fabula?

Hinc lapides Pyrrhæ jactos, ſaturnia regna,
Caucaſeaſque refert volucres, furtumque Promethæi.

Imo etiam ob id morbos, & febres mortalibus immiſſas, ut Sapho, & Heſiodus referunt, & quidem hic ſic ἐν ἔργοις, καὶ ἡμέραις cecinit:

Τὸν δὲ χολωσάμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς·
Ἰαπετιονίδα πάντων πέρι μήδεα εἰδώς

Χαί-

Χαίρεις πῦρ κλέφας, ϗ ἐμάι φρένας ηπεροπέυσας
Σοιτ', αυτῶ μέγα πᾶμὰ, ϗ ανδρασι ϑασομένασι.
Τοὶς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν, ῷ ἅπαντες
Τέρπονται κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν αμφαγαπῶντες.

Nummam idcirco conficta fabula, quod hic primus iſtiuſmodi uſus ſpeculo abs ſe invento, ignem Solaribus radiis excitaverit? Nam etſi id novum omnino, mihi certè videtur veriſimile. Cui tum ego, Manli, venturum ſuſpicabar. Fateor, id mihi jamdiu in mentem veniſſe, ſed proferre nondum auſus. Non enim tutum eſt nova moliri, niſi prius ſocios aſciveris; quæ plures ſortiuntur authores, etſi non vera, veriſimilia tamen apud vulgus fiunt. Gaudeo igitur te cogitatum meum prævertiſſe. Et ſanè nullus, quem ſciam, hucuſque nobis id tradidit: neque ea hiſtoriæ prodita monumenta, ex quibus capere conjecturam liceat: quo circa affirmare non audeo; negare, ne id quidem. Licet tamen ſuſpicari; etenim cum illum ſolertiſſimum Naturæ myſten fuiſſe perhibeant, & rerum plurimarum auctorem; potuiſſe & ſpecula elaborare, atque illis ignem excudere vero mihi ſimile videtur. Et quamvis eò ſpectare fabulam dicant, ut illius ſolertiam, peritiamque in contemplando Sole, ſuperiſque corporibus, ſignificare velint: tamen ſi vim fabulæ perpendamus, id inſinuare veteres voluiſſe, congruum magis eſt. Tum ille: Intelligo: idque mihi nullo negotio perſuaſerim. Sed pergamus porro: deque ſecundo, quod non ad chaos ſpectat, & Saturnia tempora, ut ajunt, te ſententiam interrogo. Illa mihi ſemper hæſit animo dubitatio; verumne fuerit Romanas naves, Syracuſas, Marcello duce, obſidentes Solaribus radiis conflagraſse. nam etſi hac de re diſſipatiſſimus ſermo ſit, tamen vulgaria plurima ſunt, de quorum veritate adhuc apud doctos ambigitur. præterea qua id machina fieri ab Archimede potuiſſet, non ſatis hucuſque intellexi; quæſo igitur, ut mihi Delius natator ſis. Cui tum ego: Etſi natare non probè novi, enitar tamen te educere è vado. Et primo veram eſſe hiſtoriam, haud equidem arbitror eſſe, qui negaverit, neminem; niſi fortè hominum fidem tollere velit, quo neſcio quid dici abſurdius poſſit. Imo cum feratur etiam Proclus inſignis machinator, Archimede verò multo inferior, ſpeculis hujuſcemodi ſub Anaſtaſii Cæſaris tempora, ingentem barbarorum claſſem, quæ circa Byzantium erat, incendiſſe, id ipſum ab Archimede prius effectum oppido veriſimile. Et ſanè de Proclo hæc habet Zonaras III. Hiſtoriarum:

An Archimedes Romanas Naves ſolaribus radiis incenderit?

Proclus etiam Barbarorũ Claſſem incendit.

Χαί-

Κάτοπτρα γὰρ ἄδεται χαλκεῦσαι πυρυφόρα ὁ Πρόκλος καὶ ἐκτὸς τεῖχος ταῦτα ἀπαιωρῆσαι. κατενάντι τῶν πολεμίων νεῶν τούτοις τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων προς Βαλόσων πῦρ ἐπεῖθεν εγκεραννῦσθαι καταφλέγον τὴν ναίτην τῶν ἐναντίων.

Hic Manlius : Aſſentior ; & gaudeo , quod te magiſtro Græcis literis operam navaverim ; quam enim turpe in præſentiarum eſſet , te loquentem non intelligere ? Sed ne moram feſtinanti objiciam , quibuſnam ſpeculis tantum opus Archimedem confeciſſe , opinaris ? Cui ego : Iſtuc ibam , quod caput eſt controverſiæ. Da igitur vacuas mihi aures. Et ille : Perge porro : ego hic ſto . Tum ſtatim ego : Zetzes Græcus author , id Archimedem ſpeculo ſexangulo , plurimiſque è regione aliis illi adjunctis feciſſe tradit , illius , quando volupe eſt Græca audire , hi verſus.

Ἑξάγωνον τὶ κάτοπτρον ἐτέκτανεν ὁ γέρων
Ἀπὸ δὲ διαστήματος συμμέτρου τοῦ κατόπτρου
Μικρὰ τοιαῦτα κάτοπτρα θεὶς τετραπλᾶ γωνίαις.

At reliqui fere omnes , apud quos hac de re diſputatum invenio , id conſecutum Archimedem ſpeculis aut globoſis , aut concavis fuiſſe autumant , quod , ni me fallo , fieri potuit nullo modo . Tum Manlius : Audiveram id ego ; quare argumentum expecto . Accipe , tum ipſe , & ni mea me decipit ſententia , apertiſſimum . Hujuſcemodi ſpecula ſive è cryſtallo fingantur , ſive è calybe , vix tantæ molis eloborari poſſunt ; ut ultra triginta paſſus acceptos à Sole radios repercutiant , inq; cavum conſtipent ex quo illud ſtatim exiſtit ; nimirum totidem ultra paſſus ; excitare ignem non poſſe . Hic Manlius : Iſtuc do facile . verùm quid hinc conficis ? Cui ego: Illud ipſum , quod modo affirmabam : his ſcilicet ſpeculis creari incendia , quibus illico exarſuræ naves , neutiquam potuiſſe . Etenim ſimilius vero eſt , Romanorum navigia tantum à muris abfuiſſe , quantum ſagittarum excurſus eſt. Id facile impetras , tum Manlius: ſecus enim extra ictum non fuiſſent . Atq; audi , tum ego . Ultra triginta paſſus ſagittæ excuſſæ ex arcu emittuntur , at non hos repercuſſi radii pervadunt : non igitur his incendi naves potuere. Tum Manlius: Aſſentior & his , liquida quippe. Sed cedo tandem, quibuſnam machinis ignis ille excitatus eſt ? Cui ego : Mathematicus quidam oppido vendibilis planis ſpeculis uſum fuiſſe Archimedem vel ex eo præcipue arbitratus eſt , quod ex his lumen quàm longiſſimè repercutiatur. Hic Cajus ſed ſi ita, tot in unum cogi radios, in validum mox incendium exarſuros , non facilis erat negotii . Cui ego : Reſponſio eſt ad manus : enim verò ſi plurima ejuſmodi ſpecula ita aptè colloceen-

Id autem contingere nequit a ſpeculis concavis, vel globoſis, & quare ?

An a ſpeculis Planis fuerit excitatus Ignis ad magnam diſtantiam ?

centur, ut in ipſa incurſantes radii, atq; è veſtigio repercuſſi, unum in locum, quem Geometræ focum vocant, univerſi convergant, haud dubium, quin excitatiſſimum ibi lumen, caloremq; vehementiſſimum congregarent, atq; his pariter ſpeculis memoranda illa incendia Proclum ſuſcitaſſe, opinatus eſt. Imo ſex, & non amplius abs ſe adhibitis ignem teſtatur accendiſſe. Hic Manlius: Numnam hic author, inquam, ſe fingit, velut araneus? Cui ego: Non ſic animum induco, ut id credam; fuit quippè ingenuus vir, & antiquis moribus. At Cajus: Rarum, inquit, id ætatis. Sed ſi ita, tu quid ſentis? Etſi, inquam ego, emicare ignem iſto modo poſſe crediderim, tamen ita revera ab Archimede factitatum, haud ſcio; quocirca facilè in alterius Geometræ ſententiam iverim: qui Portam populatem noſtrum ſecutus, duobus id ab illuſtri ſene ſpeculis, parabolico, ut ajunt, cavo, & tubulo ejuſdem formæ, non minus ingeniosè, quàm feliciter tentatum, effectumque fuiſſe exiſtimavit. Hoc loco Manlius: Ut candidè fatear, vix hic per nebulam videre me videor, quocirca, quæſo, ut ex his me tenebris eruas. Tum ego: Contendam omni ope, atque opera: quanquam ſine pennis volare difficile admodum ſit: Et ille: Intelligo: nimirum ſine figuris Mathematicis, quibus omnia Geometræ quàm facillimè expediunt, Tum ego: Tetigiſti rem acu, ut dicunt, faciam tamen quàm potero ad facilitatem accomodatè Cum plani corporis ſuperficies conum aliquem medium ſecat, curvam quandam in exteriori coni facie lineam ſignat, hanc à Græco vocabulo Parabolen illi appellant, ad hujuſmodi verò figuram lineæ fabbricata ſpecula Parabolica nuncupamus: quæ ad copioſiſſimum ignem excitandum optima habentur. Cur ita? tum Cajus. Quia ea eſt illorum natura, tum ego, ut radii omnes ab ipſorum ſuperficie reſilientes: axique ut ajunt, paralleli unum in locum conſtipentur (centrum hunc Parabolen vocant,) & focum diximus, ſi meminiſti. Et ille: Memini, perge porro, reliqua expecto. Tum ego: Porta ingenio vir ſingularis, inque rimandis rerum arcanis ſolertiſſimus, machinamentum quoddam excogitavit, quo Solis radii in virgulam coacti, conſtipatique ignem quàm longiſſimè ſuſcitarent; iſtiuſmodi vero machina annulus, ſive tubulus eſt in parabolam conformatus; quod quidem mirabile artis inventum Archimedem non latuiſſe crediderim: quo nullus in machinando felicior unquam extitit; eo vero naves in flammas redegiſſe quibuſdam certum, mihi probabile quidem certè. Ut verò rem clarius habeas, modum ſtruendi, locandique machinam perſtringam breviter; mo-

An a Parabolico cavo, & Tubulo?

ram potus longam non patitur. Ita quæſo tùm Cajus: rem gratiſſimam mihi facies; hæreo enim adhùc in ſalebrâ. Tum ego: Adverte animum, attento opus eſt. Speculum primò cavum murorum in vertice ità ſcitè, aptèque locavit, ut rectà ad Solem convergeret, ſuumq; in ſinum radios exciperet, ex quo illicò repercuſſi, unum in punctum certatim univerſi adunantur, eoq; in loco tantam coacti vim concipiunt, ut non plumbum modo, ſed duriora etiam metalla liquefaciant. Hic Manlius; Nempè ut tritum illud, vis juncta fortior. Cui ego; Rectè extimas; ſed pergamus porrò, jam enim Arabicæ odor fabæ diffunditur. Hoc in puncto, ubi foculus eſt, annulus ille, ità collocatur, ut eos radios èxcipiat, quos ſtatim ac recepit, parallelos, ut ajunt, remittet, illi hoc modo emiſſi, in virgulam tùm lucidam, tùm igneam, quàm longiſſimè excurrent. Atque hæc eſt divina illa virgula, quæ quàcunque pervolat incendia excitat, omniaque comburit. Verùm haurito jam aquam, hùc ego mox revertar.

FINIS.

ÆSTATUM SURRENTINARUM

LIBER I.

CAPUT PRIMUM.

Univerſa Amalphis, atque Surrenti ora, & Surrentinum rus deſcribitur; operiſque inſtitutum exponitur.

SUrrentinas Æſtates ſcripturus operæ pretium duxi, ſi in ipſo operis exordio Surrentinum noſtrum ſpectandum legentibus exhiberem: atque illius ſitum quammaximè poſſem graphicè deſcriberem; ut & quodammodo oculis contemplarentur pulchritudinem, & amœnitatem loci, & quæ dicenda ſunt faciliùs intelligerent, plurimùm enim confert ejus loci cognitionem, ac depictam velut imaginem habere, ubi aliquod factum eſſe narratur, quod vel audiat quiſpiam, vel legat: ut illis factitare mos eſt, qui fabulas dare conſueverunt: ne verò manca ſit deſcriptio, ut ſæpènumerò cadit perquàm incommodè, cùm quis compendio plus æquo ſtudens, rem implicat verius, quàm explicat; idcircò paulo altius exordiar.

Univerſa Amalphis, atq; Surrẽti ora ſpectanda legentibus exhibetur.

Ad extremam oram Campaniæ, quà Sarnus fluvius Pompejanum interluens, ſe ſe in Craterem exonerat, ab Italiæ continente lingua educitur, & ad XVI. millia paſſuum excurrit: à Meridie Pæſtano ſinu, à Septentrionibus Cratere alluitur: ad occiduum verò Solem Capreas objectas habet: à quibus freto IV. millia paſſuum disjungitur. Præruptis primùm, atque altiſſimis montium verticibus, qui ſunt Apennini in Subveſperum vergens ramus, attollitur. Mox in æquiores colles demittitur: exin modicè iterum aſſurgens, longius extenditur, quoad demiſſis tandèm rupibus, finiatur mari. Altior vertex, qui Stabias inter, & Æquenſem Vicum faſtigiatus conſurgit, Lactarius idcircò, ut arbitror, appellatus, quia identidem hyeme altiſſima nive candicat: æquiores ſunt colles Surrentini, quos incolæ Cermennam indigitant. Poſtremum verò jugum, Minervæ promontorium eſt: ità vocatum à Deæ delubro, quod Græcos olim, qui terras haſce primi incoluerunt, fabricaſſe, memoriæ proditum eſt: illius veſtigia adhuc extant: nimirum pavimentum opere teſſellato, èq; perlucidis lapillis affabrè coagmentatum: & columnæ marmoreæ, in quarum capitulis noctuæ, Palladi ſacræ, inſculptæ ſunt.

Mons Lactarius unde dictus.

Minervæ Delubrum a Græcis fabricatum.

Meridionale latus, & ſi ſaxis, ſcopuliſque aſperum, & cultus minimè patiens, tamen convalles plurimas, & maritimos colles habet amœnos æquè, ac feraces: accedit hominum induſtria, quæ ibi major eſſe conſuevit, ubi minus terra ſubminiſtrat. Ita enim hominum genus eſt, ut indigentià ſolers. & patiens laborum fiat: ubertate verò deſes, & amans voluptatis, & otii. Hinc videre licet duriſſimos vertices emollitos, victamque ſilicum pervicaciam: & quà oleis, quà citriis, quà malis Atlantæis pulcherrimè conveſtiri: ſicubi verò tellus paulo mollior eſt, & ſucci plus habet, ibi pectita magis: & vel vitibus conſita eſt, vel pomis: nempè nullum tam aſperum ſaxetum, in quo agricolarum induſtria non elaboret. Univerſus oræ tractus tot urbibus, ac oppidis, tot villis, ac vicis refertus, ſitu tam eleganti, tam vario, ut præternavigantibus jucundiſſimæ ſcenæ, ac ſeſe identidem variantis, ſpeciem præſeferat. In theatri medio ſedet Amalphis, olim emporio, & commerciis celeberima, cui ob nauticæ Pyxidis, divinam penè dixerim, inventionem, navigandi ars quamplurimùm debet. Aër hyeme apricior, ac temperatus, æſtate verò frigidiuſculis afflatus auris quamplacidiſſimus. Ora omnis maritima reductis ſinibus commoda, fontibus irrigua, atque antris quamplurimis & amœna, & opaca: mare verò ipſum maximè piſcoſum eſt, præcipuè ad Sirenuſas, quæ inſulæ tur-

Amalphis Nauticæ Pyxidis Inventione celebris.

turritæ quaſi ſpeculæ non longulo à litore ſpatio abſunt: quæ cum thymo ferè ſemper vireſcant, lætiſſima vervecibus paſcua ſuppeditant.

Septentrionale latus, quod circumflexu ſuo alterum Crateris orbem decircinat, atque illius laxitatem coarctat, felicior, atque uberior eſt. Primæ occurrunt Stabiæ, maritimum oppidum, & civibus frequens, & portu commodum; ſiniſtrà altiſſima rupe cingitur: dextrà amœniſſimos colles, & æquiorem planitiem habet: cui vel ubertate glebæ, vel cultu nihil admodum eſt, quod accedat: colles, qui vicis plurimis incoluntnr, & vino nobiles, & pomis omnis generis laudatiſſimi: felices mons umbras, & gratos æſtate receſſus exhibet. Mille paſſus à Stabiis apricus collis eminet, in quem fallente ſenſim clivo, litus aſſurgit: in illius vertice inſigne Virgini Fanum dedicatum eſt. Hinc ad III. paſſuum millia, quod terræ ſpatium interjacet, quà rupibus, quà ſcopulis, quibus ora omnis prætexta eſt, avium, atque impeditum. Deinde opportunum in ſinum curvatus: erumpitque ſtatim in collem, cui Vicus Æquenſis impoſitus; exin in alterum ſe ſinum incurvat. Oppidum acceſſu non adeo facilè: verùm ubi conniſus in altum evaſeris, illicò viridiſſimi colles, arboribus inveſtiti, amœniſſimæ valles, vel pomorum, vel vitium feraces, tibi ſeſe viſenda præbent mirabili voluptate: in hiſce verò vallibus propter opacitatem, ſerò gemmaſcunt arbores, ſeroque fructus matureſcunt; idcircò id temporis, quo alibi deſinut, hic incipiunt, annique ubertatem quodammodo amplificant, altiora verò montium juga, quà olivetis, quà quercetis paſſim nemoroſa.

Stabiæ, oppidum deſcribitur.

Vicus Æquenſis.

Deſcendentibus iterum ad mare alta, & prædura rupes occurrit, quæ è mari tàm recta ſurgit, quàm quæ rectiſſima; ut illam ad perpendiculum exegiſſe naturam credas, interciſa paſſim ſilice, ac pendentibus ſupra ſaxis, quaſi jam ruituris non minus jucunda viſu, quam horrida. Scutalo monti nomen vulgò factum eſt, quem ut primùm ſuperaveris, ſtatim Surrenti ſinus, laxati inſtar arcus, ſeſe oculis aperit, proſpectu tàm amœno, tàm pulchro, ut nihil ſupra. Gemini in utroque cornu montes, humiles in medio colles ſinum univerſum ambitu IV. millia fermè paſſuum complectuntur: ſupra colles æqua planities patet tot vicis, ac villis habitata, tot frequens ædificiis, tot conſita arboribus, tantà varietate, atque elegantià, ut tota quanta eſt unum pomarium videatur: altiores illum colles alii coronant, qui & ipſi ſylvis, ac villis ornatiſſimi pulcherrimo quaſi theatro, theatrum ambiunt. Ad extremùm Sur-

Scutalus Mons.

Surrenti laudes.

rentum eſt, urbs tùm nobiliſſima, tùm antiquiſſima; quæ ob loci delicias Sirenum domus, à quibus nomen ſortita eſt, haberi meruit.

Sed jam tibi Surrentinum promontorium prætervecto ſinus alter anguſtus magis, magiſque arcuatus ſeſe oculis offert, quem Surrentinum hinc, illinc Lubrenſe promontorium CM. admodum paſſuum intervallo diſtantia, coercent; ac terminant: acclivi, apricique colles, oleiſque veſtiti, caveæque præ ſe ſpeciem gerentes, viridiſſimo quaſi ſerto ſinum cingunt, atque intercurrunt: à Pollio Felice nomen obtinet, qui hic ſuperbiſſimam olim villam extruxit: & duobus fanis, Herculi uno, Neptuno altero exornavit: illius monumenta; quæ ab injurià temporis adhùc vindicantur, vel in ipſis ruinis admiranda ſeſe commendant.

Villa a Pollio Felice extructa.

Super eſt ultima lingula, quæ ad promontorium uſque Minervæ ſenſim acuminata procurrit, maritimi vel hìc colles laxioris inſtar theatri modico flexu curvantur, quà proximè mare ſpectant, quamvis naturà duri, præmolliti tamen arte, denſis oleis perpetuò vernant: ſuperiores benigni magis, ac uberes; idcircò quà vinetis, quà pomariis lætiſſimi, ſumma juga in planitiem extenta apriciora magis, Cereriſque feracia: venatui etiam, & paſcendis gregibus perquàm commoda; quippè quæ thymo, atque hujuſcemodi odoriferis herbulis toto ferè anno vireſcunt. Majo, cùm primùm veniunt è tranſmarinis regionibus, Auguſto, & Septembri, cùm in novos lares commigrant, tanta conturnicum copia: tanta item ficedularum toto Autumno: tanta turdorum hyeme, vel retibus, vel ſclopis capitur, ut incredibile cuique ſit. Plurima per colles oppidula, hàc, illàc, velut ſparſim conſita frequentiùs habitantur, quæ cuncta, uno, eodemque vocabulo Maſſam ad delubrum incolæ indigitant. Aër in toto hoc terræ tractu ſaluberrimus: cœli temperies, etſi hyeme duriuſcula ob Aquilones, quorum flatibus expoſita, æſtate tamen clementiſſima, ac placidis continuò Zephyris perflata: imò id temporis, quo alibi ferventiſſimi ſunt æſtus, hìc ver tepidiſſimum: mare tùm ob multiplices ſinus, ac receſſus, tùm ob molles, & piſcoſos ſcopulos hoſpitaliſſimum eſt: ad ſummam, ita felix eſt exigua hæc terrarum particula, ut nihil felicius eſſe poſſit.

Sed jam in Surrentinum, cujus gratià iſthæc narrata ſunt, me deducam, Infra lapidem ab urbe Orientem verſus, quò læta viretis, opaca arboribus, villis, ac vicis frequentiſſima ad Vici montes pertinent Surrenti Campeſtria

Surrentini proſpectus.

ſtria ; amœniſſima villa eſt in colle ſita ; ex quo totius Crateris quaquaverſus proſpectus patet : qui quidem tam pulcher eſt, quàm qui pulcherrimus. Dextrà Æquenſis Vici colles aprici, ac virides non longè apparent: quos ſupra faſtigiato eminet vertice Lactarius, cujus præruptæ, nudæque rupes, vel horrore ipſo oculis placent. Longiùs verò, biceps veluti Parnaſſus, Veſuvius cernitur: qui ſuis interdum flammis ſcit ad voluptatem prælucere: ad illius radices Pompejanum hinc, illinc Herculanum, univerſaque Campaniæ ora, quæ monti ſubjecta eſt, paſſim vicis, atque ædificiis diſtincta, viridumque arborum textu interpicta, mirà oculos pulchritudine, mirà varietate delectant. Lævà Surrentum eſt, & viridiſſimus collis: quem mox interminatum ſequitur mare: ut haberet, quà latiùs vagaretur obtutus, & jucundior eſſet varietate proſpectus, quem iterum finiunt Ænaria, Prochyte, Miſenus, Bajæ, Puteli; ſupra quos illinc Gaurus, hinc verò Phlegra conſpicua eſt, quæ interdiu candicat, noctu verò, erumpentibus interdum flammis, coruſcat: ſæpènumero adeò reboat, ut adhuc decertare ibi cum gigantibus Herculem credas. Contrà verò in ſcenà veluti medio Antinianus (ni mavis ab Antonii villâ dicere Antonianum) conſurgit, in cujus clivo regina urbium Neapolis ſedet: qua longè ſpectantibus nihil admodum eſt, quod pulchrius videri poſſit, Nam vel altiſſimos templorum tholos, vel turres celſiſſimas, vel ampliſſimas arces, vel eminentia ædificia, vel florentiſſimam collium coronam, vel extenſa ad inſtar urbium ſuburbia proſpicias, incredibilis profectò multitudo eſt, atque inſatiabilis varietas, quæ ſtupore oculos, voluptate animos, admiratione mentem continuò paſcant. Ipſe etiam Crateris ſinus, cum pacatum eſt mare, modò leviter criſpatus Zephyris, veluti laſciviens, mirà oculos afficit delectatione. E' colle ad oram maris in ipsà rupe extructa via eſt, quæ partim patet aperta, partim verò correcta, per illius viſcera ſe inſinuat, ſerpitque quaſi Mæander tortuoſa. Ubi ad litus veneris, plurima reperies antra ad captandum æſtate frigus opportuna: Sunt etiam exporrecti in mare ſcopuli herbidi, & odoroſi, quibus aſſidens, vel eruditâ lectione otia, vel piſces fallas arundine: circùm exciſa in rupe ſedilia, quæ dum alternis adlambit mare, ſtrepitu ſuo canoros fluviorum curſus imitatur. In colle fructiferæ paſſim arbores ſolum inumbrant, diſtinctæque in certos ordines, veluti in ſua regna. Hic vites pampineæ vel nixæ ridicis, vel aſſociatæ pendent è populis: nexique funetis palmites gravibus curvantur uvis. Hic Nuces Juglandes, Græ-

Arbores fructiferæ.

Græcæ, atque Avellanæ longo ramorum textu ſylveſcunt: illinc Ficus quamplurimæ, Herculanea nimirum, Albicerata, Bifera, Lydia mammillana, Alba nigra, Duricoria, atque Africa fœcundis ramulis mirè luxuriant. Ibi Pyrus Aniciana, Cirrita, Græcula, Orbiculata, Sextiliana, cumque Volemo Valeriana ſera, lætiſſimos pondere ramos demittunt: non longè Prunus, ac malus Amerina, Coccymela, Appia, Punica, atque item Perſica, Armeniæ, & Præcoces mirabili ubertate pubeſcunt. Illic Caſtaneæ, altæque Fagi patulam ſpargunt umbram, frigusque ſuppeditant. Hìc perpetuis vernat frondibus Malus Atlantæa: & modò argenteis floribus, modò aurea pomorum ſobole magnam ſibi admirationem conciliat, miram animis exhibet voluptatem: parietes florentes ſemper Citrii Attalico velut opere conveſtiunt: ſubter verò flores vireſcunt, & herbulæ, quæ Phrygià quaſi acu ſolum variant, atque interpingunt? Non deſunt aves quamplurimæ, quæ per denſas arborum frondes circumcurſantes concentu ſuo aures blandiſſimè demulceant. Quin canorus ipſe Zephyrorum flatus, in arborum frondes alliſus, atque repercuſſus, certare cum avibus cantu videtur. Eſt tandem in horto Xyſtum (ſubdialem ambulationem latinè dicimus) quà deambulare poſſis tùm animi, tùm valetudinis cauſsà, & genialibus cum amicis habere colloquia. Eſt etiam in ipſa collis crepidine Galopſis impoſita (liceat, ſic reddere, quem vulgus Italorum *pulchrum proſpectum* appellat. Eſt autem edito in loco extructus fornix teſtudineatus, quatuorque columnis, ſeu pilis, quæ marmorato expoliri, ornarique ſolent, innixus: ex quo quaqua verſus liber proſpectus patet) ubi jam defatigatus ad aſpectum maris ſub umbrà ſedere queas, & vel proſpectu, vel otio ad ſatietatem recreari. Atque hæc eſt villa Surrentina, quæ tùm valetudinis, tùm ſtudiorum causà me recipit æſtate, & quàm longiſſimè à curis tenet.

Parthenius ruſticans in Surrẽtino ab amicis inviſitus.

Hic me ruſticantem ſæpiuſculè amici modò è vicinis locis, modò Neapoli, vel benevolentiæ, vel oblectationis gratià conveniunt: ego illos pari cum humanitate, tum viciſſitudine officiorum excipio, mensâque exhilaro, quæ quidem neque poculis obruatur, neque ferculis laſciviat: ſed quæ Platonicum philoſophum condeceat ne verò tempus totum vel otio tranſigatur, vel abaco, & latrunculis, trudiculiſve conteratur (nihil enim adeo mi cordi eſt, quàm tempus ne lacerem) eruditas confabulationes vel inter epulas, vel inter deambulandum habemus: & has quidem de rebus vel eruditis, vel curioſis, ut va-

ria

ria fert occaſio, & varius item genius amicorum: quas mox ego poſt illorum diſceſſum ſtylo facili, & minimè moroſo commentaria refero: id verò poſt ſomnulum meridianum, in quo tempus, quæ levioris ſunt operæ reiicio: manè enim, cum vegetior eſt animus, mens expeditior, majoribus operibus incumbo. Hæc verò commentaria, quæ Surrentinas Æſtates vocare placuit, ut per ſucciſiva tempora illaborata exciderunt, exponere viſum eſt: non quò velim illis vel politioris ſtyli, vel reconditæ eruditionis mihi laudem comparare (ità me Dii ament, ut ab hac ſum maximè alienus; quippè qui pulchrè mihi ipſi notus) ſed (naturà enim impellimur ut prodeſſe velimus quamplurimis) ut juvenes noſtros, quos ſæpè verbis admonueram, exemplo nunc doceam, nullum eſſe tempus, quod ſine aliqua exercitatione præterire patiantur, ita enim fiet, ut cùm eruditiores, tùm probiores maximo vel privato, vel publico bono quam facilè evadant, quod ſi obtinuero, magnum me ſuſcepti laboris fructum conſecutum eſſe arbitrabor.

CAPUT II.

Ut mos ſit Indis quotannis die regi natalitia, illum ponderare: quo id apparatu fiat, atque illius immenſæ divitiæ deſcribuntur.

CUm vergente ad Veſperam die, aliquantulum nimii ſe ſe calores fregiſſent, me Quinctius, & Lucilius adeunt: ingreſſique cubiculum: Quid tantum, inquit Quinctius, in Muſæo hoc tuo ſedens ad menſulam iſtam quà lectitando, quà ſcribendo carthis impalleſcis? nimio tu certè ſtudio, ac tuis iſtis verſiculis mortem antevertes. Cui tum Lucilius: Ne, quæſo, Quincti, hoc illi des vitio: nam etſi hujuſmodi veneno fatum præripiet, non ſanè totus morietur: quod quidem illis accidit, qui nullum ſui monumentum poſteris relinquunt. Et ille: Jam id conſecutus eſt, ut poſt mortem in elucubratis hactenus operibus, quàm diutiſſimè vivat: quid igitur opus eſt, ut magis adhuc, magiſque defatigetur, ſeſeque interimat? id verò ſine piaculo haudquaquam fiet: ſiquidem parùm intereſt, ſi quis ferro, aut calamo ſibi necem conſciſcat. Utinam ad manus mihi eſſet ſpeculum, efficerem profectò, ut ipſemet ſuis oculis inſpiceret, quàm macilentus ſit, quàm pallidus. Cui tum ergo: Quàm bellè, Quincti, quàm disertè agis cauſſam

tuam.

tuam. Tum mihi ille: Quorſum iſtuc? non enim intelligo. Et ego: Dicam planè, & apertè: non tibi cum Muſis erudita ſunt otia. At Quinctius: Itane tu me negligentiæ accuſas? attamen fateor: nolo enim, ut tu facis, antè diem conſeneſcere. Surge tandem, & nobiſcum deſcende in hortulum, ut motemus tantiſper corpus, ac ſalubriores auras captemus; iſtic enim aër tibi certè perquàm noxius. Surge, age, neque velis quaſi claudus ſutor ſedere hic totos dies. Tum Lucilius: optimè Quinctius, age jam: laxamento tibi opus eſt, quippè defatigato, & inclinato jam Sole, ſulubris eſt deambulatio. Tum ego: quoniam re verà laborare mi caput præ nimià lectione cœptaverat, aſſurgo: aſſumptoque tantum pileo, cum baculo, ſoleatus procedo. Ubi verò in hortulum ventum eſt, illicò per Xyſtum, quod altæ, frondoſæque arbores obumbrabant, deambulare cœpimus dum autem deambularemus, me Quinctius rogat, quot poſt meridianum ſoporem verſiculos concinnaveram. Cui ego. Haud equidem inſanire ſoleo poſt prandium: ſed variæ eruditionis librum lectito: ſic enim animum erudio, caput non multum fatigo. At ille: laudo tuam iſtam conſuetudinem, quam ſtudioſi omnes imitari deberent. Sed cedo, quid eruditi perlegiſti? Tum ego: Perquàm lepidam hiſtoriam de Indorum rege, quem quotannis, dum illius dies natalitius recurrit, ponderari mos eſt: quod ſi gravior, quippè pinguior, inveniatur, magnà lætitià populum afficit. Hic Quinctius rei per ridiculæ novitate perculſus; Vera, inquit, narras? an, ut poëtæ ſolitavere, fabulas comminiſceris? Cui ego: veriſſima; virum enim ingenuum dedecet vel mendaciolum. Ille verò: ſi ita eſt, ut prædicas, quæſumus, ut hiſtoriam omnem, paucis eſponas id ipſum ſcire Lucilius tuus vel maximè deſiderat. Cui ego: Faciam: & eo lubentius, quòd hiſtoriæ, ſi repetas, ſtatim ut lectæ ſunt, memoriæ altius inſidunt: accomodate igitur aures: rem ego feſtiviſſimam curioſè, diſtinctèque narrabo,

Poſt prandium eruditi libelli ſunt lectitandi.

De Indorum Rege lepida Hiſtoria quem die natalitio ponderari mos eſt.

Cùm anniverſarius dies appetit regi natalitius, hunc in modum ſolemnia parantur: primùm gratulationis cauſſa conventus indicitur, in quem purpurati omnes, ac nobiles, & quotquot id temporis prætores provinciarum regià in urbe ſunt: venire coguntur, qui abſunt, legatos cum muneribus mittunt. Conventu ad dictam diem jam indicto, regia adornatur hoc modo. Gemina atria regii palatii, quæ ampliſſima ſunt, atque altis circùm porticibus inſtructa, extenſis deſuper velis cooperiuntur: quæ quidem vela holoſerica, heteromalla, purpurea, aureoque textili exornata

Exponitur modus, quo ſolemnia parantur, ad diem Regis natalitium celebrandum.

nata ſunt: tantæ verò amplitudinis, tantoque auro divitię, ut trabes, quæ illa ſuſtinent, ſpeciem præ ſe malorum ferant: earum enim quædam ad quadraginta pedes attolluntur. Omnes duodequadraginta numerantur: longo hinc, illinc ordine ad unguem diſpoſitæ ab atrii foribus, uſque ad aulam domus regiæ. Quæ proximè aulam aſſurgunt, aureis laminis, argenteis reliquæ conveſtitæ: bracteæ minimè tenues, ſed Romano centuſſi craſſitie ſuppares, funes, qui trabes obfirmant, ut in neutram partem inclinentur, è goſſypio torti, variiſque coloribus peregrinum in morem fucati. Hujuſcemodi tectum holoſericum tùm ad arcendos Solis radios, qui ibi calidiſſimo, nocentiſſimoque æſtu repercutiuntur; tùm ad oſtendendas perquàm maximas regis illius opes, ac divinam penè magnificentiam, ſtudioſè inſtruitur.

Atriorum apparatus.

Prætereà in altero atriorum duo ſeorſim tentoria, ad dexteram unum, alterum verò ad ſiniſtram, adornantur: in primo, dum rex ſolio aſſidet, cantrices toto regno conquiſitæ, ac barbaricum in morem graphycè ornatæ ſaltationibus, canticis, moduliſque muſicis regi natalem gratulantur, cœtumque univerſum feſtivà hilaritate demulcent. In altero Præfectus Prætorio cum armatis nobilibus, quibus regii corporis cuſtodia commiſſa eſt, ſtationem habet. Iſthæc verò tentoria ex holoſerico amphimallo criſpante, aureo cum limbo texta purpuraſcunt. In idem atrium triginta equi adornati ad ſpeciem magnifico ornatu inducuntur: atque hinc, indè in duos verſus diſtributi collocantur, qui è regiis ſtabulis non cujuſmodicumque, ſed lectiſſimi quique educuntur: nimirum probi coloris, nitidi villi, robuſti corporis, quadrati, pectoroſi, erectis capitibus, longis, denſiſque jubis: illis verò ſingulis bini ephæbi miniſtrant: qui & ipſi Phrygiis tunicis mirà concinnitudine perornati fulgent. Hic Lucilius, ut ei interpellandi mos erat: Cujuſmodi, inquit, equorum ornamenta? Cui ego: Mane, iſtùc ibam. Aurea illis fræna intermicantibus mixtim adamantibus, pyropis, ſmaragdis, atque unionibus ditiſſima: ut non tam aurum, ut de ſolis equis poëtæ fabulantur, quam gemmas mandere videantur: in armis pro ephippiis pulvinos geſtant cingulis religatos; utraque ex ſerico villoſo criſpante, auroque textili concinnè elaborata: aſſulæ, quibus cingulæ ſubnectuntur, è gemmis encauſto in auro affabrè compactis præfulgeſcunt: è ſingulorum collo vel gemmeus globus pendulus emicat, vel inſignis nitet adamas, vel radiat pyropus Soleæ abſolutiſſimo ex auro, aureis item clavis affixæ: atque hic

atriorum apparatus eſt. Hoc loco Lucilius: Haud equidem vel magnificentius, vel accuratius adornari atria potuiſſent. Cui ego: Verùm quæ hactenus expoſui, vulgaria ſunt, ac velut operis rudimenta: obſtuperes porrò, ſi cogitatione mecum ex atrio vicinam in aulam ingrediaris, Et ille: Perge, ut cœpiſti: at quia attento opus eſt animo, ſedeamus ſub quercu illa, cujus extenti in orbem rami latè ſolum inumbrant. Tum ego: Sedeamus: ſi tamen: Quinctio grave futurum non ſit; ſcio enim illum ambulatiunculis plurimum delectari. At Quintius: Imò rogo, lubeat ſedere: non enim ſum tam inurbanus, ut eo graver, quod vobis placere ſentio. Igitur ut ſedimus, ſtatim ego ab ultimo narrationem repeto, & longè proſequor in hunc modum.

Splendidus Aulæ ornatus.

Adornatis jam atriis eo, quem diximus apparatu, aula non minori ſtudio, ſed longè majori magnificentià, iſtruitur: hæc triplici è latere ampliſſimis foribus patet: præcipuè in atrium ſpectant: quod totum ex illis conſpicuum eſt: Regia enim domus, ut Orientalibus populis mos eſt, in ipſo ſolo ædificata in plures contignationes non aſſurgit: illius pavimentum è pretioſis lapillis ſedulà operà teſſellatum: tectum mirà concinnitate, ac magnificentià fabrè laqueatum: ſiquidem cedrina, cupreſſinaque impoſita laquearia: & partim cælato auro ornata, partim inſculptis ſignis diſtincta, partim mirabili colorum varietate elegantiſſimè picta: parietes Attalica peripetaſmata non minus opere, quam auro pretioſiſſima contegunt, quæ quidem partim belluata, partim conchyliata ſunt. Medià in aulà regius thronus eſt, quo nihil in quoquo genere neque opulentius eſt, neque præſtantius: in illum enim non tam plurium regnorum, quam totius Orientis opes videntur multorum annorum operà congeſtas eſſe: incredibilis quippè multitudo eſt, atque inſatiabilis varietas: illius figura ſimilis eſt lectis noſtratibus, quos, cùm iterfacimus quietis causà circumferimus: quatuor latus eſt pedes; ſex longus quatuor, columellis ſuis ſtylobatis innixis ſuſtentatur: quatuor aſſeribus tranſverſis, ac rectis ſeſe angulis excipientibus, componitur: ſuper utramque ſpondam, & pluteum (eo enim latere, quo in atrium vergit, apertus patet) duodecim columnæ aſſurgunt, quæ throni teſtudineatam umbellam ſuffulciunt: inferiores columellæ, quæ quaſi fulcra tabulatum ſuſtentant, grandiores ſunt, altæque digitis quinque, & viginti: ſpondarum aſſeres duodeviginti patent: tùm columellæ cum ſuis ſtylobatis, tùm aſſeres auro obryzo partim cælato, partim encauſto picto

con-

conveſtita ſunt: aurum adamante plurimo, pyropo, atque ſmaragdo diſtinctum. In medio ſingulorum aſſerum grandiuſculus pyropus quatuor inter adamantes, in crucem poſitos, quaſi Sol ſuos inter planetas per quàm excitatiſſimè fulgurat: compluries hujuſcemodi cruces per totam aſſerum latitudinem viſuntur hoc ordine: aliæ medium adamantem, circùm ſmaragdos habênt: in aliis ſmaragdus medius eſt, nitidiſſimi circùm prælucent pyropi: antè thronum gradus quatuor, per quos aſcenditur, aſſurgunt; qui auro pariter abſoluto veſtiuntur, ac pyropis, adamantibus, ſmaragdiſque arte mirabili, pulchro ordine palis, perq; æqua ſpatia commiſſis, exornantur: quin etiam tùm in lecti ſpondis, tùm in gradibus nivei uniones affabrè auro coagmentati, perque certa diſpoſiti intervalla, ut varias figuras exhibeant, pulcherrimè candicant.

Verùm ſupra admirationem omnem, omnemque fidem duodecim ſunt columnæ, quibus teſtudineata throni umbella impoſita eſt: in illis enim quidquid unionum Perſicus ſinus habet, quidquid nutrit Oceanus, quidquid Oriens totus, coadunatum videtur: incredibilis profectò illorum copia, & varietas eſt: quibus columnæ non diſcriminatim ornatæ, ſed undique conveſtitæ ſunt: obrutus enim artifex multitudine, nullà arte, nullo ingenio diſtinxit: nec ſanè arte opus erat, quando ipſa materies ſuis ſe commendabat opibus, ſuà exornabat elegantià. Umbellæ concava (mitto convexa, quæ licet holoſerica, auroque intertexta, vulgaria cenſenda ſunt, ſi cum concavis componantur) tota ex adamantibus coruſcant, ex unionibus candicant, rutilantque auro intermixto, quo nempè inter ſeſe, ſuiſque in fundis copulatæ ſunt gemmæ: penſilis umbellæ ala, quæ zona eſt tota exaluminatis unionibus intertexta, univerſum illius ambitum complectitur: umbellam, cœlum veriùs diceres, tot diſtinctum ſtellis, quot gemmis; tot perſpicuum luminibus, quot radiis gemmarum. Thronus.

Sed jam, ut reliqua habeatis, contendam. In quatuor umbellæ angulis, totidem pavones ſupereminent, caudis erectis, atque expanſis: quæ è cæruleis ſapphiris, aliiſque pretioſis lapillis contextæ nativos harum avium colores non imitantur modo, ſed ſuperant. E' ſingulorum pectore pyropus emicat, ex quo elenchus (unio eſt inſtar pyri) ſuſpenſus pendet: è dextrà, lævàque ſingulorum pavonum gemini florum faſciculi ex auro encauſticè picto, gemmiſque compoſiti perpetuam veris imaginem repræſentant. In ipsà throni fronte quà contra atrium ſpectat, magnus gem- Gemmæ pretioſiſſimæ.

marum prominet cumulus ex quo adamas grandiuſculus circùm pyropis, atque ſmaragdis, minoribus veluti ſtellis, redimitus, pendulus intermicat: inſignem hunc gemmarum acervum pretioſum per quàm pretioſi operis diceres indicem, regiæque magnificentiæ ſplendidum argumentum. Ità verò collocatus eſt, ut cum rex ſolio inſidet, illi oculos, pretioſi inſtar velaminis, obtegat. In ſtrato tria inſunt pulvinaria, vel Phrygio opere, vel gemmis inſignia; majus ad regis humeros, ad latera reliqua collocantur, ab eodem throno appenſa pendent Acinacis, arcus, pharetra ſuis jaculis onerata; & parmula, cuncta tùm opere, tùm auro, & gemmis illuſtria. Non procul à ſolio geminæ eriguntur umbellæ è ſerico villoſo purpureo Phrygià acu interpicto: quas circùm fimbria ex unionibus pendet, manubria octo pedes alta; unione item plurimo, pyropo, atque adamante interdiſtincta.

Hic Lucil: Magnum eſt quidem, quod narras, atque haud ſcio an maximum: quippe difficile admodum eſt in univerſo terrarum orbe quidquam vel opulentum magis, vel ſplendidum reperiri. Rectè extimas; tum Quinctius: quin miror quomodo tantum aurum, tot, & tam variæ gemmæ comparari potuerint: credo equidem nec Porum olim, nec Midam tantas in unum opes congeſſiſſe. Quibus ego: Atque audite: intelligetis porrò quantæ ſint Indorum regis opes, qui procul dubio regum omnium quàm ditiſſimus. Poſt thronum hactenus deſcriptum, alter eſt inſtar ovatæ pelvis, quo lavari reges conſueverunt; atque ob id extenſam deſuper umbellam non habet, quinque patet pedes, ſeptem excurrit: vas interius ex auro obryzo criſpante, exteriora gemmis, neſcio, ornata ne dicam, an onerata, illas enumerare ſuperſedeo; ne ſermo ſit benè longus: & jam dies deſit. Præterea alterà in aulà pari magnificentià, parique elegantià adornata (alterum hæc ſpectat in atrium) quinque alii minores throni ſplendidiſſimè, baſilicè, fabrèque ornati, inſtructique ſunt: quatuor in totidem angulis poſiti quadratum efficiunt: quintus in medio, ſed paulò ſupra, quam eſt quadrati centrum, locatus eſt: adamantibus ferè omnes aureis in bracteis ſcitiſſimè compoſitis præfulgeſcunt: illorum curioſam deſcriptionem omitto, ne vobis moleſtus ſim: res enim, quamvis pulchræ, prætioſæque ſint, ut verè iſtæ ſunt, tamen ſi eædem ſemper in obtutum cadant, faſtidium creant. Tum Quinctius: Sic eſt, inquit, ut dicis, verum age, quantam, putas, pecuniam impenſam fuiſſe ad tot gemmas comparandas? Cui ego: Iſtuc dicturus eram: refert auctor, qui iſthæc omnia & oculatus in-

ſpe-

ſpexit, & curioſus perquiſivit, in throno; quem paulò ante deſcripſi, exornando, numerata fuiſſe quadringenties octogies centena millia Romanorum centuſſium: idque ex regiis tabulis, in quibus ſingularum gemmarum pretia diligenter ſcripta ſunt, accurato calculo collegiſſe. Tum Quinctius: Si ità eſt, ut prædicas, hujuſce regis opes immenſæ ſunt, & ſupra quam cuique credibile eſt. At Lucilius: Perge porrò: hiſtoria nobis accidit jucundiſſima, & ut conjicio, feſtivior pars ſupereſt. Cui ego: Imò feſtiviſſima, advertite vos igitur animum: ego efficiam, quod inſtitui.

Ut fauſtus fortunatuſque dies regi, regnoque illuxit, purpurati omnes, & quotquot equeſtris ſunt ordinis regium in atrium conveniunt: plebs ſtat pro foribus, quamquàm qui longè primi ſunt multitudinis, interdum vel Præfecti Prætorio, vel purpuratorum favore intromittantur. Deindè auream ſtateram (non enim fas eſt regum corpora ferrea ponderari) monolancem, aureo cum æquipondio præ aulæ foribus ſerico fune purpureo, flocciſque aureis inſignito, ſuſpendunt, cunctique in certos ordines, diſtributi regem opperiuntur. Qui tandem talis egreditur è gynecæo veſtium tùm elegantia, tùm opulentia, ut nihil poſſit accedere. Corona uno inſignis fulget adamante; ſed qui complurium inſtar gemmarum eſt: quippè qui maximus, ac pulcherrimus omnium, quotquot hucuſque natura produxit, atque ars elaboravit. Ut primùm conſpicitur, accurrunt illicò nobilium primi, atque illum more patrio venerantur: ter cernui extenſis palmis terram tangunt, totidemque attollentes capiti imponunt: atque iſthæc fermè verba pronunciant. Soſpitent Dii regem, plurimos dent annos, ſplendidoſque ex hoſtibus triumphos concedant. Poſteà verò ſummo tùm ſtudio, tùm veneratione, ac ſi ſacra attrectarent, manibus accipiunt, inque lancem auream ponunt: & quot libras pendat exactiſſimè trutinant. Quia verò innata aulicorum animis adulatio, ſemper juſto ponderi aliquid ſuperaddunt: regemque plus, quam elapſo anno ponderare pronunciant. Ità enim naturà comparatum eſt, ut humanis in rebus momentum addat vel aſſentatio, vel benevolentia: detrahat verò vel ira, vel invidentia. Quod per præconem ut populo renunciatum eſt, confeſtim omnes lætis acclamationibus novum regi incrementum gratulantur: cunctaque in futurum annum feſta, ac fauſta præcantur. Interea iidem viri principes lance regem extrahunt: atque iterum venerati, ſinguli in ſuos ordines ſe recipiunt: ille in ſolium aſcendit, ſedetque more patrio: nimirum in ipſo throni ſtrato, incur-

Statera aurea ad ponderandū Regem.

Regem ponderans Viri principes, & incrementum illi ſummis acclamationibus omnes gratulantur.

cur-

curvis cruribus, humeriſque pulvino innixis, non verò regià in ſellà, ut noſtri conſueverunt.

Hac primà fabulæ parte abſolutà (quæ quàm digna majeſtate regis, non diſputo, feſtiva quidem certè) altera ſequitur, quæ neſcio, an magis honorifica regi ſit, quàm utilis. Purpurati, omnes, ac nobiles certo vel dignitatis, vel ætatis ordine ad regium ſolium accedunt, & eo, quem ſupra diximus, more adorant; muneraque illi offerunt, quàm munificentiſſima: idem mox faciunt per legatos, & præcipuæ matronæ, & præfecti provinciarum. Hoc loco Lucilius me de more interpellat: Cedo, quæ ſint ea munera? cui ego: Gemmæ omnis generis, nimirum adamantes, pyropi, ſmaragdi, Amethiſti, Sapphiri, uniones, aliaque huiuſcemodi: præterea aurum, atque argentum, tùm factum, tùm infectum, ditiſſimi tapetes, Attalica periſtromata, aurea, textillia, veſtes Phrygiæ: purpuræ item, ac panni ex Ibericis lanis texti, cameli, elephantes, atque equi generoſiſſimi. Hìc Quinctius: Quàm bellè, inquit, novum ætatis annum Indorum rex auſpicatur: die nimirum tàm fortunato, atque opulento, quàm qui maximè: diceres illum quotannis Mercurio aſcendente, dicam verius, negotiante, renaſci. Ità verò, tum ego: quippe tot ex uno hoc die proventus capit, ut non plures accipiat ad multos menſes: ferunt munera extimari nonagies centena millia. Quocirca mirum certè non eſt, ſi regius theſaurus immenſis penè divitiis refertus ſit: quemadmodum enim omnia flumina in mare confluunt perpetuo curſu; ità cunctæ divitiæ, quæ in vaſtiſſimo complurium provinciarum imperio ſunt; in regis gazam iſtiuſmodi alveorum ductu continuò ſublabuntur: ſed pergam ad cætera. Ut nobiles omnes regem venerati, atque oblata ſunt munera, ſeptem elephanti ducuntur in atrium, ut & ipſi regem adorent: optimi omnium ſeliguntur, & præ reliquis magis eruditi, ac pugnaciores habiti: qui ſericis dorſualibus diſcoloribus, pictiſque opere Phrygio ſplendidiſſimè præfulgent: collis aureis catenis ad ornatum redimiti veriùs, quàm ad ſecuritatem revincti. Ut vel in ipsà ſervitutis ſpecie niteſceret magnificentia; illorum unus, qui alios, vel elegantià corporis, vel animi docilitate antecellit, turriculam dorſo impoſitam cum ſellà eburneà geſtat: qua rex ſedere ſolitus, cum vehitur elephanto; quatuor hominum in clune gerunt, qui regium vexillum breviori haſtæ alligatum manu tenent. Ut in atrium deducti, ſtatim ſinguli ita ſolio admoventur, ut ad quadraginta paſſus diſtent: quò ſimùl ac veniunt, regem illicò adorant, homines ipſos æmulati,

hoc

hoc modo : ter propoſcide terram lingunt , totidemq; elevantes ſupra caput circumducunt : ſingulis vicibus magno clamore vociferantur , tubas imitati : diceres regem ſalutare , precariq; felicitatem : ubi verò debitos regi honores præſtiterunt , ſtatim clunes convertunt : tum qui illorum curam habet, ſtragulam veſtem elevat , clunesque nudat, ut quàm pingues, quàm carnoſi ſint , rex animadvertat : perridicula ſanè conſuetudo, in qua vel ipſi in regem obſervantiæ aſperſa eſt barbaro more barbaries . His hoc modo peractis, cantrices canticum ordientes, varias cantilenas in regis laudem concinnatas muſicè decantant, atque illas multiplici ſaltationum genere comitantur : quam ſcitè corpora in varios motus jactant : varios orbes decircinant : nunc ſibi mutuò occurrunt, nunc fugiunt : nunc ſiniſtras prænſant, nunc dexteras : nunc gyro ſeſe implicant, nunc explicant : & multiplici vel brachiorum, vel digitorum flexu carmina geſticulantur : tandem cantico deſaltato , rex gynecæum ingreditur.

Hæc ut narravi , repentè aſſurreximus ; inque ſubdialem ambulationem reverſi ſumus, quà deambulare iterum, ac frigidiuſculis auris recreari cœpimus : & tandiu ibi morati ſumus, quoad contenebravit : tùm demum perpauculis paſſibus domum redivimus.

CAPUT III.

Orientalis Surrenti ora deſcribitur : & undè tanta in gubernaculo vires , explicatur.

SEceſſerat mecum in Surrentinum, Auguſto menſe ſub Virginis diem feſtum adoleſcens quidam ingenuus, Auguſtæ Taurinorum pulcherrima in urbe natus ; qui patrium cœlum valetudinis cauſsà, noſtro commutaverat : ſperabat enim hàc ſaluberrimi aëris temperie ſe priſtinas vires recuperaturum : nec omninò ſpe ſuà fruſtratus eſt : nam etſi non ex integro convaluit, verumtamen meliuſculè ſe habuit : quippè qui ex longo adversà affectus erat valetudine : morbi enim, quicumque ſint, cum diuturni fiunt, difficilè admodum curantur. Quia verò tùm ob egregiam indolem , moreſque candidiſſimos , tùm quia ſolitus ad me ſtudiorum cauſsà ventitare, mihi erat perquàm charus ; idcirco volui amicum juvenem in elyſium meum deducere , ut ibi Surrentino cœlo, quo nullum eſt clementius , tandem perfectè convaleſceret. Cum igitur quodam die ſub Auroram in ſcopulum ex hortulo deſcendiſſemus , conduc-

ctam

ctam ab eſterno die cymbam ingredimur: perque orientalem oram Vicum Æquenſem verſus iter afficimus: lentè quidem, ac ſuſpenſo remo, ut placidiſſimi tranquillitate maris, atque amœniſſimæ oræ proſpectu abundè frueremur.

Amœnitas oræ Surrentinæ.

Eſt autem Surrenti ora, quæ dimidii ſpeciem præ ſe arcus ferens, ad orientem Solem convertitur, primo manè, quam maximè amœna, & vel ad ſalutares auras carpendas, vel ad animum relaxandum perquàm commoda: ſiquidem eminentibus circùm collibus adumbratur, ut nonniſi ad multam diem illuſtretur à Sole: colles longà virentium arborum coronà precincti diutiùs Solem arcent, temperiem fovent, otia promovent, ac pulchrà oculos ſcenà ſuſpenſos tenent. Præterea iidem colles non acclines clivo, ſed erecti, turritique à mari aſſurgunt, ſpecubus plurimis tractim excavati, atque interciſi, quas quidem ſpecus partim hominum induſtrià factas, arbitrior, partim vi, atque inurià ſibi mare aperuiſſe, partim ludentis opus eſſe naturæ: in quaſdam aditus phaſelis patet, in quaſdam verò minoribus cymbis ubi ingreſſus fueris, frigidulus aër, frangans muſci vernantis odor, quem herbitæ cautes exhalant, perlucidi, placidique fluctus, atque ipſe pendentium ſaxorum horror, mirèque varians in ſingulis ſitus, mirùm ſanè quantum animos recreet, ac ſublevet. Ubi collis, abſciſſis hàc, illàc rupibus, à ſummo vertice ad imum uſque veſtigium interciſus, proſpectu mirabili, variante veluti ſcenà, vel paſcit oculos, vel delectat animos. In ſpeciem caveæ ſinum mons aperit, inflexuſque in helicem ſenſim coarctat, totumque mari pervium facit: pendentibus hinc, illinc ambitur ſcopulis, ſupra arboribus coronatur, medio veſtitur fruticibus, æquoreis imo herbulis amicitur; atque interdum labente deſuper rivo ſubmurmurat. Pulchra quidem ſcena, atque haud ſcio, an melius illam variare natura potuiſſet. Non deſunt extenti per oram ſparſim ſcopuli, partim nativi, partim ex fatiſcente præ vetuſtate monte collapſi: habent enim vel ſaxa ipſe ſenectutem ſuam, quà ſenſim labaſcant: qui ſcopuli herboſi & molles, & quà hærentibus echinis diſtincti, quà diſcoloribus conchis interpicti, pulcherrimi viſu, amœnique ſunt. Horum unus è medio mari altiſſimum in conum faſtigiatus aſſurgit: pharum diceres, quæ toti oræ ad ſpeciem præluceat. Tractim etiam prominentibus hic rupibus, ſeſe mons porrigit: cedentibus ibi, reducit, commodumque oræ locum concedit: nempè ut ſit acceſſibilis, placeatque varietate. Quæ præ aliis exporrecta magis prominet rupes perforata utrimque eſt, marique pervia: quà ſubterraneo veluti iſthmo perfoſſo, ex uno in alterum ſinum breviſſimo

com-

compendio pertranſitur: luſeritne hìc etiam natura, an ars inſudaverit, an ſævientis ſit opus maris, ut crebrà undarum verberatione deſæviens rupem perfregerit, ſibique aperuerit, incertum eſt. Ita verò terebrata rupes eſt, ut ex adverſum ſpecus reſpiciat Pompejos hinc rupem ſubeuntibus videre licet urbem in conſpectu ſtatim apparentem, ac veluti manu prenſari: ut accidit, ubi deductis derepentè ſcenis, illicò nova, ac inopina rerum facies ſeſe oculis offert: quod ſanè perquàm jucundum viſu eſt, atque hinc facilè animum induco, ut credam tam mirabilis operis artificem fuiſſe naturam: quippè quæ non temerè, ut caſus, ſed conſultò operatur: in hominum enim vel oblectamenta, vel commoda tota imminet. Tandem talis eſt Surrenti ora, quà Orientem, quà Occidentem ſpectat tùm amœnitate, tum pulchritudine, tùm etiam temperie, ut nihil ſit omninò, quod poſſit accedere.

Unde in Temone tanta vis, quæritur.

Dum igitur per amœniſſimam hanc oram Taurano cum adoleſcente deveherer, ut aliquam pererrando delectationem aucuparer, advertit ille veliſicantem Stabiis celocem, quarum plurimas Surrentum habet: quæ cùm tam propè à litore fuit, collectis quàm citiſſimè velis anchoram jecit. Hic juvenem cupido inceſſit celocem inſcendere: meque rogat, ut annuerem. Ego, cum nihil antiquiùs habuerim, quàm amicis morem gerere, & haud gravatè ferre, quod illis placere cognoviſſem: Aſcendamus, inquam, mihi enim vel id quadrat. Statim igitur celocem conſcendimus, totamque curiosè luſtramus. Cum verò juvenis in puppi temonem animamadvertiſſet; Doce me, fodes, inquit, (iſthæc enim tui ſunt inſtituti) quî fiat, ut perexiguum iſtud gubernaculum, univerſam iſtam navigii molem regat, & quaquaverſus, ut gubernatori expedire viſum, tàm facilè verſet: hanc enim ego Sphingem cùm internavigandum quamplurimis præſtitiſſem, nemo unus mihi Oedipus fuit. Scilicet ea, quibus aſſiduitate quotidianà, & conſuetudine oculorum aſſueti ſunt animi, admirantur perpauci, requirit nemo. Cui tùm ego: Recipiamus nos in cymbam, domum reverſuri, ne nimio Sol æſtu nos torreat: viden' quàm altus eſt? mihi verò, ut te non præterit, nihil accidit acerbius, quàm ſi doleat à Sole caput: rem inter redeundum explicabo mox. Et ille optimè tu quidem mones. Gratias igitur quamplurimas navarcho agimus, quòd nos benevolè excepiſſet: rogamuſque, Numquid domum vellet? ſtatimque in cymbam inſilivimus.

Cum verò navicularius verſoriam cæpiſſet, ego ad juvenem, faciam tibi nunc ſatis. Et ille: Tam id mihi gra-

tum erit, quàm quod maximè. Ego verò: Etſi mihi perquàm difficilè ſit, ſine figuris Mathematicis poſitum à te nodum ſolvere; veruntamen diligenter contendam, ut rem quàm dilucidè potero, exponam, atque aperiam. Duæ ſunt in temone partes, quas ſcire te primùm velim, ut deindè, quæ ſubjungam, facilius intelligas: clavus nimirum, & gubernaculum. Clavus eſt lignum illud, quod preſſiùs temo dicitur: cujus partes ala, & collum: ala inferior pars incurva, quæ aptatur, hæretque carinæ, quæ repanda cum ſit, idcircò & illa repanda pariter confecta eſt; collum ſuperior, quæ gubernaculo inſeritur, ut verſari poſſit. In alæ curvaturà ferreus circus eſt, in collo uncus affixus: duobus hiſce, qui totidem puppi præfixis excipiuntur, navi clavus adnectitur. Gubernaculum eſt aſſerculus ille verſorius, qui foramine oblongo excipit clavi collum: & quo gubernator dextrorſum, ſiniſtrorſum, quà vel ventus, vel curſus petit, clavum inflectit: tenes iſthæc? Et ille: Teneo enim verò, ſiquidem planè expoſuiſti: perge porrò. Cui ego: Diligenter attendito: paulò difficiliora captu ſunt, quæ ſubjiciam: dicam tamen quam maximè ad facilitatem accomodatè. Et ille; Advertam animum quàm poſſum intentiſſimum. Tum ego: Duo ſunt, quæ in temone admirationem pariunt: primum, quòd gubernator nullo negotio gubernaculum circumducat, atque occurſantis aquæ impetum vel ſuſtineat, vel frangat; ſecundum, quod clavus, ubi gubernaculum circumductum fuerit, totam illicò navem contorqueat: utriuſque in præſentiarum invenienda eſt cauſſa.

Duæ in Temone partes, Clavus, & Gubernaculum.

Vidiſti fortaſsè compluries (res enim uſu trita eſt) tùm grandia ſaxa, tùm marmora moveri vecte, & quam facillimè elevari. Tùm ille: Vidi ſæpiſſimè; quin imò, illo non ſemel uſus ſum, ut obſeratas fores, quarum clavem amiſeram, toto cardine demolirer. Benè eſt, tum ego: rem hinc facilè aſſequeris. Gubernaculum quaſi vectis eſt, qui clavi collo, ſuo veluti fulcro innititur: cùm verò ea vecti vis inſit ut ille vel digito conniſus, ſaxa diffindas, pondera moveas, muros aperias, & robuſtiſſimos quoſque cardines dejicias: nihil admodum idcircò eſt, cur mireris, ſi gubernaculo, quaquà velit gubernator temonem circumducat, atque irruentium undarum æſtui quàm facili negotio obluctetur. Hic juvenis: Iſtuc jam habeo: ſecundi cauſſam expecto. Cui ego: Jamjam me ad illam convertam, & paucis etiam, ut modò præſtiti, explicabo: id enim temporis eſt, ut properandum cenſeo. Fac igitur obliquè puppim clavus reſpiciat: ſitque converſus ad dexteram: in

Gubernaculum quaſi Vectis, qui tanquam fulcro, clavi collo innititur.

Explicatur cauſa Virium in Temone.

quam

quam, ubi ad ſiniſtram verſorium gubernator inflexerit, illicò aget ſeſe ille: navis vel remigio acta, vel velis, prorſum, quò iter inſtitutum ſit, prætervolet. Tùm clavi ala, quà patula eſt, in aquam offendit: inque illam viciſſim aqua: ac ſpumoſo velut ariete continuò pulſat: cum verò verſare nequeat (nempe obſiſtit verſorio gubernator adniſus) navem totam unà cum clavo eam in partem quà dirigit impetum, ſtatim convertet, atque iſthæc, quam petebas, ratio rei eſt. Hinc verò planè, & apertè conficitur, tùm facili negotio navim inflecti, cùm ſecundis auris velificans quàm citiſſimè currit: quippè ocyus occurſantem in ſeſe clavum majori impetu æſtus diverberat: quamquam opus tum ſit, ut majori etiam vi gubernaculum rector ſubſtineat, ut aquæ in palmulam irrumpenti fortiter obſiſtat.

Hæc cum dixiſſem, Intellexi, inquit, juvenis, cuncta perſpicuè: quæ cum tuos olim verſiculos lectitarem ægrè concipiebam. In quibus, quoniam unum eſt, quod velim explices, liceat per te mihi illos recitare. Cui tum ego: Si memoria tenes, penès te eſt, ut recites. Ille vero: Teneo quippè: ſtatimque recitavit.

Sedulus interea conſidens puppe Magiſter
Intentus clavo, clavoque immobilis hærens,
Stet promptus torquere manu retinacula; quà ſe
Ventus agit veniens, curſuſque, & Sydera ducunt;
Omnis, & in clavo docti ſtet cura Magiſtri.
Ac veluti loris currus auriga volantes
Hàc, illàc, quà poſcit iter, curſuſque viarum
Inflectit, varioque volans terit æquora gyro.
Non aliter curuo Rector temone carinas,
Quà ventus, curſuſque vocat, reget æquore vaſto;
Si dextrà errandum pelago, de puppe Magiſter
Impiger ad lævam inflectat cita lora: ſed illa,
Si plaga terrarum fuerit luſtranda ſiniſtra
Torqueat in dextram, ſi rectus in æquore curſus,
In medio Palinure loca retinacula puppis:
Nam ſic directo celeri vada concita lapſu
Alnus arat. Tortas veluti quà flexit habenas
Excelſo inſidens curru moderator equorum,
Quadrupedes docti ſtrictis parere lupatis,
Incedunt; promptique terunt iter: aerea puppis
Haud ſecus, incurvum quà flexerit ipſe Magiſter
Temonem, cita carpet iter, fluctuſque ſecabit.
Exiguà nam mole licet ſtet puppe ſub altà
Adniſus gemino circùm verſatilis unco,

 Atta-

Attamen æratas magnâ cum mole carinas,
Hàc, illàc contra, Pelago obluctante, retorquet,
Quà ventus, curſuſque vocat, quaq; ipſa petit res.
Ferreus ipſe velut parvo cum corpore vectis
Marmoraque, lapideſq; atque alta mole columnas
Submovet, & grandes ſcopulos, rupeſque revellit.

Explicatur quidam Parthenii locus de Timone.

Vix dum recitandi finem fecerat, cùm illicò ad me: Si levà iter inſtituendum eſt, præcipis temonem converti ad dexteram, cujus contrarium à te modò dictum eſt: idemque in eiſdem verſiculis doces

Incurvum quà flexerit ipſe Magiſter
Temonem, cita carpet iter.

Tum ego: Duæ, ut pronuper admonui, in temone partes, gubernaculum, & clavus: cum lora, dico, vel retinacula, gubernaculum intelligo: iſtuc autem contrariam in partem circumducitur. Hic ille: Nihil eſt, quod amplius te vexes, eſt enim res & paucis expoſita, & explicata dilucidè, Sed jam navicularius ad ſcopulum cymbam applicaverat: quocirca exilientes domum proficiſcimur.

CAPUT IV.

Elegans convivium adornatur, variorum ferculorum conficiendorum ratio traditur: poſt convivium carmen de tormento bellico recitatur: & apud quas primum gentes illius uſus fuerit, inquiritur.

Convenerant in Surrentinum poſt nonas Auguſti complures viri eruditi; quidam, ut me inviſerent; ac præſentes præſenti ſalutem dicerent: quidam, ut loci genio perquàm amœno tantiſper fruerentur: nonnulli verò, quibus cutem curare ſtudium eſt, ob vitulam lactentem, quæ Surrenti tam delicata eſt, ut nihil ſupra. Ego, etſi plurimi, & quiſque ſuam umbram haberet, tamen omnes convivio excepi: ſed mensà ſatis frugali, & quæ à ſapientibus viris non abhorreret: nec ſanè lautam exhibere ſi voluiſſem; locus neceſſaria ſuppeditabat: neque domi mihi coquus erat, neque piſtor, qui edulia ſcitamentis variis præpararent.

Cùm ad amœniſſimum maris proſpectum ſub umbrà conſediſſent, tum ego: Hic vos, inquam, ſi placet, aliquantiſper confabulamini: niſi potius vobis ſit curſare per hortulum; nempè brevi ambulatiunculà ſtomachum acuatis: dum ipſe interea, veſtrà venià, coquus idem, idemque

paſtil-

paſtillarius breve vobis prandium cum puero adornem ? Hinc illorum quidam, ut junior, ſic naſutior (ita enim præſens fert ætas, ut juniores ſint naſutiſſimi, carpunt, cavillantur, nodum, ut dicitur, in ſcitpo quærunt: gulæ ſerviunt attentiſſimi, nec niſi plurimo ferculorum apparatu, eoque exquiſitiſſimo contenti ſunt) Mathematicum, inquit, hiſtoricum, poëtam. & quidem non malum, linguis item eruditum te accepimus: at coquum, piſtorem numquam omninò: quare vereor, ut prandium ſit elegans, nam benè ſobrium deſidero. Cui tum ego ſubridens in ſtomacho, & caperata non nihil fronte: Hanc in me curam depone, dicacule: verùm bliteus cum ſis, nonne elegantiſſimum eſſet prandium, & perquam dapſile, ſi meram tibi betam apponerem? dignum profectò eſſet patella operculum. Sed bono ſis animo: nolo enim par pari referre: ſcio oppidò frigidulis te ficis quam maximè oblectari, ut illas vel ambroſiæ præponeres: etenim te Neapoli ſæpenumero de Promo conqueſtum audivi, & meritò quippè, quòd cum frigidiuſculas inferre in menſam poſſet, calidas præ pigritià ſubminiſtraret: bono, inquam, ſis animo, plurimus hic tibi ficulus & gelidus, & recens, quippè cujus adhùc niveum lac ſtillet è pedunculo, non deerit, quo vel uno famem ſedare poſſis. Ille verò: Et gratias ago quam maximas, & quæſo, ut mihi des veniam, ſi nimis feſtivè verbo prolapſus ſum, atque pro non dicto habeas.

Juniores naſutiſſimi.

Hoſpitibus in pomario relictis, me domum recipio, accerſitoque Lucilio, qui valetudinis cauſsà mecum degebat in Surrentino, jubeo aperto in loco juxtà ſubdialem ambulationem, ex quo jucundiſſimus Neapolim verſus proſpectus patebat, menſam inſtruere, & floſculis, ut feſtis diebus conſuevimus, exornare. Me verò in culinam confeſtim capeſſo: in quam ingreſſus, mappulà nonnihil attrità, ac ſordidà (mundam, ac reſarcitam Neapoli nondum acceperam) me coquorum more præcingo, operique manus admoveo, & quidem impigrè. In primis, gallinaceos pullos, quos jam depilatos ad rem habebam, fictilem in teſtudinem ſvillo cum ſumine conjicio: eoſque cinnamomo, pipere, atque aromatico cariophyllo ſcitè condio: addo mox aſtaphidem, prunum, nucleumque pineum, ubi verò incaluerunt, tantillum aquæ infundo, ut juſculum facerem ſuaviſſimum; tandem teſtudinem arctiſſimè concluſam ad tenuiſſimum ignem brevi in tripode relinquo. Deindè artocreas, cruſtula tùm delicatiſſima, tùm ſuaviſſima: quippè ex polline niveo attritæ Cereris, butyro, & ſaccharo, græco Herculano, ovique vitello ſubacta, adornavi: illud Chaoniis pullis, ficedulis plurimis,

Pulli Gallinacei præparatio.

Alia Edulia conficiendi ratio

ac coturnicibus conferſi: addidique veteris petaſonis fruſtra, & Nolani farciminis, cum pyro, & malo Appio indiſcretim permixtis, olivum item, & fungos cum citriis dulcibus, & cucurbitulis: ſparſique deſuper odoramenta quàmplurima, atque aromata, confectum tandem in furnum à puero jam ſuccenſum, ac mundatum, piſtorià palà diligenter immiſi: occluſoque præfurnio, ne calor evaporaret, ad alia me ſtatim edulia converto.

Ex molitæ Cereris flore tùm minuto, tùm niveo maſſam ſubigo frigida, aſperſo tantillum ſalis: maſſam verò ligneo cylindro æquà, ac polità in tabulà in tenuiſſimas nebulas extendo: quas mox oblongas in tænias fruſtratim diſſeco: quæ dum tantiſper ad Solem ſiccarentur, ego caſeum non ovillum, ut noſtrates ſolitavere magno ſtomachi incommodo, ſed bubalinum (habebam recentiſſimum ab Acerrarum Domino viro amiciſſimo, & hominum, qui vivunt, liberaliſſimo, mihi dono datum:) in ſcrobem rapulà caſeareà conteri jubeo, tundique ſimul in piſtrino cinnamomum: cui mox tunſo ſaccharum permiſceo. Exin redeo ad nebulas Cereales, & efferveſcente aquà in cacabo, illas paultatim immitto, ac cochleari cribrario verſo identidem, ne unam in maſſam coirent. Vix dum igne, qui plurimus ardebat, excoctæ ſunt, cùm, manubrio, utràque manu apprehenſo, cacabum è tripode extraho, humique colloco, ſtatimque frigidam infundo, ut latius excreſcerent, fierentque quàm tenerrimæ. Quia verò vel labore, vel igne ſudaveram, mappula ſudorem omnem exicco brevique è culinà egreſſus frigidiores auras liberius hauſi: juvat enim occupato laborioſà in operà facere intercapedinem: tandem iterum ingreſſus, in lancem grandiuſculam, tęnias mitto, colatà prius guttatim aquà cribrario cochleari: poſtea verò permiſceo bubalinum ſcrobem cum ſaccharo, & cinnamomo, elixamque bovis medullam ſuperinfundo: plenam ſic lancem conjicio in hypocauſtum; ut ſenſim incaleſcerent, ac pingui penitus medullà, ſaccharoque ſeſe imbuerent.

His in hunc modum adornatis, lactentis vitulæ lumbos perquàm delicatos, ac pingues veru transfigo per adverſum, ignique admoveo aſſandos: jubeoque Fabiolum continuò verſare veru: Rotam enim, quæ a cane ſolet circumagi, non habebam expeditam: neque mihi erat in promptu machina, qua fumo in alas incurſante, veru circumvolitur: vitulam ut jam aſſari cœptaverat, ſale aſpergo, tandem larido ferventi veruculo præfixo benè imbuo, ac perfundo: ita enim, & ſucco gravida, & ſapida magis eſt. Poſtremò, ut præter ſpem, bonam prandio coronidem imponerem,

quæ-

quædam farta liba ex dulcibus conficio hoc modo : Similaginem, butyrum, ſalemque Indicum, cum tantillo noſtratis, ac duobus ovi vitellis frigida ſubigo, ſubactam poſt maſſam totidem in fruſtra divido, quot erant convivæ, quæ ſingula cylindro extendo in circulos in horum medietate dulcia jam tunſa cum medulla pinguiſſima ſuperpono : alteram circuli partem deſuper plico: facioque farta quaſi Lunulas pinnato limbo : qualis ſpectantibus nobis tubo viſorio, Luna apparet, cum eſt dimidiata. Accepta mox piſtoria ſartagine ſvillo adipe inungo, imponoque dulciaria: ſumpto poſt deindè infurnibulo, conjicio ſtatim in furnum. Elixam cum prototomis cauliculis jam puer primo manè præparaverat: Etenim modici cibi homo cum ſim, iſthic meus tenuiſſimus, idemque ſimpliciſſimus cibus eſt. Odi profectò nimios illos apparatus: tot nimirum præſulſas, ſcriblitas, moreta, frixa, intrita, ollaria, fartilia; tot item intinctus, atque embemmata, eſcaſque conditaneas, & cœteras cupedias; gulæ irritamenta verius, quàm nutrimenta: quæ quidem in ſtomachi perniciem adinventa ſunt : perquàm paucis nutrimur, & quæ fames condiat, non gula. Iſthæc autem parſimonia apud veteres magna fuit : legimus enim lege Fannià primùm, poſtea verò Licinià cautum, ut ſumptus non excederet denos, vel tricenos æris.

Liba farta ex dulcibus.

Quia verò jàm prandendi tempus appetebat, iſcincto confeſtim linteo, ad amicos ire pergo. Vix dum ad primos ſuperioris deambulationis gradus veni, cùm illos obviam habui aſcendentes ab horto : qui ſimul ac me vident: Eſtne, inquiunt, hora prandii, necne? Quibus ego. Eſt equidem: quocirca, quæſo, ut illicò ſedeatis, ne longiori morà prandiolum corrumpatur: jam Lucilius menſam inſtruxit, panemque caniſtris expediit: jam puer ficus è puteo, ubi ad frigus aſſervantur, eduxit. Illi nihil cunctati, Sedeamus, inquiunt. Tùm Lucilius pollubrum ſiniſtrà manu tenens, dextrà vas cum aqua ad menſam acceſſit, ut hoſpites manus lavarent: ego mundiſſimum mantile, ac villoſum porrigo ad tergendum. Lotis igitur manibus, hymnoque de more dicto, ſinguli eo, quo par erat, ordine, ſuis ſedibus accubuere. Exordium non ab ovo, ut vetuſtiſſimus mos eſt, ſed ut nunc fit, à ficis cùm ſuaviſſimis tùm frigidiſſimis factum eſt : erant Livianæ pinguiſſimæ, & cucurbitinę melleo ore, tenero cortice, pulpà non adeo molli; atque ob id mirum in modum placuerunt. Poſtea verò quàm ficubus ſe liberius oblectarunt, pro primo edulio pulli jurulenti appoſiti, qui quà teneritudine, quà condimento tam grati habiti ſunt, quam qui gratiſſimi. Poſt hos panis,

Prandium deſcribitur.

nis, carniſque edulium allatum, mediumque in menſam expoſitum tantà odorum fragrantià, ut non vulgare quid ſuboleret: ubi verò diviſum ſingulis, cruſtulamque tùm tenerrimam, tùm dulciſſimam primis amici labris deguſtarunt, tùm ſtatim ad me: Itane tu nobis impoſuiſti? nullum ne tu coquum, piſtorem nullum? nugas certè agebas ſiquidem egregium habes; quippè principe, & quidem purpurato tuo digniſſimum. At ego ſubridens, ſerione iſthæc, an per jocum? quod enim laudatis, manus iſtæ piſtoriæ omninò rudes confecerunt. At illi: Si verum, quod prædicas, rudes ne dixeris, imò peritiſſimas: heus puer, infunde merum: ſit helvolum illud Pauſilypæum minimè fugax, quamquam delicatiſſimum: juvat tam docto artifici propinare. Sed jam cereales tænias cum vitula Lucilius apponi juſſerat: illas ego convivii Magiſter è majori lance in ſcutellas ingero, & ſingulas ſingulis ſubminiſtro: vix delibarunt, cum ad me. Allatæ ne tibi Neapoli ſunt? adeò enim delicatæ, ut nihil ſupra. Tum ego; Cujuſmodicumque ſunt, è noſtra officina prodierunt: Illi vero: Ludis profectò: converſique ad Lucilium: Jocaturne, inquiunt, Parthenius? Ille verò, Minimè quidem. Quippè qui teſtis oculatiſſimus. Cumque vix & ægrè id ſibi perſuaſiſſent, elixam cum coliculis pueri attulerunt. Tandem pro ſecundis menſis, ut moris eſt, farta dulcia ſingulis ſingula diſtributa, quæ ob teneritudinem, ac ſuavitatem Atica veluti Bellaria omnem ſibi plauſum vindicarunt: vorataque vel cum ramentis: quæ cum à me pariter facta à Lucilio cognoviſſent, omnium ſuffragiis me coquum, ac piſtorem ſcitiſſimum conclamarunt, libaruntque liberius. Ego verò: Proh ſuperi! Hoc ſcilicet unum meis laudibus deerat, ut inter myrtum litoream, laurumque Parnaſſiam, culinariam quercum insererem.

Parthenius Coquus non malus.

Sed jam fame expletà, eruditis animum colloquiis, ut humanos viros decebat, paſcere incœpimus: nunquam enim illorum inſtitutum probavi, qui vel perridiculis nugis, vel fabellis anilibus, vel mittentes ridicula, animum non tam paſcunt, quam opprimunt: quapropter malam hanc conſuetudinem ab eruditorum virorum cœtu amandare, malumq; funditus averuncare vellem, ſi poſſem. Cùm autem de Veſuviano incendio curioſam haberemus quæſtiunculam (erat enim in proſpectu Veſuvius, ambuſtuſque crater nonnullos fumi vortices, ac flammarum cuneos identidem evomebat) ſenior amicorum: Quid, inquit, de Bellicis tuis? an ex hoc incendio aliquid excerpſiſti? videtur enim perquam bellè aptari poſſe ad fulminalia: ita enim, ut

ex

ex te ſæpius audivi, Latini vocant hoc tempore ea tormenta bellica, quæ fulminis vice æreas pilas quàm longiſſimè ejaculantur. Cui ego: Divinaſti profectò: iſthæc ego & moveo, & curo: quique de Bellicis Tormentis eſt Liber, revocatur ad trutinam. Hoc loco omnes me rogant, obſecrantque, ut ſaltem Libri exordium recitarem. Ego etſi invitus (non enim adhuc luce dignum mihi videbatur, ut quod lima non dum raſum) tamen morem geſſi: & ut erat illaboratum habere cœpi hoc modo.

De Bellico Tormento Carmen.

Nunc Martis tormenta, quibus vel prælia miſcens
Extentis tonat in campis, vel fervidus arces
Fulminat obſeſſas, & mœnia deiicit ictu:
Quam varia, & qualis ſit bellatoribus uſus,
Dicere nunc labor inſequitur. Vos ò mihi veſtros
Pandite, Cyclopes, dimoto vecte caminos:
Namque opis eſt veſtræ quæcumque effingere vates
Audaci aggreditur niſu: nova munere veſtro
Machina Tartareis eſt deducenda cavernis.
Machina quæ ferro, & Vulcani pulvere fæta;
Ignea rauciſonis accendat prælia bombis.
Aſt artes primùm antiquas dediſcite, quando
Non ferrum in dura verſandum incude, tenaci
Forcipe: nou enſes fabricandi, aut æria ſcuta:
Verum æs ignivomum, & ſummi tormenta Tonantis
Fulmina, quæ referant, & terrificos reboatus
Cudere opus, vaſta fuſis fornace metallis.
Hæc etenim Marti potiora virilibus annis
Inſtrumenta placent belli, quibus acrior inſtat
Cæde furens, ſatiatque animum furialibus iris:
Scilicet ingenio indulgens, iræque minorum
Horridus in flammas, & rauca tonitrua ſurgit;
Proh ſuperi! quæ tanta necis furioſa cupido
Mortales agitat ſenſus, ut pectora ferro
Non ſatis incidi viſum: ſed fulmine rumpi,
Atque opus horrendo fuerit diſcerpier igni.
Vſque adeò tantam fera mens exarſit in iram;
Ingenii ut vires, & acuta inventa ruinam
Verteret in propriam, Fatis nolentibus ipſis.
Non ratio, non Fata valent obſiſtere, cùm jam
Per præceps trahitur mens irritata furore.
Principiò tormenta, nigris quæ vexit ab umbris
Sanguineus Mavors, Furiis, & Dite miniſtro:
Ardentes quoniam jaculantur ad æthera flammas
Horriſonis latè bombis, cognomine noſtri
Illa hinc Bombàrdas appellavere vocantes.

Mirum, horrendum, ingens inventum Martis; aperto
Edere ſeu ſtragem campo, ſeu fulmine clauſas
Dejectare velit totis cum mœnibus urbes.
At quæ forma: velut longus Bombarda cylinder,
Inque igni fuſo formatur concavus ære.

Bombardæ forma.

Illius & partes quanquam deſcribere verſu
Difficile, & latia pro majeſtate referre:
His tamen enitar. Patet os in fronte rotundum;
Plurimus & circùm ſinuatur denſior orbe
Circulus: hunc fuſor dicit cognomine gemmam:
Quem circùm varium ſignis collare rigeſcit.
Aſtragaluſque nitet poſt hoc tornatus, & orbis
Tormento in medio geminus diſcrimine certo
Ære laborato protuberat: unus in ora
Qui vergit, minor, in tergum qui vertitur alter
Grandior. Hos inter lauro redimita ſuperbi
Cæſaris effigies, Aquilæque inſignia regni
Egregiis inſculpta notis, atque arte magiſtrà:
Non longè geminæ, ſolidoque ex ære recurvæ
Hinc, illinc ſenis excurrunt partibus aures:
Quas & tormenti nonnunquam dicimus alas.
Scilicet impoſitæ quia curribus æra canora
Suſtentant: geminæque ſimùl ſtant deſuper anſæ,
Attolli quibus, & verſari machina poſſit.
Hæ, gemini Delphines uti quia ſæpè creantur
Fuſore; idcircò Delphinum nomine gaudent.
Altera tormenti, quæ pars poſtica vocatur,
Tergum etiam fabris, Latio dicenda caminus;
Majori turget profuſi mole metalli.
Illius extremo manet annulus, aut nitet orbe
Non uno conus diſtinctus: plurima & ipſum
Exornat tergum variis armilla figuris.
Deſuper eſt focus, & circus complectitur illum:
Ut pyrium teneat nitrum, ne fort labaſcat.
Accipit & flammas, & per concluſa meatus
Intima rauciſoni tranſmittit in exta metalli;
Cujus & interior, qua pars & fulmina, nimbumq;
Evomit, æquato excurrit protenſa canali.
Illius in tergum, gemina quæ tendit ab aure
Pars gravidanda nitro, turget denſiſſima ferro;
Fortius ut queat erumpenti obſiſtere nimbo.
Altera, quæ vacuo decurrit ad ora meatu,
(Tormenti Pſychen vocitaſſent nomine Graji:
At noſtri, quoniam volat illa emiſſus ad auras
Ingenti clangore globus, dixere Volatum)

Tenuior

Tenuior eſt ære, & decreſcit ad uſque ſupremum
Os, quoniam nitri minor illàc fulminei vis
Concutit æra, leves jam jam ventura ſub auras.

Hæc cùm memoriter habuiſſem: tenebam enim verſiculos ſecundùm paulò antè nonnihil caſtigatos: ſtatim amici, quotquot erant: Nihil, inquiunt. jucundius nobis cadere potuit: rogamuſque enixè, ut quamprimum inſtitutum opus efficias, neque amplius ex die diem ducas: nihil enim admodum eſt, quin brevi abſolvi poſſit: ut enim tibi promptum ingenium eſt, ita facilis vena. Quibus tum ipſe: Etſi opus majores ſanè; & Maronianos cothurnos expoſcat, qualecumque tamen mihi ingenium ſit, quod quidem mediocre (de facilitate venæ non coactè fluentis non contendo) abſolverem utique ſi amœniſſimo hoc ſub cœlo, ubi ego planè bellè me habeo, atque pugilicè per annum integrum liceret mihi eſſe otioſo; & tranquillè longè à porticu, longè ab urbano tumultu verſari. Sæpenumero hujus Elyſii memor, dicere ſoleo, Fortunata Corinthus: at ego ſim Teneates. Nam fac Neapolim redeam, quot illicò tricæ, quot negotia animum diſtrahent? ut ne ad ſcalpendas quidem aures otium ſit: quot ſolicitudines, quot rumores, decumanæ velut undæ mentem hàc, illàc agitabunt? Quid de valetudine? quæ hàc amœniſſimà, ac ſaluberrimà cœli temperie, ciboque etſi non lauto, certè ſalubri. reſtaurata, continuò incipiet deflorеſcere, labeſcere, peſſum ire, tùm ob craſſum cubiculi aërem, tùm ob braſſicas capitatas: morbi enim, ut optimè Galenus, partim ex aëre, partim ex cibo generantur. Siquidem hoc nutrimur, illo verò continuò reſpiramus. I nunc, & tot diſtractus curis, tot præpeditus negotiis, tot oppreſſus moleſtiis, ſtrepente undique multitudine, clangente ſingulis momentis nedum horis, crepitaculo, capite, & ſtomacho laborantibus, Bellica ſive Tattica, ſive Poliercetica, ſive Navalia abſolve: id etenim in hoc ſtatu rerum ſi maximè velim, neutiquam poſſem: niſi vellem aut nullam ſalutis rationem ducere, aut præ nimià feſtinatione, Marſum imitari, atque ineptiſſimum opus proferre in lucem. Minimè vitæ fluctibus eum circumiri neceſſe eſt, qui expolitum aliquid edere meditatur. Hoc loco illi: Ità ſanè ſe res habet; nec enim eſt, quo occurramus; ut enim pervulgatum illud,

Morbi partim ex aëre, partim ex cibo generantur.

Seceſſum Muſæ, ſcribentis & otia quærunt:
Nec locus hic Muſis aptior eſſe poteſt,

quem tu in Halieuticis graphicè depinxiſti, Hic enim vacuitas illa vel curarum, vel dolorum, ſuaviſſimum iſthuc

ſilentium, nonniſi dulciſſimo avium cantu, neſcimus in-
terruptum ne dicamus, an continuatum? tranquilla ani-
mi quies nullis obnoxia ægritudinibus, quia nullus rumo-
ribus perturbata; pacatiſſimus iſthic loci genius quid aliud,
quam Muſas, quam literas inſpirat? Verum illud, Parthe-
nie, non probamus: te nimirum degere ſolitarium nullo
ſocio, adjutore nullo, qui ſaltem verſus tranſcriberet, te-
que hoc inutili labore liberaret: quicum valetudinis cauſsà
deambulare, ſermones habere eruditos, & ſi quando præ-
terrimà hypocondriorum lue frontem contraxiſti; expor-
rigere poſſis, atque explicare, qui ſi doleas, conſoletur,
ſi cecideris, ſublevet, & ſi, quid accidat humanitus, pa-
rentet. Væ ſoli. Divinæ Sapientiæ effatum eſt: hominem ſo-

Societas Homini jucunda, & neceſſaria.

ciabilem natura fecit: nec humanis in rebus quidquam, vel
jucundius; vel pretioſius eſt amicitià. Tum ego: Veriſſi-
ma prædicatis, neque ego is ſum, quem μυσάνθρωπον
Greci appellant. Scio equidem quàm jucunda ſit ſocietas:
quàm homini neceſſaria, niſi velit in feram degenerare,
quandoquidem belluæ ipſæ, quæ cicures natura ſunt, ſi
ſolas concluſeris, mirum quantum efferantur. Sed aventi
mihi ſocium habere, & quidem genialem, atque ingenuum,
neque occaſio ſinit, neque locus, neque licet interdum.
Tum illi: Mirum equidem; ſed quid facias? ita ſe res ha-
bet: & ita animum inducas opus eſt. Verum enim verò
mittamus iſthæc, quæ ſi animum non lacerant, pungunt
quidem certè, ad ea verò ſermonem transferamus, quæ il-
lum tùm erudiunt, tùm delectant. Et quoniam bombar-
da in medium allata eſt; (quam quidem ab igne, quem
maximo emittit bombo preſſiùs latinè dici nos tuis verſi-
culis docuiſti) ſcire abs te avemus apud quas primò gen-
tes illius uſus fuit: varius enim de illius inventione ru-
mor circumfertur: plurimaque de Sinis narrantur: quam
gentem, ajunt, eſſe ſolertiſſimam, & complures artes quà

An Sinæ Tormenta Bellica priùs quàm Europei, adinvenerint,

ingenio, quà induſtrià primam omnium excogitaſſe. Qui-
bus ego: Morem geram quàm libenter, & quæ mea ſit hac
de re ſententia planè expromam: ne verò multis veſtras
aures obtundam, rem ſtrictiùs attingam, perſtringamque
breviter: vos æquo, intentoque animo, quæ dicam atten-
dite. Illi verò: Perge porrò: animos accomodabimus, & li-
bentes, & attentiſſimos. Tum ego: Antequam ex Europà
in extremas Aſiæ oras, Oceano, vel arte, vel audacià ſu-
perato, noſtri homines pervenirent, hanc ſibi laudem non
immeritò vindicabant. Qui verò ipſorum primi adinvene-
rint, magna quidem controverſia, ut in re tali ſæpenume-
ro uſuvenit: ita enim mortalium natura eſt, ut magnarum

rerum

rerum ſe quiſque auctorem ferat: quippè laudum appetentiſſimi. Nonnulli, quorum agmen, quas principes agunt, Polydorus Virgilius, & Horatius Turſellinus, viri vel eruditionis, vel elegantiæ laude ornatiſſimi: terrificas haſce machinas, quibus homines excitare tonitrua, torquere fulmina veriùs viſi ſunt, quàm Salmoneus, Salmoneus autem? imò Juppitèr ipſe: ad Foſſas Clodias magnà tùm admiratione, tùm terrore mortalium primùm intonuiſſe tradiderunt: Eaſque Venetos in memorabili illo cum Liguribus conflictu anno MCCCLXXVII. pari gloriâ, quàm ſucceſſu explodiſſe. Verùm etſi authores graviſſimi, tamen communis æſtu opinionis abrepti, actique in tranſverſum, tantum à veritate aberrarunt, quàm qui maximè. Tum illi: Mirum ſanè in illiuſmodi viros id cadere potuiſſe. Quibus tum ego: Imò id cadit univerſis, quos aliorum placita auferunt. Et illi: Verum age, ſi ita eſt, ut narras: cedo, quibus illud conficis argumentis? Ego verò: Authoritate Petrarchæ, cui vel eruditione, vel ingenio nihil omninò eſt, quod accedat. Hic enim in libro, quem ſcripſit de remediis utriuſque fortunæ, Bombardas memorat: & multo antè inventas refert. Cum verò fato functus ſit anno MCCCLXXIV. perſpicuè conſequitur bombardarum inventionem pugnam ad Foſſas Clodias præceſſiſſe. Tùm illi: Aſſentimur, perge porrò ad cætera. Tum ego: Galli, qui eà ſunt indole, ut ſint gloriæ quàm maximè appetentes, ſeſe hujuſmodi inventi auctores prædicant: quod quidem ut perſuadeant, neſcio quas hiſtorias afferunt, quibus Caroli VI. ævo uſui fuiſſe fulminalia bellicoſiſſimæ genti, conſignatum eſt. Quidam Othone IV. Cæſare circiter anno MCCXII. à barbaris in Hiſpania in Chriſtianorum perniciem excogitata, atque in pugnas producta ferunt, nempè ab humano ingenio tàm immania, tàm fera belli machinamenta educi neutiquam potuerunt. Sub idem tempus inventus perhibetur pyrius pulvis: ferturque parens ſobolis tam nefandæ Anglus quidam, cui, ſi benè memini, Rugerio nomen erat. Tandem hanc ſive laudem, ſive ignominiam (non enim certò auſim definire) Germani, & fortaſſe ſuo jure, ſibi adſcribunt. Ab his vero Venetos, qui tam propè ab illis abſunt, primos ex Italis accepiſſe vero ſimilius eſt. Ego, etſi maximè vellem, tamen in re tàm variâ, & cujus me auctorem eſſe ſummoperè pœniteret, nihil certi auſim ſtatuere. Hic illi: Prudenter tu quidem; & eò præcipuè, quòd ſæpè contingat, ut, quod falsò creditum eſt, veri vicem obtineat: verum age, quod rem attingit, perſequere. Tum ego: Iſtuc ibam: Audite

igi-

Quando primus Tormentorum uſus?

Pulveris pyrii Inventor.

igitur paucis. Inficiari minimè poſſum, hujuſcemodi tormenta non tàm Martis deprælientis, quàm fulminantis Jovis multis retrò ſæculis quàm in Europà, vel in hominum perniciem, vel excidium urbium producta ſunt, apud ultimos Orientis populos, quos antiqui Seres, noſtri Sinas vocant, in pugnis, atque arcium oppugnatione adhibita fuiſſe: id verò, & illarum gentium annales tradunt, & compluria fidem aſtruunt. Hoc loco illi: At quæ Serum annalibus adhibenda fides ſit, certè non te latet, quippè hominem eruditum: res enim geſtas habent, quæ plurimis antè ſæculis, quàm homines extiterint, factæ non certè quidem, ingenioſè tamen confictæ. Quibus tum ego: Non nego: vaniſſima profectò gens eſt, ac perridiculas, anileſque fabellas vetuſtiſſimarum rerum ſuis annalibus conſignavit: tamen vera eſſe, quæ ultimis temporibus conſcripſerunt, veriſimile quippè. Et illi: Aſſentimur & his; ita etiam nobis videtur. Sed dic, ſodes: cenſeſne Europæos noſtros hujuſmodi artem à Sinis accepiſſe? Quibus ego: Minimè quidem; etenim nulla illis ultro, citroque cum Seribus commercia fuerunt. Imò pernicioſiſſimam hanc artem, quæ jugulum petiit fortitudinis, & novam indidit animis crudelitatem, Séres ipſos ab aliis habuiſſe. Illi verò: A quibuſnam? inquiunt: id nobis novum omninò cecidit. Tum ego: Dicam jam jam: verùm ut enucleatè, diſtinctèque diſſeram, vos ſcire velim, inter ulteriorem Indiam, quam extra Gangem Geographi vocamus, & vaſtiſſimum Sinarum imperium ſupra partes xxx. latitudinis Borealis regionem eſſe, quam barbari *Aſem* indigitant. Fortaſsè, ni mea me fallit ſententia, ille erit Indiæ tractus, qui Gangem inter, & Bepyrrum montem jacet, ubi olim Ganganos habitaſſe fama eſt. Regio tùm auri, argentique, ac cæterorum metallorum fodinis, tùm ſoli ubertate, amniumque, quibus irrigatur frequentià, ut dives eſt, ità amœna nullique illius tractus ſecunda. Apud hujuſce regionis populos perquàm vetuſtiſſimum fuiſſe bombardarum uſum, & gentis annales, & circùm accolæ nationes teſtantur. Quinimò tormenta ipſa aſtruunt ſibi fidem: in illis enim, anni, quibus fuſa, atque elaborata, cælatis affabrè, ac peregrinum in morem literis adnotantur. Hoc loco illi: Mira quidem narras, & nova omninò: Et ego: Ita enim vero. At illi: Sunt igitur inter barbaros, qui plus nimirum ſapiunt, quam nos opinemur. Quibus tùm ego: Ita verò; ſed addam amplius. Tùm illi: Nempè altius Bombardarum inventio repetenda? Ego verò: Nimirum divinaſtis Audite modò paucis: quoniam enim meridianæ quietis

Tormentorum uſus apud Indos

tem-

tempus appetit, properandum cenſeo: Supra Aſenſe regnum, Butanum eſt, ubi olim Scythæ Ottorocoræ, & Batæ incolebant: ab his fortaſſe corrupto à barbaris vocabulo, ut plerumque accidit, regio *Buten* appellata. Quo in regno Fulminalium uſus quam vetuſtiſſimus perhibetur. Complures enim, qui ad hoſce terrarum tractus non multis ab hinc annis commerciorum cauſsà profecti ſunt, referunt reperiri inibi tormenta, tùm æneа, tùm ferrea ante annos D. facta: ſclopos item minores adeò politos, ac ſubluſtres, ut inſtar ſpeculorum lucem repercutiant: ſigillis verò tam graphicè cœlati, ut Attalici præ ſe operis ſpeciem gerant. Eſt etiam inſculpta epigraphe, quæ ante annos CLXXX. confectos eſſe docet. Sunt præterea, quod magis mirum eſt, pilæ igneæ, quas id temporis Pyrobolos noſtri dicunt; vulgus à ſimilitudine Mala Punica appellat, illas verò, non quemadmodum noſtrates, manibus jaciunt, non ſine periculo, verùm brevioribus haſtis præfixas jaculantur quam dexterrimè. Tùm amici: Næ, illi ſapiunt, & quidem ſupra barbaros. Ego verò: Ita prorſus. Ab his autem populis ad Peguanos primùm artem arbitror adlatam eſſe: hinc veluti gradu facto, ad Sinas perveniſſe, apud gentes illas diſſipatiſſimus ſermo eſt. Hi verò quoniam ſuopte ingenio induſtrii, & malarum artium dociles ſunt animi, acceptam ab exteris artem mirificè propagarunt. Hinc apud illos paſſim videre licet, tùm majora tormenta, tùm minora mirum in modum cælata, ſigillis inſculptis, ac floribus intertextis tàm ſcitè, ac fabrè, tantoque ornatu, ut nihil ſit, quod amplius quæras in eo genere: ſunt nempè hujuſmodi arte Sinæ peritiſſimi, ut tàm in opere æneo, quàm fictili Phrygios textus quàm facillimè imitentur: inque ſigillariis operibus elaborandis ingenioſiſſimi.

Pyrobolorum uſus.

Hæc cum dixiſſem, quoniam jam tempus erat inſititio ſomnulo meridiem diffindere, quod ni facerem, vivere non poſſem, ad amicos: Surgamus, inquam, ac brevi ſopore defatigatum animum reficiamus. Et illi: Rectè tu quidem, & in tempore mones, aſſurreximus igitur: & quiſque in ſuum cubiculum cubitum ivit.

CA-

CAPUT V.

Quibus in locis reperiantur adamantes, & qua vel arte vel induſtria eruantur.

De Adamantibus diſputatur.

POſteaquam benè manè in hortulum ego, Quinctius, & Lucilius, quem merito ſui plurimum amo, deſcendimus, atque per Xyſtum diutiuſculè deambulatum eſt, Eamus, inquit Quinctius, ad oram maris, ut ibi moremur tantiſper: viden' ut tranquillum eſt? ut nos invitat? quinimò aſpice, ut à noſtro ſcopulo piſcatoria illa cymbula tàm propè reſpondeat: rogabimus homines ſi quid habent piſcium. Cui ego: Video enim verò: ſed nolo tempus lacerare: ad literariam menſulam me Muſæ expectant: quas mihi videor videre diurnum penſum à me repetere: neque ego tàm inurbanus, qui diù illas expectare patiar. Tùm Quinctius: ſed reficiendus eſt animus, ut labori par ſit: cæteroquin ſuccumbet; mihi crede: illius velim memineris, quod adeò tritum, ac decantatum eſt. Non ſemper arcum tendit Apollo: age, quæſo, tempus remitte: ac te reſpice: æquum quippè ut quaſdam in die horas luculentè habeamus. Cui ego: Satis refectus eſt animus, tùm ambulatiunculà, tùm auris matutinis: ſi tibi ita conſtitutum, pergito cum Lucilio; remitto nimirum vobis iſtam voluptatem. Tum Lucilius: Aliud profectò eſt in cauſsà. Cui Quinctius: Quid? effare. Et ille: Veretur ut ne piſces coëmat: jam enim Parthenius noſter eſſe incipit aliquantò tenacior: nimirum ad rem in ſenecta attenti ſumus. Cui tum ego: Nihil minus: en pecuniæ quantum voles. Hoc loco Fabiolus ſupervenit: quem cum vidiſſem. Quid rei eſt? inquam. Et ille: Quidam pro foribus Lucilium conventum expetit. Et ego: Quiſnam? Ille verò: Quidam puer cum tabellà, & caniſtro. Tum ego ad Lucilium: Nempè munuſculum nobis affert. At Lucilius: Ibo, ut videam: ſtatimque diſceſſit. Tum Quinctius: Iterum me urgens, eamus, inquit. Cui ego? Si ad ſcopulum deſcenderimus, diem amiſero. At Quinſtius: Sed magno lucro; reſpice te in ſpeculo, cernes ſanè ipſe quàm oppidò pallidus ſis; quoniam nunquam remittis animum à legendo, & quod noxium magis eſt, à ſcribendo: timeo tibi, mi Parthenie, utinam quanti Muſas facis, tanti te faceres: imò ſi Muſas amas, tui curam ſuſcipito, & ſalutis rationem habe; neque te tantum literis involvas: ſi ſecus, illis tandem vale dices omninò. Cui ego: Vt bellè argutaris? utinam tu paulò ſtu-

ſtudioſior Muſarum eſſes: prætexes, ut te præoccupem, valetudinem, ſed, ut bellè Martialis, Non tuſſis, gula eſt: plus nimio diligis otia, tibique oblectamenta cordi ſunt, non labores eruditi: quibus ditior fit animus, & quibus emergimus è vulgo, quare age jam ad bonam te frugem recipito. Tum Quinctius: Iſtuc ipſe viderim. Ego verò: At mihi nimirum illud hæret in memoria; quod Apelles jactare ſolebat. Ad eruditionem comparandam otium uſque fugiendum.

Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit:

quo ille ſummus pictor evaſit, & quo quiſque per ſe ad ſummam doctrinæ laudem, atque honoris gradum aſcendere quàm facillimè poteſt. At Quinctius. Eruditè quippè; advertam ad id aliàs mentem: nunc, amabo. mi Parthenie, deſcendamus in ſcopulum: redibimus illicò. Cui ego: Næ ego tener, ut id tu blanditiis extorqueas: Ille verò inſtare, atque urgere iterùm: Quæſo, ut hac tantùm vice mihi morem geras. Tùm tandem, ne juvenem ægrimonià afficerem: Deſcendamus, inquam, ſed brevi domum reverſuri: verùm velim hinc videas, quanti apud me ſis, cum tui gratià Muſas relinquam. Ille; Scio enim verò: grateſque habeo quàm maximas.

Cum igitur brevi deſcenſu clivum tranſmiſiſſemus, ad antri fores pervenimus, tùm ego è cardine ferreum obicem amoveo, oſtiumque aperio: ac Quinctius aſſumpto piſcario calamo, quem ego ponè fores aſſervabam, me ſequitur in ſcopulum progredientem. Quem cum viderem: Falleris oppidò, mi Quincti; haud quaquam piſcandi nunc tempus, Et ille; Cur non? Cui ego: quia aqua nimis perlucida; turbida ſit, oportet, ne ludas operam: non tenes, quod ſcripſi in Halieuticis?

Nil puris piſcamur aquis: dant turbida prædam
Flumina.

Tùm Quinctius. Memineram ſanè: ſed volo periculum facere, utrum benè necne ſcripſeris. At ego: Alias experiere; modò non vacat: nam ſi ſemel incœperis, totum manè obducemus; nec dubium quin vapulemus à Muſis. Ille verò. Ego quidem non vapulabo. Cui ego; Concedo: ſed quis mihi ſponſor? Tùm Quinctius: Ego ſatis dabo: Cui ego; O vadem præclariſſimum! timeo ne tui gratià acerbiùs vapulem. Hic Quinctius, repoſità poſt fores arundine, in arenam deſcendit, cœpitque lapillos, quos unda egererat, evolvere; ſi fortè fortunà pretioſum aliquem reperiret. Poſtea verò quàm multam verſando operam impendit, impendit autem? imò perdidit, ut pueri faciunt otioſi; qui ſic ſunt, ut quid agant, quid dicant nihil pen-

ſi habent, perlucidum quendam nactus eſt, quem ut accepit, illicò ad me tàm lætus, ac hilaris, quàm qui theſaurum in ſuo fundo adinvenit. Etſi arenam, inquit, verſavi, tamen laborem minimè ſevi. Cui ego; Utinam vera prædicares. Ille verò: Superis gratia, vel te invito, funiculus multum piſcium attraxit. Tum ego: Oſtende, quid ſis expiſcatus, numquid lapidem pretioſum? Tùm Quinctius: Ut divinaſti: en adamantem pulcherrimum. Cui ego: Vide ne ſit cryſtalli ramentum deſcendens in adamantem: iſthæc enim ora non fert adamantes. Ille: Ità dii me ament, ut ipſiſſimus eſt adamas: ſtatimque porrexit. Ego, ut vidi; O peritum, inquam, gemmarium! iſtuc fruſtulum eſt cryſtalli montani. Ille verò: ludis? Cui ego: Jocari meum non eſt; Tùm Quinctius. Ut facilè ſibi quiſque fortunam fingit! ut fallit ſpes pauperem! Sed age ſis, & quando dedita eſt occaſio, dic, quæſo, ubi gentium naſcantur adamantes: id jamdiu ſcire cupiebam. Cui ego: Dicam equidem, ſed non multis, ne pluſquam velim immoremur. Sedeto in hac ſcopuli crepidine, quam mollis inveſtit muſcus, placidum adlambit mare, & attentum adverte animum: ſed videto ne decidas. Ille: Mitte hunc timorem: ſolum minimè lubricum. Ut ſedit, ego ea, quæ rem attingerent, ſic exponere orditus ſum.

Diſputationis occaſio ex lapillo pellucido in arenà adinvento.

In Aſia regio eſt toto orbe notiſſima, Indiam & novi, & veteres appellarunt: quæ tùm populorum multitudine, copiàque divitiarum, ſoli ubertate, amniumque frequentià, tùm cœli temperie, & feliciſſima eſt, & opulentiſſima, quocirca meritiſſimè illius glebas aureas eſſe poëtæ commenti ſunt, duobus maximis fluviis, Indo, & Gange irrigatur: à quibus ambobus nomen obtinuit: nam cum medius eam Ganges interſecet, hinc factum eſt, ut quæ ad Occidentem illius eſt, per quam Indus interfluit, India intra Gangem: quæ verò ad Orientem Gangis poſita, India extra Gangem diceretur. Regionem omnem ab Occidente Sole Carmania, Aria, Aracoſia, & Bactriana, quæ id temporis ſub Perſarum ſunt imperio, concludunt: ad Orientem ſerico opificio nobiles Seres incolunt: à quibus Bepyrro monte, & vaſtis ſolitudinibus diſcluditur: à Septentrionibus præruptis montium jugis Caucaſus coarctat: atque illis, quaſi muro inacceſſibili, à Scytharum incurſionibus tutatur. Quidquid verò terrarum ad Meridiem jacet, Orientalis Oceanus, ab ipsà Indicus etiam appellatus, interluit. In quem utraque duabus magnis peninſulis irrumpit: quæ ultra Gangem eſt, Aurea Cherſoneſus veteribus dicta, altera, quæ cis Gangem ſita eſt, lingua velut ſeſe exerit

Indiæ deſcriptio, & laudes.

Flumina.

Confinia.

Montes.

Aurea Cherſoneſus ubi ſita.

exerit ab Aſiæ continente: illam hinc Indicus ſinus, illinc Gangeticus alluit: ad extremam cuſpidem, quà Meridiem ſpectat, illi Tapobrane inſula reſpondet. In hac paninſulà cis Adamantem fluvium (ab adamantibus, quibus regio ditiſſima, opinor à veteribus dictum) duo regna ſunt, quæ ſuperiore ævo geminæ erant provinciæ, quibus Indorum imperium finiebatur: quidquid enim terrarum ſupereſt ad Meridiem ſuis regibus paret: rebellantes mox ab rege præfecti, populorum favore, quorum gratiam quà lenitate, quà officiis, quà præmiis aucupati erant, ſe reges dixerunt: & quam perduellione uſurpaverant dignitatem, fortitudine muniverunt: regnantque ad hæc tempora. Nimirum malè parta imperia, & vindicata fortiter, & rectè adminiſtrata in juſtam tranſeunt poſſeſſionem: & mali facinoris notam tempus obliterat. Horum unum ad Orientem Gangeticus ſinus perluit: ab Occidente Adiſathrus, qui inſtar Apennini totam peninſulam medius interſecat, altiſſimis rupibus præcingit: ab arce regià cui Golcondæ nomen, vocitatum; alterum ab Occidente Indicum ſinum habet, ab Oriente verò eodem monte concluditur: à Viſapurà urbe item regià (ut olim apud barbaros, & nunc etiam apud nos fit) nomen ſortitur. In duobus hiſce regnis opulentiſſimæ adamantum fodinæ ſunt. Quæ ad Viſapuranum regem ſpectat, Raolconda incolis dicitur. Eſt autem regiuncula rupibus horrida, ſquallida arenis, aſpera dumis, & ſylvis impervia: nec quidquam eorum gignit, quæ ad hominum victum Natura paravit. Quippè ſatis hic illa dediſſe viſa eſt, cum dederit adamantes, quibus omnia ubeniore cenſu compenſavit. Rupes, etſi tàm duræ, quàm Marpeſiæ, tamen veluti pumices crebris foraminibus patent: quæ quaſi venæ per illarum viſcera obliquæ ſerpunt, arenis oppletæ, quibus immixti latitant adamantes: ita ludente Naturà, ut & occulat prætioſa, & quaſi negligens vilibus immiſceat.

Tapobrane Inſula.

Indorum Imperium in Regna diviſum.

Adamantes ubi reperiantur.

Hic Quinctius: Dic, ſodes, inquit, quonam modo ab illiuſmodi venis extrahunt adamantes? Cui tùm ego: Iſtuc ibam. Ferreis uncis arenam omnem educunt, atque fictilia in vaſa mittunt, mox illam diligentiſſimè ter lavant: & ſi qui permixti ſint adamantes oculatiſſimi veſtigant. Quia verò illi rupium meatus modò ſurſum ſerpunt, modò deorſum, modò per latera obliqui multiplici flexu intricantur; idcirco qui educendis adamantibus dant operam, ferreis, ſcalpis, quibus acies ſcitiſſimè temperata, rupem venarum veſtigia ſecuti, ingenti labore tandiu ſcindunt, quoad arenam omnem eduxerint. Interdum vecte validiſ-

Quomodo Adamantes extrahantur a ſuis venis.

ſimo rupes replicatis ictibus percutiunt; nempè verberibus excuſſæ rupes vel invitæ tandem adamantes evomant, verùm qui hoc modo, vi factà, emittuntur, non tàm nivei, ac puri, quàm reliqui, qui candidiſſimi ſunt: ijdemque mundiſſimi: ſed nævos habent, illis perſimiles, qui nonnunquam viſuntur in glacie, cùm cœperit frangi; diceres irritatas ictibus rupes, abortivam ſobolem procreaſſe: teſtarique adamantes, illis quaſi lacrymulis, dolorem ſuum, fœdatamque maculis faciem oſtentantes, inſanam hominibus exprobrare cupiditatem. Tùm Quinctius: Vera narras: ſic etiam ipſe animum induco, ſed perge reliqua. Tum ego: Faciam quàm citiſſimè potero: jam Sol viciniam illuſtrat, timeo profectò ne cunctando Muſas irritem, nihil nimirum durius, quàm cunctantem diutiùs expectare. Illæ verò quamvis mites, quippè quæ virgines modeſtiſſimæ, tamen ſæpiuſculè iraſcuntur: Tùm Quinctius: Objiciam ego dorſum, ut in me iram omnem exerceant. Cui ego: Objicias licèt, verumtamen in me unum iram evoment, novi oppidò illarum ingenium. At Quinctius: De tuis iſtis Muſis tu videris, ſi ſic ſunt, ego de prandio potiùs ſum ſollicitus; de illo enim nihil Fabiolo mandaſti priuſquàm in hortum deſcenderes. Cui ego: Curam iſtam deponito; pro primo ferculo ficedulas duodeviginti pinguiſſimas, quas heri mihi dono miſit Veſpolus, qui cum mihi ſumma familiaritas intercedit: quia verò depilatæ, aſſare nullius eſt negotii: habemus elixam bubulam cum pulte oleraceà è braſſicarum cymis tenerioribus: habemus pro ultimo ferculo panem carne vitulinà mixtum, quid amplius expetas? Et ille: nihil eſt rerum omnium, quod malim. Capo[illegible]em, perdices, liba dulcia, boletos, tuberes, nihil moror; quocirca, contende, quod inſtituiſti, res mihi cadit quàm jucundiſſima.

Golcondano in Regno Adamantum Fodina ditiſſima.

Tum ego: Golcondano in regno altera eſt adamantum fodina, *Ganira* barbari dicunt, diſtat ab urbe Golcondà iter ſex dierum. Eſt autem æqua planities, quæ inter amnem, & montem jacet, & IV. millia paſſuum patet: ad amnem ſedet oppidum ut populis frequens, ità cultu inelegans, ut ferè omnia illius regionis loca ſunt: multiplici mons jugo, dimidii arcus ſpeciem præſefert: præruptis interciſus ſcopulis horret, nuduſque arboribus ſquallet: ager etſi tenuis, induſtrià tamen incolarum excultus fert millium, quod ibi eſt nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo: quo gens illa victitat, nec quidquam ſuavius habet pulte milliaceà. Hoc in agro, terrà ligonibus effoſsà, adamantes reperiuntur: & eò majores, quò proprius montem

tem acceſſeris : mons ipſe nullos gignit . Hanc adamanti fodinam proximè elapſo ſæculo fortuitò inventam perhibent hoc modo. Arator quidam dum terram verſaret, ut millium ſereret, lapillum quendam candicantem animadvertit, quem cum cœpiſſet, & quid eſſet ignoraret, in urbem detulit de eo ſciſcitaturus. Hic fortè fortunà in Mercatorem gemmarium offendit, qui cum adamantem cognoviſſet, & quidem maximum quotquot unquam viderat (pendebat enim ſeſquidragmam) atque exaluminariſſimum, Ubi gentium, inquit, tàm pretioſum adamantem reperiſti? Ruri meo, inquit, agricola: atque in hunc modum, cùm innotuiſſet ager, cœptum eſt educi ex illo adamantes. Eſt autem iſthæc fodina quàm ditiſſima : quippè quæ plures, & grandiuſculas gemmas progignat; etsi non omnes probi coloris, nec immunes à maculis: imò, quod mirum oppidò eſt, eodem colore inficiuntur, quo terra, ex qua eruuntur : erenim cum ità campus ſit, ut variis in locis varios colores tellus induat ; eodem prorſus modo variant adamantes: nempè germana ſoboles ſuorum parentum præ ſe lineamenta gerunt: hinc qui è paludoſa nigricant, qui è rubra purpuraſcunt, vireſcunt è viridi, luteoli verò veniunt è lutea: ſunt item nodoſi, & ſi ſecueris, obeſi: quocirca opus eſt, ut illos lino mundiſſimo detergas identidem. Verùm qua vel arte, vel induſtrià è terrà educantur, quamvis benè longa res ſit, dicam tamen perpaucis: jam enim die multum eſt : meque Muſæ præſtolantur: & tardo amico nihil eſt quicquam iniquius. Tum Quinctius: Imò multis: túus enim ſermo me mirificè delectat. Cui ego: Bona verba; ſed Muſas timeo, præterea neminem. Et ille: Ut video, præ illis neminem putas. Tùm ego: Ità prorsùs: verùm tu moras innectis dolo malo. Et ille : Nihil minus. Cui ego: da igitur mihi vacuas aures, dum reliqua efficere contendam. Ille verò: Perge porrò: hic maneo. Tùm ego. In fodinam conveniunt hominum ferme LX. millia, partim viri, partim mulieres, partim etiam pueri: ut vel hi à teneris annis labori aſſueſcant: ubi verò convenerunt benè mane, locum primò captant æquiorem, & perquàm amplum : quem ad inſtar arcæ complanant, quadratoque muro duos pedes alto præcingunt : inque illius imo veſtigio ad ſingulos quoſque pedes foramina faciunt, quibus aqua, cum opus fuerit, diffluat ab areà: ne verò prius, quàm neceſſe ſit, dilabatur, aggeſtà terrà opplent. Poſtquàm confecta eſt arca, in illam convenit gens univerſa: mox fundi Dominus Larem ſuum, edito in loco, ut ab omnibus ſpectari poſſit, religiosè collocat, quem cuncti

Quomodo ex hac Fodinà educantur, & qua ſuperſtitione.

more

more patrio adorant: ter nimirùm in os proni corruunt: dùm intereà Brachmanes, qui apud Indos ſacra curant, preces fundunt ritu perquàm vetuſtiſſimo. Quibus abſolutis, glutino ex croco, gummique ſubacto ſingulorum frontes iidem ſignant: ſiguntque octo oryzæ grana, neſcio ob quam perridiculam religionem. Deindè ſe ſinguli lavant (nudi enim præter pudenda operi incumbunt, ne fortè haberent, ubi adamantes occulerent) aquà, quam quiſque ſibi bajulat in vaſe: ſi ſecus piaculare: nefas enim ducunt in ſacris peragendis alterius uti miniſterio. Sacris procuratis hoc modo (laudabiles ſanè præ aliis hàc parte, quippè qui ab ab Jove opus auſpicantur) ſedent humi incurvis cruribus pro more gentis pranſuri: nunquam enim Indi opus quodcumque aggrediuntur impranſi. Ut ſederunt, illicò Brachmanes ſingulis ſcutellam oryzæ ſubminiſtrant: ſcutellæ non fictiles, neque ligneæ, ſed ex frondibus] arboris cujuſdam nuci juglandi perquàm ſimillime, mirum in modum contextæ, poſteà verò in æream ſcutellam quatuor butyri uncias, & tantillum mellis arundinacei immittunt: hiſce duobus ferculis prandio perquàm frugali abſoluto, læti, atque alacres aſſurgunt: & tùm denique operi manus admovent. Viri terram ligonibus excavant, pueri ciſtis vectant in aream: mulieres acceptis ciſtis terram expediunt, ſternuntque in arca. Et hunc in modum tandiu ſolum fodiunt, quoad infra pedes XIV, in aquam offendant: tùm tandem ceſſant ab opere: cæteroquin in aquam ſementem jacerent: nulli enim in aquà generantur adamantes. Ad alteram igitur inſtituti operis partem contendunt: omnes collatà operà, è foveà, ex qua humum eduxerunt, urnis aquam hauriunt, feruntque in aream, effoſſamque ſuper humum ſpargunt. Ut jam benè madefacta, ad duos, vel tres dies relinquunt, ut quàm molliſſima fiat, ubi verò tam mollis facta eſt, quàm intrita farinacea, muri foramina aperiunt, ut aqua diffluat. Exin urnis iterum novam aquam infundunt, quoad lutum omne unà cum aquà egeratur: & arena tantum denſior reſtet in areà. Illam verò, ut Sol ibi æſtuoſiſſimus ſiccavit, caniſtris vimineis, qui vice vannorum noſtratium apud illos ſunt, arenam illam expurgant: deindè excretam raſtello quatridente ita extendunt, ut ſit quàm maximè complanata: pilo mox ligneo illam diſterunt, ter ex uno in alterùm latus obambulantes: pinſa cùm eſt, iterum vannis illiuſmodi excernunt, extenduntque iterum: tùm demum omnes conſidunt, & ſolertiſſimè adamantes perquirunt: uſqueadeò pretioſa quæque ſummo vel labore, vel induſtrià comparantur.

Hoc

Hoc loco me Quinctius interpellat ; Eſtne tellus alia ; quæ procreet hujuſcemodi gemmas? Cui ego : Maximè : & in eàdem Indià, quæ una præcæteris id à naturà conſecuta eſt. Non procul à Gange ad Meridiem altiſſimi montes conſurgunt, è quibus quidam amnis exoritur, quem incolæ *Govelum* indigitant, qui poſt emenſa multa paſſuum millia, in Gangem ſe exonerat : ad hujus ripas in arenà latitant adamantes, qui etſi haud quaquam grandiuſculi concreſcant, tamen tam puri candicant, ut nihil ſupra. Præterea in inſula, quam *Bernæum* barbari dicunt (mihi eſt maxima Sinarum) ad *Sacadanum* amnem adamantes procreantur; qui & ipſi mundiſſimi candicant, & ferè omnes exaluminati. Hæc cùm dicerem, nihil propiùs factum eſt, ut Quinctius mergeretur: dum enim converteret ſeſe, ut prætereuntem lævà lembum proſpiceret, lubrico in ſcopulo, fallente veſtigio, in undas prolapſus eſt. Et niſi ego arrepto derepentè brachio tenuiſſem, utique demerſus fuiſſet. Verumtamen cum eum non ſatis ſuſtinerem, factum eſt, ut humero tenus totus benè madefieret; tandem conniſus manibus emerſit in ſcopulum. Ego cum illum undique rorantem viderem, me à riſu continere, & ſi vellem, non quivi : verſuſque Virgilii de Menœte recitavi,

An alibi reperiantur Adamantes?

In Bornæo Adamantes.

Illum & labentem Teucri, & riſere natantem,
Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.

At Quinctius id ægro animo ferens : Adeone, inquit, tibi gravis mea calamitas, ut rideas? Tum ego : Id ſuperi prohibeant : imò diſplicuit, & vicem tuam quàm maximè doleo, ſed quid facias? ſic eſt ingenium hominum, ut ad inopinam rem, & perridiculam ſuaptè naturà rideant. At tibi iſtuc infortunium Muſæ comprecatæ ſunt : idcircò cape ſis virtutem animo, atque deſidiam tolle; ità Muſas tibi amicas reddes. Et ille iracundulus : Malè, inquit, tibi ſit, & tuis iſtis Muſis : ſi tàm citò pœnas petunt, quàm facilè iraſcantur. Cui ego : Sed cavendum erat, ne iraſcerentur, quod ego, & præmonui ſæpè, & inculcavi, nunc verò quæ acciderunt æquo animo ferenda ſunt : nam, ut ſcitè Comicus; æquus animus optimum ærumnæ condimentum. Ille verò : An tu iſtuc machinatus ſis, nolo affirmare, fuiſti in cauſsà quidem certè : neutiquam enim in ſcopuli acie conſedendum erat, non meminiſti illud poëtæ tui?

Parcite oves nimium procedere : non benè ripæ
Creditur : ipſe aries etiam nunc vellera ſiccat.

Cui tùm ego : Eruditè tu quidem : verùm ego, quaſi divinaſſem, te præmonui; nec putabam te adeò curioſum, & incautum : ſi ſic eſt tibi ingenium, cavebimus in poſterum;

& il-

& ille: Serò ſapiemus, ut Phryges, ſed eamus tandem, ut me ad ignem exiccem.

CAPUT VI.

Inſignis roſæ deſcriptio Græci auctoris Latinè reddita: mox quæſitum quid eſſent Adamantos, in quantam molem excreſcerent: quique hactenus majores inventi.

CUm diurnum Sacerdotum penſum; quod ni peragas, piaculare eſt, confeciſſem; Virginique laudes recitaſſem, ac precarium ſertum, ut religioſis hominibus mos eſt quàm maximè laudabilis, cingulo ſuſpendiſſem, ad hypethræ veſtibulum conſedi, ut ibi aliquid laxamenti aucuparer: vix dum ſedi, cum en tibi Quintius præter morem cum libello, quem ut vidi; Quid tibi, inquam, cum libris? an te vitæ tædium cæpit, ut quàm citiſſimè velis conſeneſcere? Et ille: Itane me ſcommate excipis? gaudeo quod tandem tu etiam jocaris, atque animo obſequeris. Cui ego: Næ ipſe tetricus, qui caream ſale. Sed age. ſedeto hic mecum ad umbram, nam ſolito mollior zephyrus aſpirat. Ille vero: Ad id veni, ſtatimque conſedit. Poſtea verò quàm ſedit, rogo quis ille auctor eſſet, quem præ manibus habebat. Et ille: Græcus, quem tu laudare ſolitus. Cui tùm ego: Intelligo; lectita igitur: teneor enim ſtylo illo quàm delicatiſſimo: cum verò librum aperuiſſet, oblatus eſt hic locus, tam mollis, & elegans, quàm qui maximè. Ει Εἰ τοῖς
Roſę deſcriptio ex Gręco. ἄνθεσιν ὁ Ζεῦς ἤθελε ἐπιθὰναι Βασιλέα, τὸ ῥόδον ἂν τῶν ἀνθέων ἐβασίλευσεν. γῆς ἐςὶ κόσμος, φυτῶν αγλὸϊσμα, ὀφθαλμός ἀνθέων. λημῶνος ἔρηθημα, καλλὸς ἄςραπτον, ἐρωτος πνέει, Α᾿φροδίτην προσξενὲι, ἐυώδεσι φύλλοις κομᾶ, Ζεφύρῳ γελᾶ Ut legit. Quid ſi, inquam ego, hunc locum Latinè factum, & quidem ligatum numeris recitarem? Ille vero: Amabo, recita illicò; id mihi erit perquam gratiſſimum. Cui ego. Accipe, ut olim, hunc ipſum auctorem dum lectitarem, Latinè reddidi perpauculis verſiculis: & quidem ſubito calore, ut ſcis me ſolere. nihilque cunctatus, verſus recitavi.

In latinum verſa, & numeris alligata.

Veris odoratæ ſi regem imponere turbæ
Divorum vellet Juppiter arbitrio:
Floribus è cunctis, divis plaudentibus, una
Hoc roſa, non alius, culmine digna foret.
Illa etenim pulchra viret intercincta corona:
Et verſat manibus gemmea ſceptra ſuis.

Pur-

Purpureo ſimul illæ ſuo veſtitur ab oſtro:
Atque ſatellitio cingitur illa ſuo.
Egregium decus illa ſoli vernantis, & horti
Riſus, honor campi, purpureuſque vigor
Auroræ ſoboles pulcherrima, Solis ocellus:
Deliciæ cœli, dulcis amor Zephyri.
Plantarum lux alma, rubor nitidiſſimus, & flos
Formoſus florum, gloria, divitiæ.
Illecebris capit illa animos, delectat odore:
Fronde nitens oculos verſicolore ligat.
Illa etiam tenerum teneris inſpirat amorem
Senſibus, & nexu pectora conciliat:
Dum crines Zephyris præflantibus explicat, & dum
Garrula purpureis verba facit labiis.

Ut recitavi, Beaſti me, inquit Quinctius, carmine tàm delicato: amabo poſthac magis, magiſque roſam. Cui ego: Bona verba, quæſo. Ille vero: Nihil minus: adulari meum non eſt: neque tu is es, qui laude meà indigeas. Verùm age transferamus nunc animum ſis ad ſermonem matutinum; aveo enim ſcire quid ſint adamantes, & in quantam molem excreſcant: res enim digna ſanè ſcitu eſt. Cui ego: Faciam libenter, ſed deſcendamus prius ad undas: habeo quippè in deliciis mare, inveniemus fortaſsè mullum aliquem, vel cephalum pro cænulà; nam præter acetariolum ex lactucà ſeſſili, & rapunculo nihil admodum eſt, quod vobis ſubminiſtrem. Tùm Quinctius: Oro, atque obſecro te, mi Parthenie, ne velis hodie ire ad undas, quippè mihi malè auſpicata iſthæc dies eſt, vereor, ut opus ſit me iterùm ſiccare ad ignem. At ego. Fruſtrà tibi periculum fingis: pelle timorem iſtum, non ſemper idem paratur infortunium: cum lapſus fueris, facilè eſt cavere in poſterum: ſiquidem è lapſu cautior fit animus, & malo facilè eruditur. Age, movere ocyùs, eamus tandem. Et ille: Ne, quæſo, me urgeas, nam rem actam ages: adeò mihi certum eſt, hodie longè abeſſe à mari. Cui ego: Nolo te ægrimonià afficere: verumtamen ſedeamus in calopſide ad proſpectum maris: ni hoc quaſi baſiliſcum, quem viſu, ajunt, necare homines, perhorreſcis. Ille verò: Æquiſſimum oras: veniam haud gravatè, non enim ſic ſum, ut quaſi baſiliſcum mare pertimeſcam. Nihil igitur morati, in hortum deſcendimus, cùmque per Xyſtum tranſiſſemus, in calopſidem tandem venimus: in quam vix perventum eſt, cùm piſcatoriam cymbulam aſpicio: erat in eà piſcator quidam jaculator mihi benè notus, qui fuſcinà, quam mirà arte jaciebat, piſces venabatur: quare ad Quintium; Rogitemus, ſi

 quid

quid piſcium habet. At Quinctius: Quid opus eſt piſcium? Ego verò: Si pauxillum potes contentus eſſe, non opus eſt piſcium. Tum ille: Næ, perpauxillum modò, quinimò ad valetudinem tuendam confert quamplurimùm, ſi interdum incœnatus cubitum eas; nimirum ſi quæ ſunt incoctæ ciborum reliquiæ, ſtomachus concoquat: quare, quod quæſivi apponito; me iſthæc Platonica cœna melius recreabit: Cui ego: Si ſic animum induxiſti tuum, morem geram: imò mihi gaudeo, tibi verò gratulor iſtuc ſciendi deſiderium, fies vel tu Muſarum ſtudioſior; quas quidem te deſpicatui ducere, nequeo ſanè concoquere. Tum ille: Nempè tanti eſt cum eruditis verſari: velis, nolis illos imiteris, opus eſt. Cui ego: Auſculta modò: Ille verò: Perge porrò: tibi dabo vacuas aures. At quoniam duriuſculè iſthæc ſubſellia, & ab Sole benè calida, curabo, ſi jubes, ut colonus binas hùc ſediculas afferat, & illas è palea contextas: quippè molliores. Cui ego gratiſſimum mihi facies: ſint verò humiles, ut commodè ſedeamus: altiores odi quàm maximè, quibus incommodè ſeſſitamus quotquot brevi ſtaturà ſumus, cum verò ſediculas agricula attuliſſet, ego in ultimà ſedere volebam; ſed vetare adniſus eſt Quinctius, ſine, inquiens; faciam quod decet: ego enim imi ſubſellii vir ſum, quippè inferior tùm ætate, tùm dignitate. Ego illi: actum agis: jam ſedi. Age ſis de quæſito nunc videamus. Et ſanè quid ſint Adamantes certò definire perdifficilè: nam ſi rupium nodos dixeris ipſis cum rupibus generatos: cur non rupes omnes hujuſcemodi nodos habent? cur non affixi rupibus? cur etiam in agris ſunt, atque in arena? ſi verò nobiliores terræ particulas ſtatuas, ut eſt marmor, ut ſunt reliqui lapides pretioſi: cur perlucidum eſt? cur ad aqueam naturam magis accedit, quam lapidis? Hoc loco Quinctius ſic mihi occurrit: At montana cryſtallus perlucida eſt, & aquæ ſpeciem præ ſe fert: & nobilior licèt, nihilominus terra eſt. Cui ego: Iſtuc tibi minimè concedam: imò verò concretum eſſe humorem pro comperto mihi eſt: atque hinc ejusdem naturæ adamantes eſſe non ſine probabili conjecturà conficio. Etenim ſi in concharum gremio humor in uniones concreſcit: ſi in capite complurium tùm avium, tùm piſcium ex condenſo humore lapides fiunt: ſi in nobiſmetipſis ex aquà, maximo noſtro malo, lapides generantur, & quidem duriſſimi: quî fiet, ut non etiam in rupium viſceribus idem humor in adamantes denſatus evadat? Præterea ſi corallium aqueus frutex eſt concretus; cur non item adamantes ex humore conſtipato fieri concedamus? Hic Quinctius. Aſſentior prorſus; neque habeo,

Quid ſint Adamantes, quæritur.

An Rupium nodi.

quò

quò huic rationi occurram . Cui ego : Verùm alia ſunt , quæ dictis fidem adjungunt . Et ille : Perge ad ea . Tùm ego : Nunc id operam do . Adamantes , ut alias dixi : & te meminiſſe facilè credo , pro terrarum colore , in quibus reperiuntur , colorem variant . Et ille : Nimirum memini : ſed quid hinc conficis ? Cui ego : Ex earundem humore coagulari , ac concreſcere . Etenim ſi ità ex illis colorem ducunt, ut è livente liveſcant, è rubrà ſubrubeant , atque è viridi vireſcant, jam illarum ſoboles ſunt , cujus præ ſe imaginem gerunt. Quinimò ſi inſtar glaciei nævos induunt, ejuſdem certè naturæ erunt. Tùm Quinctius : Do tibi & iſtuc . Verùm unum eſt , quod mihi ſcrupulum injicit ; quem velim evellas, ſi concretus humor eſt Adamas , cur adeò durus , ut ſcindi nequeat ? quare factum adagium, Adamantinus : quod in rigidos , atque inexorabiles jactari ſolet. Cui tùm ego : Quid mirum ! quot enim ſunt lapides ex humore concreti, qui rigent duriſſimi ? nempè minus aëris, & terræ minus habent , atque ob id duriores , ut adamantes , Tùm Quinctius : Teneo iſthæc : de magnitudine nunc videamus . Cui ego : Faciam illicò . Quia verò ex majoribus hactenus inventis, deduci facilè poteſt in quantam molem proveniant , duos recenſeam omnium maximos. Primus eſt in Aſià penès Magnum Indorum regem , quo ille uno multarum inſtar gemmarum coronam inſignit . Hic verò ſeptem, & decem drachmas cum dimidià pendet : eſt autem quà viſu , quà figura pulcherrimus, niſi quòd nævo notetur, quo ſi vacaret, nihil illo aut pulchrius , aut pretioſius eſſet . Tùm Quinctius : Dic , quæſo, quanti extimatur ? Cui ego : Quadragies centena millia centuſſibus . Alter eſt in Europà apud Magnum Ducem Etruriæ, qui pendet drachmas novem : figurà eſt multangulus, immuniſque à nævo : attamen color nonnihil viridaſcit : extimatur decies centena millia. Cùm verò his majores hactenus neutiquam inventi ſint , colligi benè poteſt , haud facilè majorem in molem concreſcere. Hæc cum dixiſſem , Lucilius ſupervenit, cœpimuſque deambulare per Xyſtum.

An ex humore concreſcant.

Vnde in illis durities.

Adamantis magnitudo, qui penes M. Indorum Regem.

Et M. Etruriæ Ducem.

CAPUT VII.

Antigenis adventus in Surrentinum narratur: cujus gratia carmen de equorum delectu, atque exercitatione equeſtri cujuſdam nobilis adoleſcentis Parmenſis Seminarii recitatur, mox quæſitum cur equi dum anteriora crura ſurrigunt, quàm facilè eo ſitu conſiſtant.

QUodam manè circiter Idus Octobris ſedebam ſub teſtudineato fornice hortuli noſtri, atque identidem contemplabar amœniſſimum quaquàverſus proſpectum, ut neſcio quam animi ægritudinem, qua ſolito plus afficiebar, illà mentis vagatione decoquerem: minùs enim curæ præmunt, mordentque minùs ſi ab illis aliò animum avertas: tantus autem erat tùm animi mœror, tùm corporis laſſitudo, ut meritò vererer ne me morbus invaderet: inciderat enim mihi in mentem illud Hippocratis, κόποι αὐτόματοι φράζουσι νόσους: nimirùm ſpontaneæ laſſitudines morbos prænunciant: id verò ſive ſolitudinis tædio, ſive hypocondricà lue ceciderat, animi ſum dubius: dum ita mentem ab ægritudine avertebam, phaſelum rectà ad me venientem animadverto: quo conſpecto, cœpi illicò evolvere quis eſſet, quem ille adveheret: nullus enim me de ſuo adventu certiorem fecerat: nec facilè erat hominem perpaucorum hominum convenire: quia verò luſcioſus ſum oculis, ut remota vix videam, viſorium tubulum, quem ad hunc uſum geſtare mihi mos eſt, è marſupio educo, explico, interſtitiis ſuis apto, oculoque admoveo: vix admovi, cùm Antigenem, virum de re literaria optimè meritum, quaſi per nebulas mihi videor videre: mox ut propiùs acceſſit, illum ipſum eſſe manifeſtè conſpicio: quocirca in ſcopulum derepentè convolo, in amplexum amiciſſimi viri ruiturus. Nec ſanè diù in ſcopuli crepidine ſubſtiti, hominem opperiens: etenim curſu quàm velociſſimo acta phaſelus pervolabat: nempè in remigando nautæ acriter connitebantur: Ille ut tandem exilivit, me benevolentiſſimè complectens, Salve, inquit, vir ornatiſſime, Muſarumque delicium, Cui ego: ſalve amicorum optime, ſalve vir oculiſſime, noſtræq; urbis decus quàmmaximum: ſimulq; hominem rogo, rectène valeret? Et ille: Belliſſimè. Cui tùm ego: Voluptatem mihi nuncias. Ego, ſi rogas, optimà hucuſque uſus ſum corporis valetudine, ut antè hac melius nunquam: verumtamen non multis ab hinc diebus

Spontaneæ Laſſitudines morbos prænunciãt.

bus inſolens invaſit animum ægritudo, quam modò mecum ipſe decoquebam: nam nemo unus hic loci amicus eſt, è cujus conſortio levamen aliquod eſſe poſſit, & qui cum curas partiaris. Tùm ille: Rem mihi ſanè quàm acerbam narras. At bono ſis animo: in tempore venio, ut in me, quem ſcis tui amantiſſimum, curas omnes deponas, atque unà ſaltem dieculà ſubleveris, cui tùm ego: Hui! tàm brevi tempore apud me manſurus es? Ille verò: Ultra negotia, quibus præpedior, non ſinunt: neque enim patrem familias decet domo ſua diutiùs abeſſe, tot mihi in foro tricæ, tot domi curæ, ut vacui temporis nihil habeam, vixque, mihi crede, dieculam iſtam ſuffurari potui. Nec ſanè veniſſem, niſi diutinum tui deſiderium me torqueret: quàm maximè enim geſtiebam te videre: avebamque tibi præſens præſenti ſalutem dicere: per literas feceram ſæpiuſculè, ſcis enim nihil mihi antiquius fuiſſe amicitià noſtrà. Cui ego; Jntelligo ſanè: perque illam te rogo, atque obſecro, ut ſaltem cras etiam manere apud me velis: locus ut ipſemet inſpicies, eſt maximè genialis, & à turbà, atque interventoribus vacuus omninò; ut quiete, quam tibi vel maximè cordi eſſe ſcio, frui commodiſſimè liceat: nec, quæſo, patere ut ephimera ſit mea voluptas. Et ille: Obſequi tibi in hac re neutiquam poſſum; ſiquidem die crastinà cum viro quodam graviſſimo colloqui conſtitui, qui ex longo me conventum expetiit. Hæc dum colloqueremur, aſcenſu, & longulo, & acclivi ſuperato, in calopſidem venimus: ex qua Antigenes jucundiſſimum proſpectum contemplatus: Quidni, inquit, ſedeamus hic parumper, ut liberiori cœlo, proſpectuque iſto perquàm pulchro perfruamur? Cui ego; Fac, ut tibi lubet: Cum verò lævum mihi latus claudere vellet, minimè paſſus ſum, ſed ſiniſter ſedi.

Poſteà verò quàm conſedimus, Quid novi ex urbe apportaret? rogito. Et ille: Nihil admodum habeo præter ea, quæ in tonſtrinis, ac triviis jactantur: quæ quidem Siculis gerris vaniora, ac mera mendacia ſunt, quorum ad te totos modios, imò navem afferre potuiſſem. Verùm, ageſis, quid tu in hac ſolitudine, ac tanto tempore? Bellicis, opinor, faſtigium impoſuiſti, fac quæſo, quamprimùm in lucem edas: expectantur enim ſummo ſtudio, prætereà velim ut de reditu maturè cogites, vix jam amici diuturnum tui deſiderium ferunt: neque fas eſt tibi à conſpectu maximè amicorum diutiùs abeſſe. Cui tùm ego: Fruor hic eo otio, quod ſcis mihi laborioſiſſimum eſſe: & quo mihi ætas per tacitum fluit. λανθάνω βιώσας, ut Græci dicunt. Sic nulli noceo, nullum contriſto, dumque aliorum oculos effugio, offen-

offenſionem vito: ſic enim ſunt tempora, ut latere plurimùm conducat. Bellica eo ſtatu ſunt, ut cum illis brevi mihi pax futura ſit: per te tamen intelligis; Sat citò, qui ſat benè: & ſanè vereor, ut expectationem fallant, inque illis eruditi Authorem quærant. Cæterùm de reditu jam cogito; Etſi haud libenter: mirùm quantum me urbis tædium cœpit, imò & rerum omnium humanarum: nam plauſus, honores, commoda, & ſi quæ ſunt alia, nihil moror, mihi crede, ſecundum te nihil mihi eſt amicius ſolitudine, quæ una mihi animi tranquillitatem parit; & partam fovet. Et ille: Credo equidem; in te enim ſimulatio non cadit, quem ſemper apertiſſimum intellexi. Tùm ego; Sed tandem eamus domum, nam, ut vides, altior hora eſt. Eamus, tùm ille, ſtatimque per Xyſtum perpauculis paſſibus illum domum deduxi: In quam vix ingreſſus, me curioſè rogat, quodnam meum eſſet cubiculum? Cui ego; poſtremum ſiniſtræ ambulationis indicans; Hem, inquam, illic habito. Ille verò cum ad illud ipſum perveniſſet; Hoc, inquit, Muſarum illud ſacrarium, hoc Aſylum illud pacatiſſimi otii ſequeſtrum, hoc Elyſium tuum, complector ſacrum limen, veneror Muſarum omnium chorum, præſidemque ipſarum Apollinem. Vellam hic, Parthenie, bonà tuà venià, pro foribus dextrà Parnaſſum cum Pegaſo, aquam ungula eliciente appingi, lævà Pindum, ac Tempe, madiumque interfluentem Peneum, ad cujus viridiſſimas ripas canentes Muſas, ſaltantes Gratias, Apollinem verò pulſantem lyram graphicè interpingi, hac cum epigraphe,

Antigenis amiciſſimi Inſcriptio pro foribus Cubiculi Auctoris.

Hic Muſis locus ille, & Phœbo cognitus, ex quo
Artem Piſcator, Navita, Miles habet.

Cui tùm ego: Bona verba! tantum non inſanum me dicerent, quibus de plauſtro loqui mos eſt, ſi id facerem. Ille verò: Imò factum laudabunt, cui enim non cognita, perſpectaque eſt tua modeſtia? At ego: Benevolè tu quidem, ſed aliis idem videbitur ſecùs; atque ob id totum genuinum in me frangerent, ſtatimque cubiculum ingreſſi ſumus. quod ſimul ac contemplatus eſt, Quàm bellus, inquit, locus iſtic, quàm accodomus ad ſcribendum! quàm genialis! hìc ad menſulam ſedens lævà feneſtram habes, quæ vergit ad Occidentem, ex illa Surrentum, & amœniſſimi colles, quibus urbs præcingitur, in obtutum cadunt: dextrà fores reſpondent, rectà in ſubdialem ambulationem patentes: ex illis tibi Oriens conſpicuus, & Surrenti campeſtria, objectique ſunt colles Vici Æquenſis, contrà, alterà patet feneſtrà ad Septentriones, ex qua mare viſitur, & noſtrà Neapolis. nihil ſanè æſtate alſius, nihil amœnius eſſe poteſt: ex om-

Surrentina amœnitas.

nibus

nibus enim angulis & proſpectus habet, & Zephyros excipit, quinimò quaquà oculos circumferas, viridantes tibi arbores occurrunt, qui virore ſuo & pulchro, & vario, hebetem præ labore tùm oculorum, tùm mentis aciem exacuant, vigoremque animis ſubminiſtrent, ipſæ etiam argutæ frondes, dum Zephyris animantur, ſibilo ſuo, quaſi ad numerum accomodato, te ad canendum invitant, ſi meo genio vivendum eſſet, præ hoc eligerem neminem. Jam tandem intelligo quid in cauſsà ſit, cur tantum te Surrentinum otium delectet, & cur tàm libenter te hùc venientem univerſus Muſarum chorus comitatur. Poſteà verò in menſulam oculos conjecit, cumque in ſcripta incidiſſet, Bellica, inquit, certè ſunt. Cui ego: Rectè conjectas. Tùm ille: Fac, quæſo, ut recites: etenim cupidiſſimus ſum carminum illorum, Ego verò; Imò rogo, ut lubeat audire: nempè ut ſi quæ minus placent, iterùm perpoliam; ut enim benè intelligis, plurimi facio judicium tuum, quippè hominis aperti, & eruditi. Locus autem hic, quem nuper abſolvi, mihi videtur non malus, eſt autem de equorum delectu, atque equeſtri exercitatione cujuſdam adoleſcentis lætæ indolis, ingeniique perquàm rari, in quem incidi in Seminario Parmenſi, cum Italiam peragrarem. Tùm Antigenes: Iſtuc maximè deſidero. Accepi enim à Galvæo tibi, mihique amiciſſimo, illius loci juvenes, quos modeſtiſſimos æquè, ac diligentiſſimos prædicabat, tuis operibus quàm maximè addictos eſſe. Cui ego; Fateor equidem me Nobilibus illis quamplurimùm debere, qui adeò me amant, ut attritus illic penè ſim, verùm auſculta modò. ille verò: Hic ſtò. Ipſe, ut carmen erat, hunc in modum recito.

Seminarii Parmenſis laudes.

Ergo ſuis ubi cinctus eques ſplendeſcit in armis,
Inſequitur labor alter, equum legiſſe ferocem:
Multaque delectu in tali tibi cura adhibenda eſt.
Nam ſi bellacem, facilemque ad fræna, pedeſque
Pernicem ſortitus equum pugnator equeſtris,
Promptus & ipſe Ducis mandata capeſſet, & omnem
Ire viam poterit, verſusque, & ſigna tenere,
Acer & in Martem aſſurget, pugnamque ciebit.
Idcircò primùm ſtudio conabere multo
Quærere equum inſignem, factumque ad munera Martis:
Sed quibus indiciis talem dignoſcere poſſis,
Accipe, non multis properans ad cætera, dicam.
Sit tibi procerus ſonipes, & corpore magno
Seſe verſet, agens: pulchroque ornetur amictu:
Eſt etenim certum ſpecies externa repoſti

De equorum delectu.

Egregii equi Indicia.

Argu-

Aurea cæſaries non ſeſe pendula collum
Per niveum laxabat : erat ſed tortile flexu ;
Inque modum plectæ circùm religata rubenti
Tænia, ut illius lex eſt ſanctiſſima cœtus
Sed ſpecies neglectus erat non ultima . celſum
Fibrina caput ornabat de pelle galerus .
Serica quem circùm argentoque, auroque retexta
Vitta incingebat, flocco prædivite fulgens.
Sed quàm pulcher erat juvenis, tàm rara modeſti
Oris erat ſpecies, & gratia amica pudoris.
Idcircò Muſis, & Phœbo gratior alter
Non illo inſignes inter degebat alumnos:
Eſſent & multi quamquam, & florentibus annis,
Indoleque, ſpecieque, & Palladis arte decori.
Quin & Martis amor, laudiſque immenſa cupido
Olli erat: ingenteſque animo res præcoce partu
Edere jam puer affectabat, ut inclyta facta
Majorum cumulare novis per Martia poſſet
Prælia, perque ſuâ palmas virtute relatas.
Illum, inquam, memini ſtadio vidiſſe decoro
Exercentem equitem inſignem.

Hic Antigenes ſic interpellat : Scitè tu quidem equitem, poſuiſti pro equo : mos enim veteribus Latinis fuit, ut equum habentem ſeſſorem equitem etiam appellarent : ut eruditè notat Gellius, quem te lectitaſſe non dubito. Cui ego: Rectè conjectas, atque iſtuc à te meæ aures expectabant; ſed pergam, ut cœpi. Et ille: Imò rogo, ut facias: ſic igitur filum retexo:

cui villus ab albo
In fuſcum vergebat, eratque interlitus atris
Hàc, illàc maculis, altâ & cervice ſuperbus:
Atque jubis ibat magnis, & pectore lato,
Ipſe ſedens habilis, medioque immotus ephippio
Attalico è filo intertexto, auroque coruſco,
Et geminâ inſiſtens erectus ſtapede, luſum
Sic, totâ juvenum circumſpectante coronâ,
Incœptat: Virgæ ſonitu nunc mollior urgens
Cornipedem binis agitat decurſibus: & nunc
Circuitu verſat longo, totumque per orbem,
Per calcata ferens veſtigia: nec magis unguem
Seu latum dexrâ deflectens, ſive ſiniſtrâ
Pernici torquet curſu, mirabile viſu.
Nunc gyri medium ſimul ac perfecit, anhelum
Ilicet inflectit ſua per veſtigia retro.
Nunc redit, alternâque fugâ curritque, recurritque,

Et

Et labirynthæos depingit in æquore flexus;
Et premit intereà calcaribus, & citat alta
Irritans voce, & laxis dat currere habenis:
Mox inhibet curſum, & multo ſudore fluentem
Siſtit, agens lævà frænos citus illicet ad ſe,
Scilicèt exhauſtus curſu revocetur ut acri
Spiritus, & docto diſcat parere Magiſtro:
Utque è veſtigio ſueſcat ſubſiſtere curſu
Nec tanto indignus ſonipes ſeſſore, repentè
In tergùm incubuit, ſtetit ilicet, & tenuit ſe;
Hinc ubi tantiſper requie inſtauratus amicà
Spiritus eſt, molliſque abſceſſit corporè ſudor:
Et demulſit equum juvenis poppiſmate, luſum
Rurſus init, ſimul hæc: Noſtræ quicumque juventæ
Hi luſus fuerint, noſtri quæ gratia cœtus
Partheniis grati Muſis, Vatique dicamus
Parthenio, noſtras qui nunc inviſere ſedes,
Luſibus & noſtræ dignatus adeſſe palæſtræ.
Contrahit hinc frænos, & ſignum flexile virgà
Cornipedi facit, atque in ludum invitat equeſtrem.
Tunc ille edoctus nutum, quemcumque dediſſet
Inſidens dorſo puer, exaudire, repentè
Anteriora jugo ſubſtollens crura ſub uno
Porrigit in ſublime, hæretque immotus: & indè
Deprimit, ut juveni viſum eſt, rurſumque ſub auras
Surrigit illa tenens incurva, & pendula niſu
Tàm facili, mirà quàm perficit arte, jubato
Intereà collo, & capite arduus eminet alto,
Arduus, & juvenis ſimul eminet: & ſtat in ipſo
Immotus dorſo, & ſtrictas moderatur habenas.
Mox, velut ad numerum doctà ſcitiſſimus arte
Arrigit alternis, & deprimit utraque crura;
Anteriora prius, mox & poſtica: videri
Haud equidem quidquam poterat jucundius illo.
Dein citus agglomerat, dictu mirabile, & æquor
Lege ferit certà: veluti qui tympana pulſat
Ictibus alternis, moduloſque alternat eiſdem.
Et ſalit, & reſilit ſua per momenta: choreas
Ad numeros illum dixiſſes ducere equeſtres.
Tandem ſigna dedit cum virgà ſeſſor, anhelus
Conſtitit, ore jacens ſpumas, & naribus ignem.
Ut ceſſavit, equo plauſerunt murmure ovanti.
Emeritàque equitem vexere ad ſydera laude
Quotquot erant ſocii, juvenum lectiſſimus ordo,
Quotque graves aderant patres, doctique Magiſtri,

Delectæ commiſſa quibus ſtat cura juventæ:
Artibus humanis omnes, ſtudiiſque Minervæ:
Et multa inſignes pietate, & moribus aureis.
Aſt ego promeritas tanto pro munere grates
Reddere promiſi: promiſſaque carmine ſolvo
Hoc, quodcumque meæ memores ſcripſere Camœnæ.
Fortunate puer, vivent ſi carmina noſtra;
Nam ſimul ipſe illis venturæ in ſæcula vives.
Plura tibi: magnum ſed ſtat percurrere campum;
Quà vix ulla patent veſtigia trita priorum:
Et Mars urget equum, & rauco tuba murmura clangit.
Quin & plura ferent, quæ poſſem dicere equorum
De cultu, domituque, & ludi plurima equeſtris:
Ludere ſeu Trojam affectas, plauſumque referre:
Collimare velis ſeu currens præpete curſu
Annulum in appenſum, & rectà dexterrimus haſtam
Inſerere, emeritoque frui clamore theatri.
Quæ tamen incœpto properans inſiſtere curſu
Prætereo, atque aliis poſt me dicenda relinquo;
Muſa quibus facilis, tanti nec cura laboris.

Vix dùm recitavi, cùm Antigenes: Digna quidem, ut ea univerſum Gratiarum agmen feſtivis ſaltibus proſequatur, ipſeque lyrà ſuà dignetur Apollo; mirum in modum affectus ſum ſtylo iſto tuo & nitido, & facili. Ego vero: Phy! Non certè amici arbitrium, ſed judicis, & quidem Areopagitæ ſententiam expectabam. Ille verò: Num quando tibi aſſentator fui? ut ſentio, ſic loquor. Cui ego: Fateor equidem: verùm ſæpènumero præpoſtera ſunt noſtra judicia, cùm de eo ſententiam ferimus, quem amamus: quemadmodum enim color in oculum, ſic amor in mentem vitium inducit. Ille verò: Imò tua modeſtia facit, ut de te ita ſentias. Ego verò: Mittamus iſtæc ridicularia. Liceat per te mihi in culinam me ſtatim corripere, ut tibi prandium apparem ex tempore, ne tardiùs, quàm par ſit, comedamus. Tùm ille, ut vir eſt ſale conditus, & facetiis, atque omnium horarum homo: Hoc, inquit, Parthenie, verè eſt ab equis, ut ajunt, deſcendere ad aſinos. Cui ego: Perquàm lepidè tu quidem, illud verò mihi non rarò accidit, cùm è menſulà literarià ad ábacum culinarium tranſeo; & vel fercula adorno, vel ſubigo panificia: redeoque interdùm admodùm ſordidus, ut vix me Muſæ dignentur excipere. Et ille: Ah, ah, ah, vah! quid audio? poëta coquus. Ego tùm illi: Imò non planè malus. Ille mihi: Vix credo. Ego verò: Palato periculum facies. Tùm Antigenes: Verùm ſi ità eſt, ut prædicas, mirum ſanè

quòd

quod tua carmina culinam non ſapiant. Tùm ego: At iſtuc verè eſt ſapere, deſcendere interdùm ab equis ad aſinos, atque ab his iterùm ad illos aſcendere, & quidem non ſine laude. Ille verò: Laudo Minervam tuam ambidextram. Cui ego: Ambidextram? imò vix dextram. Et ille: Quorſum iſtuc! Et ego: Quia ſiniſtram decoxi. Tùm ille: Nil mirum: id enim coquis ſæpiuſculè contingit, ſed cedo, quid fuerit in cauſsà? Tùm ego: Dicam equidem, ſed compendio, it enim dies. Focus præ terremotu penè dirutus, ut vix in illo tripus, qui & ipſe claudicat, vix olla pultaria conſiſtant: iſtæc autem adeò attrita, ac pervetuſtas, ut meritò crediderim aſſervari, quaſi fumoſas verè imagines majorum noſtrorum. Cùm igitur ollam amovere vellem, hæc, fallente plano, ſubverſa eſt, inque ſiniſtram jus omne ferventiſſimum effuſum. Hic Antigenes: Tuæ iſti calamitati magnoperè indoleo, cæterùm miror ſanè tuam parſimoniam; cæteri ob rem culinariam decoctores fiunt, tu vero decoctus. Cui ego: Vera prædicas: ne alendo coquo ſtipem perexiguam citò decoquerem, memetipſum decoxi, ſed utinam hinc fiam decoctus ſenex: verùm ſine, ut eam. Ille verò: Per me nulla eſt mora; verùm illud ſcias velim, me convivam minime edacem, bibacem multo minus; quare cave ne quidquam præpares præter quotidiana. Sit menſa, quæ non Craſſum, vel Lucullum, multo minus Apicium ſapiat: ſed Pithagoram, ſed Platonem tuum, & ſi vis, etiam Diogenem. Hic ego: Ohe, adeò me ſordidum putas? ſi non profuſus, cimini ſector non quidem certè. Et ille: Non eò dixi, quò veniat in dubium genius tuus perquàm ſplendidus: ſed nolo, ut mei cauſsà nimiùm defatigeris. Tùm ego: Nihil admodum adornabo, præter ea, quæ ſunt ad manus. Et ille: Videlicet? Ego verò: Veſpolus vir amiciſſimus, idemque munificentiſſimus, quaſi divinaſſet, fore, ut à te inopinatò opprimerer, primò manè miſit ad me munuſculum elegantiſſimum, & huic diei, qui Veneri ſacer eſt, opportuniſſimum. Tùm Antigenes: Novi profectò eximiam hominis erga te benevolentiam: Sed dic, ſodes, quid ad te tranſmiſit? Tùm ego: Mullos duos barbatulos librarios. Tùm ille: Benè planè factum: etenim hi librarii perquàm bellè conveniunt eruditis. Ego verò: Sed capti ad Sirenuſas; atque idcircò ſaporis exquiſitiſſimi. Ille verò: Nec abhorrent à Poëtis, qui Sirenas æmulantur. At ego: Bellè argutaris; illos jam Neapolim deſtinaveram ad amicum illum, cui ſcis me plurimùm debere, quippè illi multis nominibus obſtrictus. Et ille: Iſtuc expectabam, erant illo digniſſimi, ſed pro his magnum illi poculum propinabimus.

Auctor, dum culinæ vacat, decoquitur.

Veſpoli viri amiciſſimi laus.

bimus, age porrò, quid præterea? Tùm ego: Gambaros quàmplurimos ex eodem mari, qui Lubrenſi oleo quadriennio ab eodem mihi miſſo, frixi, & delicati ſunt, & ſapidi. Tùm ille: Quid ultra deſideres? Cui ego: Mane, nondum. Ille verò: Etiamne amplius? Ego verò: Admodum; his enim clidium adjunxit. Hic ſtatim Antigenes: Jugulum Thynni dicis? Et ego: Illum ipſiſſimum. Et ille: Si ita eſt, cœnabimus genialiter; ſiquidem Jugulus in recenti Thynno laudatiſſimus. Tùm ego: Addam pro pulte paſtillos eſculentos, quos amicus quidam Amalphi rediens, ubi optimi ſubiguntur, dono dedit, illos conſpergam caſeo Calabro exquiſitiſſimo, qui ex flore lactis bubali coagulatur, *Raſcham* dicunt indigenæ, nihil illo ſuavius, delicatius nihil eſt: præ teneritudine vix radula in ſcrobem atteri poteſt: in hypocauſto, quaſi butyrum liquatur, illum mihi è Calabrià redux attulit vir quidam amiciſſimus, idemque feſtiviſſimus, qui biduo hic ſuis me facetiis recreavit; eſt enim ad omnem leporem factus, idemque argutiſſimus. Hic Antigenes: Tu me excipies in lautitiis, &, ut dicitur, mulſo, & placentis ſaginabis; jam menſa Lucullum ſapit, videmurque curare cuticulàm. Cui ego: Verùm quid præ illà parcius? quippè, ut vides, tota emendicato eſt. Mane parumper, hùc mox revertar. Et ille: Ità, quæſo: Ego verò rectà in culinam proficiſcor, puerumque compello, Heus, heus tu Fabiole? quid ceſſas verbero? nondum etiam? ubi latitas? procede furcifer, cumque ad ravim uſque exclamaſſem, ille neutiquam reſpondit, quocircà per feneſtram inſpicio, ſi fortè eſſet in plateà: videoque illum ludentem cum Tubiolo, eo genere ludi, quo pueri denarios in ſublime jactantes exclamant Capita, Navià, quem cùm vidiſſem, fateor, me ſtomachum funditus perdidiſſe; nec tenere me potui quin ſubiratus illum ſeveriſſimè corriperem, mox jubeo aſcendere. Ille non auſus me congredi, antequàm ſtomachum detexiſſem, lentè admodum, ut timidi pueri faciunt, procedebat. At ego; Teſtudineo, ne gradu furcifer? move te ocyùs: Ille verò audaculus: Non poſſum, inquit, ſorbere, & flare. Cui ego: Sententiaſne loqueris ceſſator? tandem ut venit. Age, inquam, trifucifer, foculum buccà excitato: tripodem igni imponito: quo claudicat, pedem, ſuppoſito ſaxulo, obſirmato: adde illi ahænum, aquam infundito, & opercula, cùm verò cœperit ebullire, me admone. Tùm ille, cui gratiſſimi edules paſtilli, & quod erat ſuſpicatus, exhilaratà jam fronte, Faciemus, inquit, paſtillos caſeatos? At ego, refrigeratà pariter iracundià, ut illum urerem, tergiverſatus, nonne purgandæ ſunt lances? tergito item cochleare cribrarium: carbonem ſubmittito: ſartaginem,

Raſcham Caſeū Calabrum commendat.

ginem, craticulam mundato, has ſcutellas repone in armario, fictilem illam teſtudinem aſſervato: expedi abacum, pavimentum ſcopis verrito: fac ut cuncta niteant; nam me vir honeſtiſſimus convenit, tenes omnia, furcifer? Et ille: Teneo: curabo cuncta quam citiſſimè, dummodò paſtillos adornemus. Cui ego: Paſtillos? imò lapides, jejunabis quippè.

Poſteà verò quam omnia adornaveram, ad Antigenem redeo, ille ubi me linteo amictu præcinctum vidit, non ſine riſu: Apage, inquit, ab hoc Muſæo cum iſto ornatu: nam ſi ſecus à Muſis vapulabis. Cui tùm ego: Iſtuc ſanè timerem, ni illæ huic ornatui aſſueviſſent; mox peto quid intereà lectitaſſet? Et ille: Nihil admodum: illud tamen animo verſavi, qui fieret, ut equi dum antica crura ſurrigunt, ac veluti in ſublime conſurgunt, in illo ſitu, qui alioqui illis haud quaquam videtur accomodus, tàm facilè conſiſtant. Age porrò, cedo, ſi quid ad hanc rem habes, dumque tibi Sphingem præſtiti, tu mihi ſis Oedipus, ſapiunt iſta profectò Matheſim tuam. Tùm ego: Morem geram lubentiſſimè, quamquam Davus ſim, non Oedipus, attingam verò rem perpaucis, nam, ut conjicio, jam tibi latrat venter. Ille verò: Conjectares rectè, niſi ego aſſueviſſem. Tùm ipſe: Aliter mihi accidit, idque vitio luis hypocondricæ, breviter ergo contendam, quod petis, efficere. Corpora univerſa, quæ gravia dicimus, ſic ſunt, ut ſuapte natura in medium ferantur, ex quo efficitur, tùm rectà conſiſtere, cùm linea, quàm directionis Geometræ vocant, per ipſorum centrum tranſit, ſi ſecius, ruent; ità nos cùm directi in hac verſamur, conſiſtimus, ſi verò nos obliquè inclinamus, cadimus illicò. Cùm verò equi ità ſeſe in ſublime arrigunt, hujuſcemodi linea per media illorum corpora deſcendit; indèque fit, ut quàm facillimè conſiſtant, illo enim corporis poſitu, æquatis veluti ponderibus, permanent æquilibres. Tùm Antigenes: Sic opinor, atque hinc fortaſſis ſpontaneus ille in nobis motus, ut cùm in unam partem inclinamur, in alteram ſe manus, & pes confeſtim ſuà ſponte jactent, & quàm longè extendant? Tùm ego: Rem ipſam putaſti. Eo enim motu natura præcavet, ne ruamus, ſic enim facto corporis æquilibrio, conſiſtimus, caſuri ſi ſecus, verùm quia appetit duodecima, menſam inſtructum ibo. Tùm ille; I præ, ſequar ipſe mox; ſicut enim in prandii, ità & in laboris partem æquum eſt, ut veniam.

Quo pacto Equi dum antica crura ſurrigunt, in illo ſitu conſiſtant?

CA-

CAPUT VIII.

Recitatur epiſtola, in qua totum Veſuvianum incendium anni MDCXCVI. *deſcribitur : factâque legendi intercapedine, Americana potio conficitur, & amantiſſimo capiti propinatur.*

A' Re ſacra rediens, jam in Muſæum pedem inferebam, Muſas, meum delicium, mea mulſa, ſalutaturus, cùm ecce tibi Lucilius, qui ſtatim de more, mihi ſalutem propinavit. Ego cùm vicem reddidiſſem. Quid, inquam cauſſæ fuit, cur primo mane non te è ſtrato corriperes, ſed præter morem, maturà jam die ? Tùm ille : Ne, quæſo, id mihi vertas pigritiæ, ſcis enim verò me non oſcitantem, ſed ſolertem eſſe : & ubi primum crepuſculum illuxit, illicò aſſurgere. Ego verò : Haud equidem iſtuc me fugit : & idcircò rei inſuetæ cauſſam abs te requiro. Et ille : Pulſaſtin', inquit, fores cùm in ſacrarium facturus deſcenderes? Tùm ego : Pulſavi enim verò : ſed ſummis digitis, & perquàm leviter. Tùm ille : Quid ita? numnam id mihi grave futurum arbitrabaris? Cui ego : Sic eſt, nolebam enim te, quem dormire ſuſpicabar, excitare. Tùm ille : Commodè cecidit, ut ità ſuſpicareris, nam cùm totam vigilando noctem tranſegiſſem : non niſi circiter diluculum præ laſſitudine acquievi, at ſopore perquàm leviſſimo; quocircà, miror ſanè me crepitum non excepiſſe. Cui ego : Age, dic tandem, quæ cauſsà fuit inſomniæ? nam etſi levis admodum hujuſce aëris temperies ſit, nihilo tamen minus tu dormire conſueviſti. Ego verò non ita, vix enim aliàs quatuor, aliàs quinque, nec ſolidas quidem horas dormiſco, quamquam id valetudini minimè noceat : adeò ſalubris aër eſt, idemque genialis, plurimùm etiam confert perquàm parca victus ratio, quam Græci διάιτην vocant : atque una, eademque ſemper, & tenoris ejuſdem, quod unum ad valetudinem recuperandam, diùque conſervandam conducit quàm maximè. Tùm ille : At idem mihi tenor, eademque frugalitas. Ego verò : In cæteris, non nego, ſed non in ficis, quibus ad libidinem indulges. Tùm ille : Fateor equidem, atqui eſt, quo veniam merear : Etenim frigidulæ, molliculæ, melleæque cum ſint, difficilè admodum eſt ſe ab illis continere : eſt etiam illud, quod me allicit, frigidas nimirum ficus minimè noxias, quippè quas ſtomachus facilè concoquit. Tùm ego : Scio enim verò : atque etiam ſervandus eſt modus, juxtà notiſſimum illud

Parca Victus ratio ad valetudinem facit.

Ficus frigidæ facilè concoquuntur.

illud; Ne quid nimis, ſi plures enim comedas, aluum movent. Et ille: Itane verò? Cui ego: Ita prorſus. Hic Lucil: Habeo, inquit, cauſſam vigiliæ, laxata mihi hac nocte aluus à ficis eſt, quippè. Cur, quæſo, non me admonuiſti? Cui ego: Quia ſic ſum, ut nemini velim moleſtus eſſe, nemini creare faſtidium. Tùm ille: Adeone indocilem mihi animum eſſe, atque irritabilem putas? imò cum neminem habeam, cui plus, quàm tibi debeam, quidquid dixeris, æqui, bonique conſulam. Cui ego: At me ipſum tibi documento habebas. Et ille: Abſtineam poſthàc à ficis. Tùm ego: Benè facis. Ille verò: dic, ſodes, quot comeſſe ſine noxà poſſum? Cui ego: Sex tantùm. Et ille Hui! ſex admodum, næ tu rigidæ præſcriptionis medicus. Ego verò: Si ſecus faxis valetudinem peſſundabis, quæ una præ cæteris tibi charior eſſe debet; ſi enim benè valeas, vives, quàm feliciſſimè. Et ille: Vera prædicas, atqui alia adoleſcentibus, alia ſenibus cibi menſura, ain? Tùm ego: Ajo enim verò: atque idcircò duas alias concedo, cæterùm illud tibi hæreat in memorià; Peccare præſtat in eam partem, quæ cautior eſt, cautior autem nonne parſimonia? Ille verò: Ità ſanè, faciam in poſterum, ad me recipio. Tùm ego: Bona ſpe eſto: ſiſtam ego citatam aluum. Et ille: Quo medicamento? Tùm ego: Tibi perquàm acceptiſſimo. Et ille; Videlicèt? Cui ipſe: Americanà potione, nonne medicamentum quàm ſuaviſſimum? Sic eſt, tùm ille, ſed vide ne mihi pro percà porrigas ſcorpium, audivi enim illiuſmodi potionem movere aluum, non ſtringere. Tùm ego: Næ ipſe incautus, qui oculiſſimo mihi capiti pro alexipharmaco venenum propinem, accipe, quod quàm pauciſſimi admodum tenent, ſi cocolathes quinquennis ſit (ſi vetuſtior effectui magis reſpondet) relaxatam aluum adſtringit, idque ab Hiſpano quodam integerrimæ fidei homine, accepi, qui id compluries ſe expertum fuiſſe fatebatur, mirum ſanè, & cujus ratio haud equidem mihi in promptu eſt. Hic ille: Gaudeo tàm præſentem, tàm ſuavem morbo medicinam parari poſſe. Tùm tandem ipſe vitrum ſpeculare utrimque tumidum, & globoſum accipio ex arcula, fomitem item, & reſtem ſulphuream: atque ad ſolem procedo, mox ità luci ſpeculum objicio, ut radii rectà in punctum unum (focum Mathematici dicunt) coirent, cui quaſi foculo fomitem admoveo, quem vix admotum derepentè flamma corripuit, tùm ſtatim ego reſte ſulphureà lumen accendo: tranſmittoque in ceream ſpirulam, qua lucernam æreæ turriculæ ſuppoſitam incendo, quia verò potionem quàm citiſſimè cupiebam conficere, lychni, qui tri-

Americana Potio ſi cocolathes quinquennis ſit, relaxatam aluum ſiſtit.

mixos erat, cuncta ellychnia ſuccendi, tandem cocolathicam ollulam accipio, in quàm aquæ vaſculum plenum ad duas tertias infundo, ac turriculæ ſuperpono.

Hæc ubi adornaveram, ſtatim me Lucilius rogat; Quid elucubraveram? Cui ego. Cùm Galvæus, numquid ſcis hominem? Ille verò: Quis virum vel eruditione, vel humanitate inſignem, & tui, tuorumque operum perquàm amantiſſimum ignoret? Tùm ego: cum, inquam, vir amiciſſimus à me petiiſſet, ut poſtremum Veſuvii incendium, de quo multa, & varia jactabantur, ad illum tranſcriberem, volui viro amiciſſimo, & cui multis nominibus plurimum debeo, ſatisfacere, idcircò hac epiſtolà, quàm modò abſolvi, omnem incendii rationem complexus ſum. Hic Lucilius: Quæſo, ut antequam ſigillo obſignes mihi illam perlegas. Cui ego: Faciam ſi modò, quæ minùs rectè ſcripta ſunt, admoneas. Et ille: Ne ego audaculus, qui te admoneam! auſcultabo potiùs, ut erudiar. Cui ego: Ita fortaſſe, ſi per te faceres: neutiquam verò, cum ipſe rogaverim. Nullus enim adeò ſapiens, qui interdùm non erret.

Ipſe etiam quandoque bonus dormitat Homerus.

Mox ita exorſus ſum:

PARTHENIUS GALVÆO SUO.

εὐπράττειν

Epiſtola ad Galvæum.

SI vales, mi Galvæe, benè eſt; ego quidem meliuſculè valeo: & optimè tandem me habiturum ſpero in hoc cœlo tùm amœno, tùm ſalubri; ubi cura, & negotio vacans, eo fruor otio, quo ſcis me plurimum delectari: & quo, preſentiſſimà quaſi medicinà, ſoleo convaleſcere. Petieras à me tuis illis literis, quas IV. Kal. Jun. ſcripſiſti, ut quod meis ipſe oculis videram de Veſuviano incendio ad te tranſcriberem, ajebas enim verò plura apud vos circumferri, quæ partim videbantur improbabilia, partim autem ridicula, ac fabellis anilibus perquàm ſimilia, partim etiam incredibilia, ſatis tibi utique feciſſem ſtatim, ut literas tuas accepi, niſi res plurimi otii fuiſſet, idcircò minimè licuit operà occupatà, atque animo impedito. Scis enim oppidò, quot mihi negotia, quot tricæ plus, pluſque in dies Neapoli parentur; ut neque harum, neque illorum causà reſpirare, nedum aures ſcalpere per otium liceat. Hic verò loci, quoniam res nacta eſt hominem otioſum, ac priſtinæ valetudini aliquantulum reſtitutum, poſtulatis tuis ſatisfaciam: tibique hac in re, ut in omnibus inſerviam. Verùm

quò

quò gratior accidat, altè, atque à capite exordiar.

Circiter Idus Apri: cùm jam jam dies appeterent Domino Redivivo ſacri, Beneventum conceſſi, ut Cardinalem Urſinum, virum omni virtutum, ac diſciplinarum genere ornatiſſimum inviſerem, ac præſens præſenti mea ſtudia deferrem, nam tùm beneficiis plurimis, tùm ſingulari ſuà in me benevolentià me ſibi arctiſſimè devinxit, id ſanè non te præterit: cum de illius, vel humanitate, vel officiis, animoque ad beneficentiam facto, ſæpènumero ad te ſcripſerim. Dum igitur eſſem Beneventi in Cardinalis domo, ubi me quotidie benevolentiſſimus Princeps excipiebat, quodam manè in aggrundam exivi, ut liberiori cœlo fruerer, vix pedem intuli, cùm illam nigro cinere undique conſperſam animadverto, miratus rei novitatem, cœpi illicò mente mecum evoluere, cujuſmodi eſſet oſtentum, nec ſanè diù in ancipiti verſatus eſt animus: ſtatim enim illum à Veſuvio, Vulturno ſpirante, ad nos delatum, montemque iterùm, diſrupto ſinu, in incendia exarſiſſe putavi. Nec mea me cogitatio fefellit. Cùm enim ſub veſperam Neapoli nuncius adveniſſet, immani montem incendio conflagrare, ignitorum lapidum torrentes evomere, ingentes ambuſti pulveris eructare turbines, altiſſimis cœlum cuneis adlambere, nigra diem caligine obtegerè, horrendis identidem bombis reſonare, crebris ſuccuſſionibus tremere, vaſtitatem minari, cuncta denique in metu, ac trepidatione eſſe, reportavit. Quod ſimul ac cognovi, Càrdinalem adeo, quæſoque, ut liceret per ſe mihi Neapolim reverti; ut quæ acciderant propius proſpicerem. Ille verò jubet unius tantum dieculæ moram me æquo animo ferre. Se etiam perendie Neapolim profecturum, meque in ſuo ſexijugo deducturum. Ego verò libenter in diem perendinum diſceſſum differe, quando ſic juberet, proque tantà benevolentià, & honore, quo me honeſtare meditabatur; gratias egi quam maximas, hinc, noſtrorum commendandorum causà, cùm abeundi domum veniam dediſſet, diſceſſi. Domum igitur, ut perveni, amicos rogo, numquid Neapolim vellent? quamque inibi ſarcinulam habebam compoſui.

Cardinalis Urſinus laudatur.

Perendiè, ut diluculum illuxit, ſacris de more factis, currum illicò conſcendimus: perque Samnitium montes, & Caudinas Furcas curſu perquàm citatiſſimo in Campaniam deſcendimus. Ubi Accerras venimus ſtatim altiſſimos in Cœlum cuneos aſſurgere, latè pulveris nimbos diſpergi conſpicimus, crebroſque montis mugitus exaudivimus, tandem ſub veſperam Neapolim perventum eſt. Cardinalis ad D. Philippi, quem impensè colit (ſuam enim illi debere incolumita-

Ejuſdem Pietas in D. Philippũ, à quo ſervatus in Terræmotu Beneventano.

mita-

mitatem fatetur; quippè qui in immani illo terræmotu, quo totum concidit Beneventum, ſub ingenti domus ruinà obrutus, ac penè conſepultus, illius ope quaſi redivivus in lucem iterùm emerſit) ſoſpitalem ſui Divum adoraturus deſcendit, me verò eodem, quo veneramus curru, domum deduci jubet.

Benè mane ſequentis diei Antiſtitem noſtrum Cardinalem Cantelmum ſalutaturus convenio. Excepit ille, ut ſolebat, ſummà amoris ſignificatione poſtquàm verò multa de Cardinale, & Benevento percontatus eſſet, in Veſuvianum tandem incendium, quod unum id temporis in omnium ore, atque oculis erat, ſermonem perduxit, decrevitque mecum poſtero die in montem conſcendere, atque ea, quæ auribus exceperat, ipſis oculis curiosè, diſtinctèque proſpicere, quocircà jubet me craſtino ſe maturiùs convenire; ut indè in Veſuvium aſcenderemus, cui cum mandata diligentèr facturum reſpondiſſem, abeundi facultatem petii: dedit ille: meque benevolentiſſimè dimiſit.

Hoc loco Lucilius, cum aures turriculæ applicuiſſet; Bullit, inquit, ni fallor, aqua. Tùm ego, ſepoſità epiſtolà, educo ex arculà mundum cocolathicum. Et primum papyrum ſolidam cæruleam explico in menſula, inque illa nuceam tabellam levigatam impono: deindè cylindrulum ſelibrem Americani nectaris vetuſtiſſimum ſiniſtrà accipio, dextrà verò bipennulam ſemilunarem; tabellàque ſuper ſextantem ferè cylindruli minutim reſeco, mox duellam ſacchari cocleari accipio, admiſceoque cocolathe, cui dulciarium orbiculum odoratum, ex illis, quos mihi Conſentià Galvæus dono miſerat, adjungo, tandem cuncta promiſcè, educto operculo, in ollam projicio, atque operculo iterùm. Deinceps in menſulà ſericum linteolum explico: inque illo conicum vaſculum, candidum, perlucidum, miriſque ſigillis Serico opere depictum, atque diſtinctum colloco, volebam gratiſſimum mihi ſui merito juvenem, hoc ſplendido apparatu, honoris gratià, excipere, atque exhilarare. Exin Sericà item in patellà ſigillis illiuſcemodi interpictà, atque oculis ſtellantibus mirùm in modum interſtinctà aliquot Luſitanica bellaria impono, fiunt hæc ex polline ſiligineo perquàm niveo, ovo, atque Indico ſale; quæ in unum coacta tandiù pilo diverberantur, quoad in ſpumam aſſurgant. furno mox coquuntur, illis à vernaculo nomine barbæ ſuperioris labri vulgus noſtratium cognomen fecit. Mos eſt Hiſpanis, qui ad nos jam tranſiit, ut priuſquam cocolathen hauriant, iſtæc nectare madefacta prælibent. Sed jam liquatus cocolathes verſicolorem in ſpumam altè aſſurrexerat,

rat,

rat ; quocirca è foculo ollulam educo , expanſàque ſuper papyro, ne menſulam commurcarem, impono, interea jubeo Lucilium ellychnia extinguere, myxis forfice diſſectis. Ipſe verò ex arculà truſatile molile accipio, molamque intrudo in ollulam ; axemque verſans utràque palmà, cocolathen molio : & tandiu diverbero quoad humor ferè totus in ſpumam abivit. Dùm denique, vaſe inclinato, paulatim molà ſpumam educo, verſoque in vaſculum, ſimul ac infunderam, cocolathen continuò diverbero, verſoque iterum, id cum tertio feciſſem, totumque ſpumeo nectare vaſculum adimpleſſem, Lucilio ſubminiſtro. Accepit ille perquàm modeſtè, vix primoribus labris deguſtavit, cùm, Probatiſſimum, inquit, eſt, cùm ſuavitate liquoris, tùm aromatum ſuaviolentià : confectum item ſcitiſſimè, cùm verò rurſus ſorbillaſſet; Quàm ſuave! inquit, ut olim de re delicatiſſimà dicebatur, mellis medulla, nunc videtur dicendum, Indicum nectar Ain'tu ? Tùm ego : Ajo enim verò : idq; jamdiù conceperam : ſed tui ingenii celeritate cogitatum meum prævertiſti. Verùm quis ſic animum induxiſſet, ut crederet apud barbaras illas gentes, quæ ferina victitant, nec abſtinent ad humanà, tàm inſigne divorum munus reperiri ? uſque adeò verùm eſt, nullam eſſe nationem ſic barbaram, & rudem, ut interdum circa luxus, & vitæ commoda ingenioſa non ſit, nec terrarum angulum ullum eſſe tàm remotum, tàm incultum, cui divitias ſuas Natura elargita non ſit. Admiror ſanè illius miram providentiam, quæ cùm vinum gentibus illis denegaverit, ne fortè magis efferarentur, hujuſmodi potum ſuppeditavit, qui ità juvaret ſtomachum, ut mentem non læderet. Vix dum ſorbillando vaſculum exhaurivit, cùm manum extendens, ut vaſculum acciperem ; cedo, inquam, ut lavem. Ille verò caſtigatæ frontis modeſtia ; Næ, ego malemorigeratus, qui iſtuc permittam tibi! Cui tùm ego: Sine, quæſo, ut tibi deſerviam, ſimulque vaſculum eripere adniſus ſum. At ille vi perquàm officioſa id nequaquam paſſus eſt, quàm ego vim perurbanam libenter devoravi. Ita enim morigeratos, atque in majores obſequentes adoleſcentes volo. Sunt enim nonnulli adeò delicati, ut neutiquam ſcindi laciniam patiantur, hujuſmodi ego non amo, & ſi opus interdum urbanitatis gratià in aliquo inſervire, id, fateor candidè, ſum etenim apertiſſimus, fronte facio, non mente. Deinde reliquum epiſtolæ ità de ſcripto dicere aggreſſus ſum.

Potionis Americanæ Preparatio.

Poſteà verò quàm, ut in votis erat, innubis, ac placidus craſtinus illuxit, illicò domo egreſſus rectà ad Cardina-

nalem proficiſcor. Qui ut me vidit, Veniſti, inquit, tempeſtivè. Cui tùm ego: Feci, ut erat in mandatis. Et ille: Rectè verò. Atque audi modò: perquàm maximè commodum duxi, ne cogeremur ſuſceptum iter abrumpere; hic antequam progrediamur, nos brevi prandio, atque extemporario reficere, illoque exacto, iter in montem corripiemus. Tùm ego. Rectè factum, ac ſapientèr, ita enim de prandio minimè ſolliciti ſingula à fronte, & à tergo, πρόσω καὶ ὀπίσω, ut Græci dicunt, inſpiciemus. Dùm igitur menſa inſtrueretur, brevi ambulatiuncula ſtomachum acuimus. Inter deambulandum multa de more collocuti, rogavitque de reditu tuo è Brutiis, cum dixiſſem te brevi rediturum, magnopere gaviſus eſt. Sed jam inſtructa menſa, conſedimus, in qua brevibus quidem epulis, ſed exquiſitis recreati ſumus. Mox pauculà mora interpoſità, in currum aſcendimus, juſſuſque auriga rectà Maſſam ad Veſuvium contendere.

Eſt autem Maſſa ad Veſuvium vicus elegantiſſimus ad montis radicem acclivi in planitie poſitus, inque Septentriones ſpectat, ad quos altior Veſuvii vertex, qui ſe ſe adhuc ab incendio vindicat, convertitur. Hunc in vicum curſu quàm velociſſimo intra ſeſquihoram perventum eſt. Quia verò ulterius progredi ne ciſio quidem Monhippo conceditur ob implexos, ac longos montis anfractus, aſcenſumque per declivia, aviaque ſylvarum impeditum, idcircò curru exilivimus, nihilque cunctati, Cardinalis mulum, ego aſellum conſcendi, quæ quidem jumenta expeditiſſima, cum ad lingna convectanda quotidie montem ſubeant. Ut nos in viam dedimus, præcedente agaſone quodam locorum peritiſſimo, utqui montem lignatum frequenter circuibat, ſcandere extemplò cœpimus: ſed lentè admodum propter montis acclivia, ac tortuoſa. Cùm verò juxta convallem quandam veniſſemus, vidimus illicò ambuſtum quendam verticem ex illà aſſurgentem, quaſi ferreum, omni prorſus frutice nudum, ac ſquallidum, qui, ut narrabat agaſo, eruptione anni MDCXXXI. enatus emerſerat. Hinc ut paululum progreſſi ſumus, confeſtim horrificos attolli cuneos, quaſi piceos, crebroque volumine geminari tâm citò, ut viſum penè fallerent: circùm verò erumpentes flammas cuneos adlambere: atque ignitos lapides, lapides inquam? Imò ſcopulos validiſſimo impetu evibrari: qui derepentè igneæ præ ſe grandinis ſpeciem ferentes, mirum in modum recidebant, horribiles ſimul his tonitrus, magno fragore, ac bombo reboare identidem exaudiebamus, fateor hic me ſubito perculſum terrore inhorruiſſe, ac penè exanima-

Incendii, Veſuviani enarratio,

nima-

nimatum; putabam nimirùm in Tartara verius deſcendere, quàm conſcendere in montem, quem meritiſſimò Ditis oſtium vulgus appellat.

Ut ſubſtitimus, ductoque tantiſper ſpiritu, quod reliquum acclivis erat. exuperare contendimus, tandem poſt duas horas magno tùm labore, tùm defatigatione jumentorum in ædiculam ventum eſt. Hic Solitarius quidam degit, corrogatà à viatoribus, atque paganis ſtipe, & oleribus victitans: quæ illi hortulus juxtà ædiculam poſitus ſuppeditat. Sub hæc Thracius repentè ortus eſt, quod quidem & ſalutare nobis, & commodum fuit; ſiquidem vehementer perflans cinerem in contrariam partem ferebat, Itaque factum eſt, ut & pulvere vacaremus, & ſereno, liberoque aëre omnia circumluſtrare poſſemus, quapropter alacres, atque animoſiores facti, per tortuoſum montis planum, crebroque itu, redituque impeditum ire perreximus. Tandem aliquando ſub meridiem in vallem, per quam lapideus amnis defluebat, pervenimus. Hîc loci, quoniam ob frequentes arenæ cumulos ſolum erat lubricoſum, & propter ſaxa ſparſim diſperſa difficile, è jumentis deſilivimus: ac pedeſtri itinere, mihi ob diutinam obſtructionem laborioſiſſimo, cœpimus ſuſpenſo admodum gradu tùm aſcendere, tum deſcendere per arenæ cumulos, identidem fallente veſtigio, ad ultimum omnibus viribus connixi, ad decurrentis fluvii ripas deſcendimus, Mirum oppidò, mi Galvæe, quod ſcribam mox: vixque tuis oculis credidiſſes, ut verò faciam accuratiùs, paulò altiùs exordiar.

Alterùm montis faſtigium, ex quo ignis erumpit (nàm ut te non præterit. Veſuvius noſter biceps aſſurgit, uno vertice viridans, altero verò arenoſus, ac ſterilis ob incendia. Plinii enim ævo, quo contigit prima illa, ac memorabilis eruptio, præ altero ferax magis, ac viridis) ampliſſimo patet cratere quem paſſus MD. quidam, quidam verò bis M. ambitu continere ajunt, ego in præſentia nihil certi habeo, quod ſtatuam, faciam fortaſſe alias nactus otium, & opportunitatem. In craterem olim patebat deſcenſus, quamquam difficilis, nec periculo vacans ſuo, èq; illius fundo, quaſi è camino interdiu fumus, noctu ſæpè ignis erumpebat. Verùm alterà ab hac eruptione, quæ contigit hyeme rigidiſſimà anni MDCLXXX. è medio cratere monticulus emerſit, qui ſenſim ex illa ipſa materia, quàm mons eructabat, adeò cœpit excreſcere, ut magnam crateris partem occupaverit. Jàm verò ex hujuſce monticuli recens enati vertice hæc cœpit eruptio, de qua ad te ſcribere inſtitui. Veſuvius biceps.

Evo-

Evomebat igitur, identidem eructans horrendo fragore ac bombo, materiam quandam ſaxeam, ſed penè liquidam quæ paulatim ſuperiùs indureſcebat: tantam verò, ut brevi univerſus fermè crater impletus eſt Exin, qua hic depreſſior, cœpit exundare: eo prorſus modo, quo fit in fontibus, ubi primùm ſaliens crateris labra exuperavit: perque montis declivia Herculanum verſus defluere. Vidiſſes lapideum amnem, quid amnem dico, imò inſolentem ſaxorum eluviem effluere: per devexa quidem loca incitatius, per æquiora verò lentius, audiſſet inter ſeſe lapides concurſantes ſtridere, ac ſtrepere; ut faciunt torrentes aquæ per ſaxa, & ſalebras defluentes, quin etiam rauci ſibilus, quales ſerpentes edunt, exaudiebantur: nimirum erant hi, quos liquidi bituminis efferveſcentes undæ, quæ: ſubter celeriùs incitæ profluebant, longè, latèque emittebant, è torrente ipſo interdiu fumus ſubalbidus: nitidus noctu ignis collucebat.

Poſteà verò quàm ad æquiora ſpatia, quà inſolens ille ſaxorum torrens defluebat, pervenimus, pientiſſimus Princeps, ut rem benè auſpicaretur, accidit in genua, mox fructulum Lipſanorum D. Januarii, quod theculà incluſum cum agno cereo ab Innocentio XI. P.M. luſtrato, deferendum mihi dederat, eà qua par erat, religione accepit: dextràque manu ſublime tenens, ter, adverſum ſpectans incendium, ſalutare Crucis ſignum expreſſis in aëre, ſub hæc enixè Deum præcatus, ut tùm ſui munere, tùm Divi merito, quod ſæpenumerò benignus præſtiterat, Urbem ab incendio, & vaſtitate defenderet, idem precati quotquot inibi unà eramus, tandem incluſis theculà Lipſanis. aſſurreximus. Re ſacrà ritè, pièque hunc in modum procuratà, ad amnem convertimur: & non ſine ſtupore aliquandiù contemplati ſumus. Quia verò præ tarditate vix nobis flue è videbatur (qui tamen præteritis diebus iverat incitatior) juſſus eſt agaſo ſeſe in fluvium capeſſere, quo manifeſtius appareret illum in inferiora delabi. Vix dum deſcendit agaſo, cum deferri inferius hominem apertè videmus, nempè à præterlabente ſaxorum amne ſimul deferebatur. Hic me Cardinalis rogat: Quì fieret, ut dura illa materies, & plus, pluſque inter defluendum lapideſcens, moveretur, ac flueret? Quia, tùm ego, liquens bitumen unà cum ſulphure ſubter velocius decurrens ſuperiora quantum vis dura, ac ſolida ſecum abripit, ac devehit. Luculentè id comprobant immoti ad utrumque marginem lapides: qui idcircò minimè rapiuntur, ut cæteri, quia bitumen ſubterfluens ad illos non pertingit. Tùm ille: Rectè verò, id ipſum jàm animo conceperam.

Cur Incendii materies dura ad huc fluat.

De-

Deinde *, cum materiam illam, quàm quidam ferream ſpumam dixerant, qualem Ætna nonnunquam evomit, accepiſſemus, nonniſi puros, putoſque lapides ambuſtos eſſe perſpicuè cognovimus. Erat tamen illis admixtum ſulphur, ſal ammoniacum, & ſimul lapis ſpecularis: nitrum, & bitumen penè evanuerant. Quod verò ſcribis ad vos perlatum, argentum, & aurum montem evomiſſe: atque idcircò lege latâ cautum à Prætore, ne quis lapides aſportaret, joculare illud, atque aniles fabellas ducito. Nemo unus ſanè fuit, qui lapides non aſportaverit, illiuſmodi verò lapides quamplurimi fuſorio in vaſe ad ignem applicaverunt, ut ſi quid ineſſet, auri, vel argenti, elicerent (teſtis ipſe non ſemel interfui) verùm poſtquàm multùm deſudarunt, luſerunt operam, nil quippè metallorum, niſi fortè exiguum imperfecti æris, repertum eſt in fuſorio, nimirum erant mera ſaxa, quæ bitumine perlita ignis aduſſerat.

Sed redeam, quò cœpi, poſtquam diutiuſculè lapideum amnem miro modo profluentem, quæque inerant curiosè contemplati ſumus, Cardinalis animum cupido ſubit ſummum apicem adeundi: volebat enim vigilantiſſimus Paſtor, gregiſque amantiſſimus Innocentis XI. cereum Agnum, quem ſolenni ritu quotannis luſtrari a Pontificibus mos eſt, in perquàm horrendum illud, vaſtumque incendium porricere; ſperabat nimirum fore, ut, illo porrecto, incendia defervescerent. Verùm vix ad L. paſſus progreſſi, cùm derepentè nigrâ caligine circumfundimur, denſo pulvere obruimur, ac relabentium ſaxorum grandine penè enecamur, perhorrifici verò turbines tàm ſubiti, ac geminato confeſtim volumine, bomboque erumpebant, ut audaciſſimum quemque territarent, ſimul totus reboare intus, concuti circùm mons audiebatur, credidiſſes profectò cuncta, laborante naturâ, reſolvi in chaos. Quocircà Cardinalem monui nequaquam ultra progrediendum, jam nos eſſe intra jactus lapidum; adeoque in aperto diſcrimine, neque videri mihi expedire periculum irrumpere, quidquid enim accidiſſet, neque id verò ex ſententiâ, non certè quidem futurum laudabile. Etenim præpoſtera ſemper cum ſint vulgi judicia, haud quaquam id pietati, ſed curioſitati datum iri. Hac ille tùm denique ratione permotus, ſtatim ſubſtitit. Sacerdoti verò cuidam, qui nos ſequebatur, animoſo, æque, ac pio, curam demandat, ut paulò ulterius progreſſus, caveret tamen ne audacior ſeſe periculo objiceret, cereum Agnum, non quidem flammis extinguendum, ſed extincturum flammas, modò id expediret, religiosè porriceret. Tanta eſt apud Antiſtitem noſtrum Sanctiſſimi Pontifi-

Innocentii XI. Cerei Agni miracula patrant.

tificis opinio: & quidem meritiſſimo, quamplurima quippè mira, & quæ naturæ fines tranſcendunt, ab hujuſmodi Agnis parata eſſe, nemo unus eſt, qui ignoret.

His cùm piè, tùm ritè confectis, in ædiculam reverſi ſumus ex hac indè præruptam quandam in rupem deſcendimus, quam, juxtà torrens, vel ſaxeus, vel igneus præterlabens in ſubjectam convallem præcipitabatur. Ut primùm venimus, mirum oppidò, horrendumque viſu fuit, quod illicò noſtris oculis oblatum eſt, è ſupercilio rupis, in cujus crepidine inſiſtebamus, igneam maſſam, mollem quidem, ſed tenacem continuo in vallem lapſu ire præcipitem, non ſine admiratione ſpectabamus, eo autem fragore, quo fluvii ſolent, cum ab editis ſeſe rupibus in ſubjectas valles demittunt: ut me ad Tibur vidiſſe Anienem memineram. Quia verò denſior erat materies, paulò obtuſior ac fractior ſonus edebatur. Maſſa verò liquato metallo ad efficiendas bombardas ſic ſimilis videbatur, ut nihil ſimilius eſſe potuiſſet, inferius fluida magis, magiſque accenſa: ſuperius verò eò durior, quò magis ſaxea videbatur. Hic Cardinalis: En, inquit, ut liquidus ſubter ignis, & bitumine admixto tenax ſuper incumbentes lapides aſportat. Cui ego: Ajebam enim verò. Et mirum profectò, & jucundum viſu erat, magnas illas lapidum congeries cernere, antea veluti glutino inter ſeſe connexas, ac coagmentatas, ut ad cataractas veniebant, repentè ſcindi, præcipitari convertique in ignem, qui plurimus ſubterfluebat, deinceps, ubi deciderant, ſtatim lapideſcere: nempè liquidum bitumen inferius ſubſidebat. Poſtea verò, quemadmodum delapſi amnes paulatim per æqua iter corripiunt, ſic iterùm colligati, nexique lapides interruptum caſu curſum exordiebantur. Qui poſtquam ad æquiora, tria ferè paſſuum millia emenſi, pervenerunt, in unum, magnumque cumulum coëuntes, conſtiterunt. Hic autem ambuſtus quaſi monticulus moveri interdum, ac fluere apparebat miro modo. Ne verò agris vaſtitatem exundantes flammæ inferrent, cavari alveum vigilantiſſimus Prætor juſſit, quo, facta veluti via, ſublaberentur. Etſi duraturum diù incendium, in mare ſeſe capeſſerent. Atque hæc ſunt, vir eruditiſſime, quæ ad te ſcribere de præſenti incendio, habebam. Vale.

Hic Lucilius; Effeciſti, inquit, ut iterùm incendium oculis contemplarer; adeò graphicè illud depinxiſti: & quidem ſine nimio illo fuco, quo plurimi ad ſatietatem uſque, ne dicam ſtomachum, abutuntur, nempè quo res non ſuis, ſed alienis coloribus picta, aliter appareat. Mox ambo in pomarium deambulatum deſcendimus.

ÆSTA-

ÆSTATUM SURRENTINARUM

LIBER II.

CAPUT PRIMUM.

Convivium inſtruitur, & varia fercula adornantur, poſt menſam recitatum carmen de inſigni ſtratagemmate, hinc occaſione cujuſdam rumoris ex improviſo excitati, quæſitum quid eſſet terremotus?

VIx dum domum reverſus crepidulas indui, cùm cornice pulſari fores identidem audio: mox etiam exclamari, meque nominatim vocari; quapropter puerum compello: Ah, ah, Fabiole, huc adi, Ille ſtatim advolans; Præſto ſum, ait. Cui tùm ego: Anne tu ſurdus, qui forium ſtrepitum non audis? J' citò: deque feneſtrà inſpicito, quis pulſet fores, atque exclamet, Ille cùm ſubitus inſpexiſſet, duo, inquit, veſtrates ſunt: quippè qui nigram induti veſtem ad talos uſque demiſſam collare duriuſculo, & exterius aliquantulum inverſo, ſcipionem etiam ad firmanda veſtigia, ut ſolitaviſtis, manu geſtant; qua-

re illos hùc Maſsà ád delubrum veniſſe arbitror : Illi tùm ego: Iſtuc non multi eſt divinare: ornatus enim quis quiſq; ſit, indicium facit. I citò, fores reclude: nam præter morem, & præſcriptum ſic vehementer pulſant, ut ni ſtatim aperias, diffringent, ipſe verò, aſſumpto breviori pileo, ut eram cycladatus, obviam eo. Ubi verò ad primos gradus offendi, ſtatim accepta, ac reddita ſalutatione, benevolè excipio. Dein aſcenſuri, quæſo, ut honoris gratia primi præirent, ipſe verò poſt ſequor, ut in ſuperiorem ambulationem ventum eſt, meum cubiculum induco. Atque hic ſimul ac conſedimus, interrogo. Numquid novi ad vos Neapoli allatum eſt? nam ego nihil prorſus literarum accepi. Et illi: Nihil omninò. Quibus tùm ego: Gaudeo, quod quietæ admodum res ſint Neapoli. Sed agite, quod, quidem mea ſcire magis intereſt, valetiſne rectè? Illi verò: Rectiſſimè, verum nos abs te ſcire avemus, tutene valeas? Tùm ego: Planè benè. Et illi: Rem nobis perquàm gratam nuncias, at cedo, quæſumus, Quid hîc ſolus agis? Quibus tùm ego: Minimè ſolus; nam mihi cum Muſis ſocietas eſt: cum quibus tamen haud muſicam vitam duco, ſed laborioſam, quamquam, ut planè fatear, iſtic mihi labor omnium inſtar voluptatum eſt. Tùm illi. Credimus enim verò, voluptas quippè eſt genio indulgere, nec quidquam jucundius, quàm eſſe cum Muſis. Nos, ſi rogas, ut unâ ſaltem dieculâ tibicinis vitam viveremus, ad te confugimus. Quibus ego: At vereor ne veſtrà ſpe decidatis, nec feratis, quod poſcitis; quando me nihil ſuſpicantem oppreſſiſtis, Et illi: Etſi te præſcium eſſe noluerimus, ne multum negotii faceſſeremus, non tamen te imparatum opprimimus, ſumma quippè tibi rei domeſticæ cura eſt, mirum oppidò hominem, qui præter Muſas, & literas voluptatis habet nihil, tam providum, tantamque penuariæ rei curam ſuſcipere, non quidem ſui gratiâ (ſcimus nimirum parſimoniam) ſed amicorum, qui non admodum raro oppreſſuri veniunt ultronei: nempè ut eleganti convictu exhilaret ex præparato. Quibus tùm ego: Gratias vobis ago maximas: & ut etiam habeam, quæſo liceat mihi per vos culinam concedere; ut offam apparem, quam non ingratam fore confido. Vos intereà, ne id grave futurum ſit, ad oram maris deſcendite, & quoniam ibi calami ſunt, hamique piſcarii è ſcopulo animi causâ tantiſper piſcamini. Illi verò: Id nobis erit gratiſſimum ſuccedit quippè è ſententià, jamdiu enim iſtuc deſideravimus. In pomarium igitur deſcendimus: atque ex illo in ſcopulum deduco, ibique illis relictis, domum redeo.

Vix

Vix dum redii, cùm puerum compello: Heus tu Fabiole! ardetne circa ollam ignis? excoctuſne capo? Et ille: Ardet ignis: ex intervallo enim ligna ſuffeci. Sitne coctus capo, necne, affirmare non habeo, ut qui periculum non feci. Faciamus, tùm ego: atque culinam ingredior, vix intravi, cùm ſemimortuum ignem, diſperſoſque titiones animadverto; quocirca non ſine riſu (ſoleo enim ridere in ſtomacho) trifurcifer, inquam, adeone tibi: calida mendacia in promptu ſunt? arguebat mihi te mentiri naſus tuus, jam intelligis quæ te expectet mulcta: præter panem, & aquam nihil hoc mane obſonabis; ita enim verſuram ſolves, mox ut illum corripui (ſiquidem pueri naturâ deſides cum ſint, facilèque ad pueriles luſus divertant, ni ſeveriſſimè caſtiges, boni, induſtriique non fient) jubeo, compoſitis illicò titionibus, ignem paleari flabello excitare, ipſe interea ex ollà capum educo, atque duobus primoribus digitulis, experior ſi coctus eſſet, cùm autem duriuſculum deprehendiſſem, iterum inicio, ollæq; operculum ſuperpono. Sub hæc integrum panem accipio, candidum, pumicoſum, cultelloque cruſtulam duriuſculam reſeco, at veluti deglubo, nudam poſt pulpam diſſeco in quadrulas, quas prunis aliquantulum torreo. Etenim ad hunc modum toſtæ jus facilè ebibunt, excreſcuntque quàm latiſſimè. Deinceps elixum jàm capum exoſſo; inque fruſta minutatim comminuo: præparo mel calaminum admixtum cinnamomo, & jurulentum boletum. His ita præparatis, offam facio non cum ovis caſeatam, ut aſſolent noſtrates (quam quidem ego probavi nunquam, inſipida quippè eſt, & literatorum ſtomacho non benè quadrat,) ſed mellitam, ut Galli, à quibus nomen accepit, conſueverunt. Lancem igitur accipio ampliſſimam, inque illam, admixtum cinnamomo ſaccharum, non quidem parcè, ut præ avaritiâ faciunt compluſculi, qui nimium ad rem attenti ſæpenumero, ut tantillum deducant, univerſum prandium corrumpunt, ſed affatim ſpargo, exin cereales quadrulas ſemitoſtas expando, facioque veluti primam ſuperficiem, qua factâ, addo ſparſim caponis fruſtra, & boletos, ſaccarumque ſuper, & cinnamomum promiſcuè diſſemino: poſtea caponinum jus infundo, non ſecus indè aliam, atque aliam deſuper ſuperficiem inſterno, ſaccharoque benè condio (volebam enim ſcitè edulcare) tandem plenam jam lancem alterâ operculo, mittoque in hypocauſtum ut ſic quadrulæ omne penitus juſcum exhaurirent, offam enim ſiccam potiùs volebam, quàm inſſulatam.

Ferculorum nõnullorum præparatio.

Hoc ferculo adornato, jus quod ex capone ſuperaverat

con-

condio ad hunc modum: piper, cinnamomum, aromaticumque cariophyllum in ollam jacio: addoque tritum apium, & perpauſillum croci, ut juſculum facerem croceatum, etenim perquàm ſuave juſco crocus ſaporem impertit, mox ollam igni amovere, ne juſculum nimium exiccaretur, tenuiſſimas tamen ſubter prunas injicio, ne repeſceret, jus enim ni calidum haurias, ingratum palato eſt, quocirca coquos noſtros monitos velim, ne tàm citò ab igne pultarias ollas, teſtudineſque fictiles ſubducant; nec tàm feſtini lances toſtâ, elixâve onerent: neque polentam, neque pultem, ſive candida ſit, ſive oleracea, ſcutellis ingerant: nolim tamen, ut Scyllam vitantes, incidant in Carybdim, ut vetus proverbium eſt, nempè ut ne frigidas dent, calidiſſimas ſubminiſtrent, non ſemel mihi moræ impatientiſſimo, accidit, ut puls ferventiſſima linguam exulceraverit, tantà indignatione, ut vix me continui, quin in ſtomachum erumperem, pultemque proicerem, ſed interim ab aſino, quod ajunt delapſus, ab inſtituto nimium aberravi, redeo igitur in viam, undè me deduxi, atque è coquo, paſtillarium piſtorem agam. Quatuor ærea vaſcula conformata in cymbulas, illitaque interius ſtamno, accipio ex arculà, atque in abacum expono, poſtea verò pauxillum vitulæ ſemitoſtæ (illud in futurum providè attentus, ab heſterno die aſſervaveram: non enim ex jis ſum, quibus illud bellè quadrat; piſcis repoſitus) ſecuri minutim trito, mox tritum in teſtudinem fictilem mitto: addoque medullam bovis perquinguem, pineos nucleos, paſſulam uvam, boletos, & dulcia item trita: teſtudinem mox igni impono, ut nonnihil incaleſcrent, & liquata medulla, fierent jurulenta. Interim ex polline ſiligineo, butyro, ſaccharo, vitelloque ovi intritam ſubigo: ſubactam octo in partes divido, extendoque ſingulas cylindrulo, deindè quatuor ſingulas ſingulis vaſculis ita interius apto, ut veluti incruſtarem, ne verò cruſtulæ vaſculis adhærerent, ſuillo ſumine inungo, accipio mox offam ex teſtudine, & vaſculis ingero ex æquo, tandem quatuor aliis cruſtulis vaſcula cooperio, ita verò ſuperiores cruſtulas inferioribus primoribus digitis ſcupula vi, ut extremus limbus pinnatus aſſurgeret, ubi jam confecta infurniculo injicio in furnum, interea Fabiolus, elixa è vaſe pultario extracta, pultem immiſeram coquendam, erat hæc intubus hortenſis cum tenerrimis cucurbiculis.

Ad coquos admonitio.

Hæc inter amici è ſcopulo ſuperveniunt: altèque exclamant: Quæ tanta mora, Parthenie, cùm tu cæteroqui ſolertiſſimus? jam jam appetit duodecima. Quibus ego: Atqui illam veſter indicat venter, non verò ſolarium, ſimul-

que

que è marſupio auctomatum horologiolum; quo me Acerrarum Dominus, homo hominum, qui vivunt liberaliſſimus, meique amantiſſimus, donaverat, educo: indicemque inſpicio, qui ad undecimam vix pervenerat, quod cum ipſi inſpectarent: Non rectè indicat, inquiunt. Tùm ego: Conſulamus ſolarium; nam ut rectè poëta,

Solem quis dicere falſum
Audeat?

Illi verò: Æquum poſtulas cum autem à me depictum in pariete ſolarium aſpiceremus, ad eam ipſam horam perveniſſe ſtyli umbram animadvertimus. Tùm illi: Rectè quidem, verùm quid ſolario opus eſt, quod nobis diem articulatim comminuat? uterus certiſſimum nobis ſolarium eſt, & fames, quæ tempus præcurrit; accedit pedeſtre iter, quod Maſsâ hucuſque affecimus, quo ſtomachum non mediocriter acuimus. Quibus ego: Aſſentior: atque per me nulla eſt mora: omnia enim in promptu ſunt, at, quæſo, quid in ſcopulo piſcati eſtis? Et illi: En duos mullos barbatulos grandiuſculos, & cephalum hunc ſeſquilibrem. Quibus tùm ego: Ah, ah, ah, vah! vos ne mihi imponatis? erratis toto cœlo, quippè nato ſine cortice: &, ut adagium eſt, γέρων πίθικοσ ὀκ ἁλίσκεται, illos non hamo piſcario, ſed argenteo cepiſtis, quo ad capiendos non modò piſces, verùm etiam homines nihil profectò eſt magis efficax, noſtro in ſcopulo vel Julidem, vel Percam fallere poteſtas erat: Tùm illi: Phy! nihil te præterit. Sed cedo, quanti illos nos autumas coëmiſſe. Ipſe verò: Argenteo coëmiſſem: vos duos ſolviſti, ſic enim hîc piſcatores ſunt, ut ab exteris duplum petant. Illi verò. Tanti quidem, nec pluris, nec minoris coëmimus, quid facias? quanti quanti, benè emitur, quòd neceſſe eſt, vel placet. Verùm eſtne menſa inſtructa? Quibus ego: Etiam, unum tantùm ſupereſt, ut piſces iſtos aſſemus. Hîc illi: Sed in digitis, ut dicitur. Hui! adeone ſaginare nos vis? omitte curam iſtam. Maſſam ad delubrum feremus pro cœnulà veſpertinà: nam ſi tardiuſculè fortè pervenerimus, aut nullam, aut corruptam domi cœnam inveniemus. Quibus tùm ego: Ut bellè præcavetis! Agite igitur, ſi ità vobis conſtitutum eſt, ad menſam accumbite. Hanc ut in aperto, amœnoque loco inſtructam viderent: Quid, inquiunt, cibo opus eſt? amœniſſimus enim hic proſpectus ſaluberrimus hic aër abundè nos paſcit, ac reficit, ſatiùs certè hîc eſſe, quàm in Eurotà. Tùm ego: Ità enim ve-

rò,

eò, iſtuc ego cœlum, agrum iſtum eo loco numero, ut præ illo cætera poſt eſſe putem: nec cum Theſſalicis quidem Tempis, & ſi qui locus alter beatior eſt, commutarem. Tùm illi: Palatum tibi ſapit, Parthenie: hîc oculi, aures, animus ampliter ſaturi fiunt. At ipſe: Sed jam conſedite; unus quippè Chamæleon, ut fabulantur, veſcitur ſolo aere. Lotis igitur manibus in trulleo, toralique lineo deterſis, accubuimus. Principium ab ovo veteri more factum eſt. Etenim ſecundæ ficus, quas vulgus noſtratium ab optando Optatas vocat, livorem nondum induxerant, eo enim anno propter aeris intemperiem, ſerotini fructus nonniſi in ſeram æſtatem ad maturitatem pervenerunt, dum ovum comedimus, intereà loci croceatum juculum in vaſculis ex nobiliori argillà, variiſque ſigillis, ac floſculis mirum in modum Serico opere pictis, affertur, illud non cocleari, ut quidam factitant, ſed è vaſculis ipſis primoribus labris ſorbillamus. Deinde Gallicam offam, quàm tùm puer in menſam inferebat, ego convivii magiſter, & ut Græci dicunt τραπεζοποιὸς ſingulis diſtribuo. Quam ut ſuaviſſimam æque, ac delicatiſſimam deguſtarunt, Tu nos, inquiunt, excipis in lautitiis, iſtæc ſanè offa, mellis medulla, ut ajunt, eſt, tantum verò placuit, ut ne bolus quidem relictus. Hic Fabiolus cùm deterſas omnino lances vidiſſet: Ego, inquit, mundare lances volebam, ſed vos hoc me onere liberaſtis, quocirca gratias ago quàm ampliſſimas. Riſere hic omnes, laudaruntque ingenium pueri, alter verò amicorum, Bono ſis animo, inquit: hanc accipe, quæ nonnihil pinguiſſimi juris habet, ille tùm non minore argutiâ, & ſupra ætatem: Phy! phy! O Sturnum pinguiſſimum! quod quidem dicterium feſtiviſſimè acceptum eſt. At illi ego: Adeone argutulus es Fabiole? haud equidem tibi tantum ineſſe ſalis putabam, ni forte tibi fames ingenium ſubminiſtret, illa enim, ut ait Perſius, nihil argutius,

Convivium inſtruitur.

Ingeniique largitor venter
Negatas artifex ſequi voces.

Et ut vetus adagium Græcorum eſt πολλῶν ὁ διδάσκαλος γίνεται λιμὸς At age, affer huc. Ex oleribus pultem, & elixum bovem, vide ne glandium, & pernam relinquas. Tùm ille: Parva quidem jactura, ſi deferam, ſalita quippè nimis, & duriuſcula. Cui ego: O pulchrum commentum! molliculane tuis dentibus? Et ille: Ita verò: nempè pueris robuſti dentes. Tùm amici: Recte Fabiolus. Mox dum pultem comeſſemus, & elixum bovem pinguiſſimum, appoſuit ille tria ex quatuor intritis cerealibus, ſingula ſingulis.

Cui

Cui tùm ego: Ubinam quartum! Et ille: Quid opus eſt quarto, cum vos tres ſitis? illud mei gratiâ à te factum putavi. Cui tùm ego: ò lepidiſſimum capitulum! tui gratiâ? erras totâ viâ nolo enim alere Melitæum catellum, non tenes tibi nihil hoc manè obſonandum? Hoc loco alter amicorum ætate minor: Pro Fabiolo, inquit, Parthenie, rabula, non tamen audaculus intercedo, quæſoque ut noſtrum gratiâ quartum illud ferculum illi concedas. Ego verò: Quando ſic jubes, morem geram; verùm ſurcifer iſte illud non meruit, cùm ſit negligentiſſimus. Interim dum cereales cymbulas intritâ vitulâ, boleris, ac dulcibus oneratas amici prægustarent: O quàm bellè, inquiunt, hiſce cymbulis navigatur! beaſti nos quidem iſtis, ſumptis mox vitris, ac inſuſo à Fabiolo Græco hyberno delicatiſſimo, mihi feſtivi propinarunt. Tandem cùm ad ſecundas menſas ventum eſſet, allatus eſt Martius caſeus laudatiſſimus, & corbicula cum fructibus varii generis: nimirum erant tuberes plurimi albi, & rubri prunum herbaceum, orbiculatum, & damaſcenum cum pyro cruſtumio, & mammoſo. Poſtremò, ut jam caſtigatis dapibus, ac Socraticâ ſobrietate exempta eſt fames, illicò aſſurreximus; redditiſque Deo pro more gratibus, limonii mali fruſtulo, cujus ſuccus mirâ abſtergendi vi præditus, manus perfrigantes frigidâ lavimus in trulleo. Exin' verò conſedimus iterum ad proſpectum maris. Tùm amici: Recita, inquiunt, aliquid ex Bellicis tuis. Et quod gratiſſimum nobis erit, eos verſiculos, qui nunc primitùs exciderunt. Et ego: At illi nondum dolati, imò ne exaſceati quidem. Illi verò: Imò ſic placebunt. Tùm ego, acceptâ ſchedulâ, in qua curſim notati, perlego hoc modo.

Sed vos hîc vatem, Muſæ, quibus ardua Martis
Prælia ſunt cordi; palmæque & clara Trophæa
Numine defeſſum veſtro, cantuque juvate.
Magna quidem dicenda, ducîſque exempla ſupremi
Laudibus æternis ornanda, & carmine ſacro.
Ergo agite, heroo concedite digna cothurno;
Ut cœlo meritis æquetur cantibus Heros.
Bellaces inter fraudes, & Martia furta,
Sæpè quibus fortes animis, & mente capaces
Ductores magnis bellorum in caſibus uſi,
Hæc fuit; egregiis ſed vix tentanda maniplis:
Ardua nimirum conari, & fortia; nunquam
Tentari quæ poſſe ſibi perſuadeat hoſtis.
Sic res improviſa, reique ingentis imago
Attonitos reddet, Mortiſque ad munia ſegnes.

Andreæ Cantelmi Gatalauniæ Prætoris Virtus militaris.

Et quamvis præclara ducum monumenta priorum
Plurima ſint: ævo non deſunt & ſua noſtro:
Tempore quæ quamquam, non ſunt virtute ſecunda,
Non longè, Sicorim propter, quà ſurgit Ilerda
Heſperias urbes inter non ultima, magnus
*Dux Cantelmiades * pietate inſignis, & armis;*
Scottorum ſoboles & præclariſſima regum,
Imparibus quamvis armis (exercitus olli
Millia vix ſeptem numerabat lecta virorum
Corpora: viginti ſed millia Francus habebat
Arte ſed egregiâ pugnam commiſerat acrem:
Et magnis animis, magnæ virtute minorem
Penſabat numerum: factis & fata vocabat.
Nec mora turbati convertunt tergora Galli:
Inque fugam effuſi ſeſe dant ilicet: ingens
Fit cædes, proſtrata jacent immiſta cruentis
Arma viris: Sicoriſque tumeſcit flumine major:
Et ſe purpureum ſine more immiſcet Ibero.
Læta triumphali ſeſe victoria lauro
Obtulerat blandita duci. Proh fata Deorum!
Quam non felicem Fortunam, & proſpera rerum
Invidia livens animus, cæcoque furore
Percitus evaluit corrumpere? maxima ſummo
Dejectare poteſt de culmine: lætaque verſo
Ordine fatorum ſubitò mutare ſiniſtris.
Ergo equitum renuens mandata faceſſere ductor
Invidiæ tetro flagrans livore (ſupremo
Invidet inſignem palmam, laudemque magiſtro)
E ſtatione data decedit, & oſtibus æquor,
Converſis ultro ſignis, concedit habendum.
Verſaque ſors pugnæ: invituſque recedere campo
Non oſtis virtute, malâ ſed fraude ſuorum
Cogitur: & paucis equitum comitatus in arcem
Vicinam recipit ſeſe. Mora nulla, feroces
Incumbunt hoſtes, & vallo mœnia cingunt.
Obſedione petitum ſe Cantelmus, & arcem
Aſpicit, ingenti major virtute, animoque
Se ſuper aſſurgit: magnam & vim concipit armis.
Ac velut incluſum, magnâ cingente coronâ
Cum Leo venantum ſe proſpicit, æſtuat irâ
Plurimus, horrendumque fremit, rabieque remugit,
Rauca ſonans: vallo impatiens, armiſque teneri.

Hac,

* Andreas Cantelmus Catalauniæ Prætor, cujus vitam nuper elegantiſſimè ſcripſit Leonardus de Capuâ.

Hàc, illàc ſeſe verſat, totiſque repentè,
Rugitu immani, collectis viribus, Euro
Ocyor alato prorumpit, & ungue rapaci,
Vique viam magno venantum ſanguine pandit:
Non ſecus hoſtili vallo concluſus in iram
Magnanimam totus ſurgit Gantelmus: & ingens
Vique, animoque micat, vultuque interritus igneo:
Nunc hùc, nunc illùc ſe mente, & corpore voluit:
Nil humile, abiectumque nihil, ſed magna, ſed alta,
Et præclara agitat, quæ non felicia pugnæ
Compenſare novis poſſint inſignibus auſis.
Proh dolor! his tandem prorumpit, in æquore victor
Non virtute ſuâ, ſed proditione meorum
Mœnibus his Gallus concluſo illudat? adempta
Invidiâ ſi palma mihi: non mens, animique.
Non hæc deſtra potens erepta, & Martius ardor
Ille ego, qui toties Gallorum ſanguine victor,
Et Batavo toties madui, totieſque Sicambro.
Verſus & ad ſocios, ſimul hæc. Fortiſſima bello
Pectora, totque olim magnis experta periclis,
Nunc opus eſt ſolitis virtutem accendere flammis:
Et decus antiquum, & partos reparare triumphos:
Et cumulare novis: per vos, per fortia facta,
Per Ducis & veſtri nomen, devictaque bella,
Fidite ne muris: ferro per caſtra, per hoſtes
Quod minimè rentur, via ſtat rumpenda, pateſcet;
Hoſtibus invitis, virtuti, credite, veſtræ.
Magna quidem, ſocii, vos in diſcrimina rerum
Hortor, & obiicio, fateor ſunt maxima: vobis
Æqua tamen ſunt illa duce & digniſſima veſtro:
Non Cantelmus ego? non vos Cantelmia pubes?
Addite, magna petit Mars, & Fortuna: faventque
Numine concordi magnis conatibus ambo.
Hoc ubi, dat ſignum portæ panduntur: & illis.
Ceu Leo, diffracto de carcere, currit apertum
In campum: ſequiturque retro denſiſſima turba,
Ora omnes igneo, nudo omnes enſe feroces,
Spirantes Martemque animis, & terrificam vim:
Ut procul adventare globum videre, ſonori
Fulminis in morem, perculſi protinus hoſtes
Re mirâ, inſuetâ, plenâque audacibus auſis,
Attonitis cecidere animis: cecidere trementi
Arma manu: nec ſe opponere fortibus auſi,
Res nimirum audax, & non prævisa, vel ipſos
Mole ſuâ fortes exarmat & opprimit ultrò.

Evictis horrore ſuo, & cedentibus ipſis
Spontè ſuâ Gallis aditura; & jam limine fracto
Caſtrorum, antevolat Cantelmus victor; & aſtu
Magnanimo ſervat ſocios, illudit & hoſti -
Nuncius interea Franci vectoris ad aures
It ſubitus; trepidâque refert formidine, denſa
Cantelmus clauſâ erumpens vice turbinis arce,
Victrici ut dextrâ fregit victricia caſtra.
Ille hæc attonitis dum percipit auribus, hæret
Immotus: nec quemquam aggreſſum talia credit.
Mox ſuperata videt dum caſtra, necemque ſuorum;
Indoluit; ſimul hæc: Opus eſt jam credere, quippè
Spectamus factum nos ipſi, & funera noſtra.
Aſt unus Cantelmus erat, qui fortibus auſis,
Hoc tantum tentaret opus: non æqua ſiniſtri
Vincere cui fati arbitria, & meditarier alta
Inſigni virtutem datum, laudemque mereri
Mente acri, magniſque animis, & robore forti.
At quoniam patrui tangit te cura, decoræ
Æmulus & laudis data per veſtigia Martis
Jam campo graderis pugnator, & ardua niſu
Ingenti conaris, & adorea plurima cordi eſt,
Huc, Cantelmiade, propera, præclaraque geſta*
Aſpice, quæ valeant magnis accendere flammis
Bellaces animos, & maxima quæque parantes.
Acer enim ſtimulus magnorum facta parentum.
Fors erit ut tua Parthenia felicia Muſæ
Bella canant, cantuque almis heroibus æquent.
Intereà Vati bellaces ſuffice vires:
Inſtrue & inſuetum pugnæ bellator in arma.

Ut lectitavi, Intelligimus nimirum, inquiunt, cujus gratiâ elegantiſſimum hoc carmen compoſitum, & meritiſſimò, debebatur enim tanto viro, tuique amantiſſimo. Atque hæc dum loqueremur, intereà loci tantus ex improviſo rumor in culina excitatus, ut domus univerſa contremuit, tantuſque derepentè timor incuſſus, ut omnes in proximam ſubdialem ambulationem præcipiti, ut ſit fuga proriperent ſeſe. Erat quippè adhuc animo præſens nupera calamitas, ingens illa ſcilicèt terræ concuſſio, qua tota pene Meridionalis Italia contremuerat. Et nihil propius factum eſt, ut amicorum alter ſuprà modum meticuloſus, ſeſe præcipitem demitteret in hortulum. Cùm verò nullum ampliùs fragorem aure exciperemus: neque parietes circùm nutare,

re,

* Reſtainus Cantelmus Magnus Tormentariæ rei Præfectus.

re; neque ſubter humum tremere videremus : neque ulla prorſus concuſſionis veſtigia extarent : neque tumultus, ut in re tali contigiſſet, ex vicinâ exaudiretur, tùm ego: Panico certè timore correpti nimis citò diffugimus, uſque adeò præoccupatus terrore animus facilè pertimeſcit, mox, ut reſpirandi copia facta eſt, in culinam concedimus, accerſitoque Fabiolo, quid accidiſſet, interrogo. Et ille, cum nos cœlum corruiſſe crederemus, perridiculam fabulam enarravit. Villici, inquit felis, qui præteritâ nocte è creothecâ vitulam ſuffuratus eſt, ab altiſſimo camini ſpiraculo, ex quo fumus evaporat, in focum ex improviſo præcipitatus eſt, cum autem è fumo re vera in flammam, prunaſque incidiſſet, tanto impetu in proximum abacum ſemiuſtulatus exilivit, ut ollas, lances, teſtudines, abacum ipsum ſubverterit, atque contriverit, ipſe verò per feneſtram erumpens ſe dedit in præceps, & ut credo, ſeſe diſrupit. Hoc loco totus rediit ſpiritus, exceptaque eſt fabula non ſine riſu amicorum, quorum meticuloſior, Evax puer, inquit, aſperſiſti aquam, mox ambo de jacturâ mihi aliquantulum condoluerunt. Atqui ego, quoniam ita conſtitutum habeo, ut res humanas, ſuſque, deque feram, atque infra me poſitas arbitrer, quòd ad benè, beatèque vivendum plurimùm conferre didici, nihil jacturâ commotus : eamus, inquam, ut eruditâ confabulatiunculâ animum recreemus, de reparandâ jacturâ, videbimus poſt. Et illi : Miramur equidem animi tui magnitudinem, ſtatimque in apertum deambulacri veſtibulum progredimur.

Fabella de Fele, qui terræmotus ſpeciem excitavit, ac metum Hoſpitibus incuſſit.

Vix dum ſedimus, cum alter amicorum natu major : Quoniam, inquit, bellè incidit occaſio, non abs te erit, ut te rogem, quid de terræmotu ſentias? tuam quæſo ſententiam in apertum profer, nam ipſe, ut planè fatear, antiquorum placitis neutiquam acquieſco. Enim verò, ſi quod Anaximenes arbitratus eſt, concedamus, nempè hujuſcemodi ſuccuſſiones idcircò evenire, quòd nonnullæ terrarum partes improvisò, terrâ dehiſcente, corruant, nemo unus profectò erit, qui, fore ut apparerent hujuſcemodi hiatus, inficietur, quos quidem hiatus Græcus ipſe Χάσμαρα appellat, id verò & ſi eveniſſe aliquando proditum memoriæ ſit, tamen ſemper accidiſſe, cum terra movit, & ſequeretur neceſſariò, nequaquam compertum eſt. Et quæ porrò illiuſmodi ruinarum cauſſæ? eas Anaximenes minimè reddit, An quia cavernoſa tellus cum ſit, ſuperiores partes vel præ nimio humore molliores factæ, vel nimiâ ſiccitate, diſruptis veluti repagulis, diſſociatæ, dehiſcant primùm, mox verò dilabantur? Verùm id ne veriſimile quidem. Quonam enim

Quid de Terræmotu ſentiendum.

Philoſophorum ſententiæ exponuntur.

enim pacto in terrarum penitiſſima irrumpet aqua, ut illas emolliat? Sol verò tàm profundè ſuis radiis deſcendere, ut exiccet, haud quaquam poteſt. Imò verò in Ægypto, ubi tanta à Nilo alluvies, tanta toto penè anno ſiccitas, ubi ſe intra ripas Nilus reduxerit, frequentiſſimè, nedum frequenter terremotus excitarentur, qui tamen ferè nunquam ibi contingunt. Cum item tùm Sarmatia, tùm Scythia continuò vel nivibus obrutæ, vel innatent aquis, terræ molliſſimæ, dehiſcerent ſæpenumerò, quod tamen, nec illarum gentium annales habent, nec parentum traditione pervagatur.

In Sarmatiâ, & Scythiâ Terræmotus rari.

Tùm ego: Egregiè tu quidem; neque qui contrà occurrat. Ille verò. Atque audi, dicam amplius, ut illud planius efficiam. Cui ego: Iſtuc expecto. Et ille: Hujuſcemodi motus ſæpenumerò ad annos, nedum menſes contivantur, quo tempore ſingulis fermè diebus terra movet, ex quo id exiſtit, nimirum innumeras propemodum ruinas excitatum iri, iſtuc verò quam longè abſit à vero, oſtendere omittam, ne nimis hæream in manifeſto. Cui ſtatim ego: Ita res eſt, ut dicis. Ego porrò, ni grave tibi futurum ſit, unum dumtaxat adjungerem. Et ille: Imò rogo, ut lubeat. Tùm ego: Ex terrarum caſu, ſive hic fortuitò ſit, ſive ex cauſsà, magnus ſanè fragor oboriretur, qui quidem, longius, quâm ipſa tùm concuſſio, tùm tremor, exaudiretur, at res ipſa contrarium docet: non igitur ex terrarum decidentium ruinis terræmotus oriuntur. Tùm ille: Ita prorſus: planè enim oſtenſum eſt. Verùm age porrò, rem ulterius penſitemus, & non ſtrictim. Ego nunquam ſic animum induxi, ut quorundam phyſicorum placitum veriſimile crederem, qui aquis jactari terram, quaſi illis innataret, ut ſomniatus olim Heraclitus, dicere auſi ſunt, nempè aquis incremento interdum facto, fluvii, qui terrarum intima præterlabuntur, illarum quasdam partes exundantium vi diſiiciant, illis verò diſiectis, vel ſuccuſſio fiat, vel tremor. Atque id vel ex eo apertè putant conficere, quod ſæpeſæpius in illiuſmodi montibus aquæ, dehiſcente ſolo, prorumpant, quas quidem aquas majori intra terram impetu, quàm extra profluere, ac prævalido magis ariete undarum vim facere, ac perrumpere arbitrantur, non ſecus contra venti vehementius in aëre, quàm terrarum in gremio debacchantur. In hac verò ſententiâ antiquiſſimos Græcorum fuiſſe, qui Neptunum ἐννοσιγαῖον, & σεισίχθονα, nuncupaverunt, atque hinc concuti ab illo terram poetas commentos eſſe: Indèque virg. ceciniſſe:

Examinatur quorumdam opinio de Terræmotus causâ

An Terræmotus ab aquis?

Tuque

Tuque ô cui prima frementem
Fundit equum, magno tellus percuſſa tridente,
Neptune.

antè illum verò Homerum:

Ἀμφὶ Ποσειδάονα θεὸν μέγαν ἄρχομ᾽ ἀείδειν
Γαίησ κινητῆρα, καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσησ

Verùm id eodem recidit, quò ibat Anaximenes, in cujus ſententiam, hi ambobus, ut ajunt, pedibus ire videntur. Sed age porrò, ex concuſſione terrarum erumpere interdum aquas, concedamus, atqui certè exiluere halitus, & fontes exhauſti omninò frequentiſſimè. Tandem haud equidem arbitror plus undas excreſcentium fluviorum, quàm ipſum Oceanum poſſe, qui quamvis valido aquarum impetu perpetuò in terram arietet, non tamen idcircò illam aut nutare facit, aut tremere. Sed omittamus iſtæc abſoleta quippè, & minùs à Phyſicis agitata, quid tu de halitu, ac vapore ſentis? ex his enim oriri terræmotus Peripatetici acerrimè contendunt, nam de his quod ſentiam habeo, quod verò aſſentiar, non habeo, altiùs quid ineſſe puto, ex quo tantus motus oriatur. Cui tùm ego: Haud falsò ſuſpicaris, verùm quia res non curſim, ac ſaltuatim examinanda: & jam tempus ſtomachi halitu oppreſſum caput ſomnulo liberare (ne nocentior hinc motus excitetur) eamus cubitum. Poſt verò, ſomnulum vegetiores facti, rem totam, quando hominem nacti eſtis otioſum, diligenter perpendemus. Tùm illi: Rectè mones, ſtatimque ad meridianum concedimus.

CAPUT II.

Peregrina potio ex mulsâ congelatâ adornatur; mox quæritur, quæ vera ſit terræmotuum cauſsà, quam ignem eſſe pluribus oſtenditur: & eruptione Vulcaniæ inſulæ, aliarumque hujuſcemodi comprobatur.

POſtquam à meridiano ſomnulo ad magnam deambulationis feneſtram animi gratiâ conſedimus, junior amicorum, cui delicatius palatum, & mos erat interpellandi: Nihilne, inquit, Parthenie, exoticæ potionis in ſummis hiſce caloribus popinas? ego cùm Caniculares dies recurrunt ſine mulsâ vivere vix poſſum. Cui tùm ego: Si conſulere vis ſiti ſimul, & valetudini, putei noſtri putam, pu-

Mulſa congelata morborũ origo.

putamque haurito meâ fide. Eſt quippè frigidiſſima, & ſaluberrima: perquâm pauciſſimas enim terræ particulas admiſtas habet, quidquid enim exoticum, ac barbarum eſt, gulæ ſervit, & morborum omnium, quibus ætas noſtra obnoxia eſt, fons, & origo. Ille verò: ah, ah, ah! vah! ut bellè argutaris? nimis tu quippè ad rem attentus. Ego verò: Ita me dii ament, ut non huc ſpectavi, nihil enim antiquius habui, quàm ut erga amicos ſim pro tenuitate mea liberalis. Haud ſanè gallam bibere, rugaſque ventri conducere mihi mos eſt, quocirca morem geram, ut potero quàm citiſſimè; & potionem illam, quam non abs re *Sorbetum* à ſorbillando novi dicunt, conficiam, deindè puerum accerſo: Heus, heus tu, Fabiole? non audis? in quem te angulum abdidiſti? tandem ille: Præſto ſum, inquit, Cui tùm ego: Præſtone? furcifer, te ſæpiùs compellavi, nec niſi modò, reſpondiſti; niſi in poſthac ad digituli crepitum curres, fuſte tibi lumbos dolabo; Quid tu in culina? fatebere, ſi divinavero? Et ille: Apertiſſimè: Tùm ego: De feneſtrâ cum Tubiolo fabulabaris, ſcivin'ego? Et ille: Sic eſt factum, non nego, verum ſeriò; rogabam enim illum, ut aſcenderet, & me purgantem lances adjuvaret; ſiquidem occaſione convivii compluries inquinatæ. Ego verò: Itane, verbero, mentiris? nonne cum illo conveniſti, ut nucibus luderetis? en quomodò manus commurcaſti. Et ille: Non inficior: verùm poſteaquam lances purgaſſemus: nam uti vos viri cum ſitis, animum confabulatiunculâ; ità nos pueri ludo recreamus. At ego. Argutariſne etiam linguacule? ſed de his aliâs inter nos. Age porrò, fac ut Tubiolus tantum ſalis pinſet, quantum iſtæc capit ſcutella, tu verò perge quantocyùs: emitoque tria nivis pondo, heus, cave ne te venditor inter ponderandum non juſto fallat æquipondio, habet quippè adulterinum non ſignatum, imò fac ut auctuarium adjungat, Tùm ille: cavebo diligenter, verùm de auctuario quieſce, homo eſt avariſſimus. Sed numera, quæſo, pecuniam: nimirum tutius eſt mercari Græcâ fide, quàm interpoſitâ. Etenim nivis venditor homo eſt fraudator: & ni ſingulis vicibus ſolvas, cum illas ſupputat, dolo malo mentitur, augetque numerum, id verò nudiuſterius factitaſſe conqueſtus es, ſi meminiſti. & nihil propius factum eſt, quàm ut vapularem, cauto igitur opus eſt, ne iterum in eundem lapidem oſtendam: nam ut ex te audivi.

Sorbetum undè dictum.

Mulſæ præparatio.

Improbè

Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.

tu verò, id tuâ veniâ, & apud te dictum volo, homo es iracun-

iracundulus, & nimium plagoſus. Cui tùm ego: Parumne eſt, furcifer, quod me fefelliſti, ut etiam nunc mendacio, & ſententiolis ludas? illam pecuniam, certò teneo, te ludo amiſiſſe; non audivi te exclamantem Capita, Navia? verùm ut ut ſe res habuit, miſſum facio, en argenteum: quatuor aſſes numera pro nive, ſex, quod reſiduum eſt, ad me reddito; rectène miſi in digitos? Et ille. Rectiſſimè, quis fallat arithmeticum? Tùm ego: Abi citò: & quàm citiſſimè reditò, nam ſi ſecus, experieris quippè, an reverâ plagoſus ſim homo. Et ille: Curriculo curram: volabo. Ego verò: Curre jam, & unum fac curriculum, actutum redi. Atille, ut eſt promptus. Illic ſum, atque hic ſum.

Hic junior ille ita me interpellat: Dic, ſodes, cur Capita, Navia dixiſti, cùm de ludo ſermo erat, cùm apud nos pueri, Capita, Cruces exclamant? nam, ni mea me fallit opinio, vetus quid, & ſcitu dignum in dicto latet. Cui ego: Rectè conjectas, verùm mihi videris Macrobium neutiquam lectitaſſe? Ille verò: Lectitavi, ſed curſim, & ſaltuatim. Ego tùm: Ut hic refert, in Latinorum nummis ex uno latere Jani caput inſculptum erat, ex altero Navis, qua Saturnus in Latium navigaſſe creditur, atq; hinc pueri, Capita, aut Navia exclamabant; in noſtris verò, quia in uno caput, in altero Crux impreſſa eſt, idcirco Capita, aut Cruces clamitant; verùm ad potionem adornandam me vertam. Et illi: Gratiſſimam rem nobis facies. In primis tùm ego fictilem in pelvim aquæ heminam infundo: miſceoque Indici ſalis purgatiſſimi libram unam: ut verò illicò liqueſceret, cocleari aliquantiſper verſo. Hinc tribus Limoniis ſupremum cultello corticem detraho, cortice in fruſtula conciſo in vitrum quàm ampliſſimum mitto, atque aquam infundo, ut hæc Limonii odorem attraheret ad ſeſe, penituſque illo imbueretur, nudata verò Limonia incido, atque utrâque volâ tandiù connixus premo, quoad humor omnis undatim primò, mox guttatim in pelvim diffluxit, hiſce præparatis hoc modo, truſatile vas ſtamneum accipio: cujus orificio linum mundiſſimum impono, quo veluti colo mellitam aquam eliquo, inq; vas transfundo, colatâ mox aquâ, illam promiſcuè infundo in vaſculum, quæ jam Limonii odorem conceperat: addoque paſtillos odoratos dulcarios, tandem anſato vas operculo ſuperintego, atque ad amicos me reſtituo.

Unde ludus quidam apud Antiquos *Capita Navia* dictus, apud nos: *Capita Cruces*.

Ut redii, me blandè, officioſèque rogant, ut ſederem, ac delicatiſſimum ventulum, tùm primitùs perflantem exciperem, quocircà nihil cunctatus conſedi, mox illicò: Age ſis, inquiunt, dum per tempus licèt, ſta in pro-

miſſis: & quæ tua ſit de terræmotibus ſententia, dic planè, nam, ut libera tibi ſentiendi, ita loquendi poteſtatem facimus. Quibus tùm ego. Sto fide, qua ut me planè liberem, rem ordiar ab ovo, cupio enim illam preſſim, & enucleatè penſitare, atque exponere perſpicuè. Illi verò: Iſtuc quammaximè deſideramus, quocirca vacuas tibi aures dabimus, quantum voles. At ego, Attendite igitur: omni ope, atque operâ enitar, ut expleam deſiderium veſtrum.

Quinam motus Terræ accidant?

Duo terræ, vi factâ, motus accidunt: uni pulſui, alteri verò tremori nomen à Phyſicis eſt, hic, ſi per æquata momenta, perque certos veluti numeros fiat, uti minus horroris infert, ita ruinarum minus excitat: ille quammaximè horrificus, & ut ſubitas, ita ingentes ruinas, ac ſtrages creat, ſolet hic ſæpenumero fragore plurimo, bomboque valido, præ magno eunte turbine, derepentè exoriri: ad eum fermè modum, quo venti, quos Typhones vocant, nimbo vehementiſſimo in Oceanum incumbunt. Utrumque hujuſcemodi telluris motum experti ſumus anno MDCLXXXVIII.

Samnii Beneventique in primis ruina à Terræmotu.

quo pleraque Samnii oppida cum ipſo Principe Benevento, non minus horrido, quam lacrymabili caſu ceciderunt anno item proximè elapſo, quo totius Apennini tractus, qui Picentinos ab Appulis, Lucanoſque diſterminat concuſſus eſt, innumeraque oppida, magnâ mortalium cæde dejecta, ac penè ſolo æquata ſunt. Uterque nobis non minus timoris intulit, quam damni; adeò ædes tùm publicæ, tùm privatæ labefactatæ, & nonnulli etiam mortalium ruinâ oppreſſi. Præterea te ſæpè compertum, terram principiò intus vi pulſam ſubſilire: mox tremere, ac concuti, quaſi hàc, illàc impelleretur, quinimò eò loci, ubi origo illiuſmodi motuum eſt, terram ſubſultare, in remotis verò dumtaxat tremere, atque oſcillare.

Ignis ſubterraneus Terræmotuum cauſa.

Hîc illi. Quæ hactenus poſuiſti, in aperto ſunt, perge porrò: cætera expectamus. Tùm ego. Pergam illicò quo cœpi, ut verò efficiam, quòd inſtitui, velim mihi concedatis terras undique cavernoſas eſſe: inque cavis hiſce terrarum igneam ineſſe materiam, quæ, ſi non continuò, compluries certè accendatur, atque exardeſcat. Tum illi: Iſtuc à nobis nullo negotio extorqueas, habemus enim experimenta certiſſima, & teſtes omni exceptione majores, Veſuvium, Phlegram, qui perpetuis ferè ignibus id atteſtantur, & ut fidem illis adhibeamus, quà fragore quà incendio, nos adigunt. Nec longè Vulcanus eſt, & omnium, ut ambitu ampliſſimus, celſiſſimus jugo, ità flammis, atque incendiis celeberrimus Siciliæ mons Ætna, omittimus alios, quos Geographi commemorant, inque ſuis tabulis graphi-

cè

cè pingunt : qui profecto non te latitant. Tùm ego : Si iſta concedatis, & concedenda ſanè ſunt, quis veſtrum ibit inficias, igne terras, nutare, ac tremere ? Tùm illi : Te huc venturum jam ſuſpicabamur, ſed quam inibis viam, ut id efficias ? Ego vero : Hanc, & quidem compendiariam : In cavis terrarum ignis eſt, & ſæpenumero accenditur : cùm verò violentiſſimus ſit, & accenſus immenſum ſanè locum ſuapte naturâ ſtatim occupet, qui cùm intra terras non ſuppetat, vi factâ, erumpit in aerem, terramque vehementiſſimâ vi pulſat, montes ſubmovet, rupes intorquet, vaſtoſque hiatus ſibi molitus iter, aperit. Quam quidem ſententiam nolo putetis meum eſſe commentum, & recens conflatum : fuit quippè antiquiſſima, cumque ipſis poëtarum myſteriis, dicam veriùs, quàm fabulis, nata. Quid enim aliud ſibi voluere, cùm concuti à Vulcano, pulſarique terram confinxere, quàm oſtendere ignem eſſe, qui ſubterraneis incluſus ſpecubus terrarum fundamenta ſuccuteret ? Ita pariter, ut author eſt Seneca, opinatus eſt Anaxagoras: *In inferiori*, inquit, *parte* (terrarum ſcilicet cavis) *ſpiritus craſſum aërem, ac in nubes coactum eâdem vi, qua apud nos nubila frangit, ibi in obvia incurrit exitum quærens, ac divellit repugnantia, donec per anguſta, aut nactus viam exeundi ad cœlum, aut vi, atque injuriâ facit*. In quam quidem ſententiam it etiam Plinius. *Neque aliud*, inquit, *eſt in terrâ tremor, quàm in nube tonitruum, neque hiatus aliud, quàm cum fulmen erumpit*.

Probatur hæc ſententia.

Tùm illi : Aſſentimur, etiamſi id tu nullo exemplo diceres. Eſt enim res apertiſſima. At ego : Verum licèt confirmare etiam exemplo, ſumpto à ſimilitudine argumento. Et illi. Cedo, inquiunt, excipiemus auribus lubentiſſimis. Tùm ego : Concipite animo eam belli machinam, quam cuniculum vocant : qua quidem ad eruendas funditus arces momento uno nullam certè validiorem ætas noſtra, harum machinarum inventrix cæteroqui ſolertiſſima, excogitavit. In primis, (ut illam graphicè ponam ob oculos) effoſsâ paulatim humo, ſubter tellurem meatus aperitur, cui cuniculo eſt à militibus nomen, qui eò uſque obliquo ductu excavatur, quoad ſub mœnia perventum eſt, hic cellula præ ſe teſſeræ formam gerens, niſi quod ſuperiùs ſit fornicata, conſtruitur, illius ſinus tantæ ſit amplitudinis, quantam pulveris copia ibi collocanda, & quæ ſatis ducitur ad diruenda mœnia, exigit. Iſtic verò pulvis vel doliolis, vel ſaccis incluſus, collocatur in cellulâ, cui poſtquàm fatale pignus concreditum, os illi ſtrictè concludi tur, uno tantùm ductu perexiguo relicto, quo tormenta-

Atque exemplo confirmatur.

Quanta in cuniculis à pyrio pulvere, accenſo vis.

ria reſtis ab exteriore meatu in cellam intromittitur : Ut opus ad unguem adfectum eſt, igniarius funiculus accenditur, qui, ſenſim ſerpente flammâ, poſt conſtituta temporis momenta, ignem jacit in pulverem, hic ſimul ac in ſeſe ignem excepit, tõtus continuò deflagrat : atque inſolens anguſto cellæ ſinu contineri, immenſam penè in amplitudinem rarior factus, excreſcrens (ajunt enim millecuplo majorem fieri) tantâ vi, tanto impetu in apertum derepentè connititur, ut terram, mœnia, cunctaque ſibi obſiſtentia perrumpat, atque in altum divulſa contorqueat, idque verò tanto fragore, ac bombo, ut longè, latèque aër horrendum in modum immugiat : tantâ violentiâ, concuſſioneque, ut tellus quàm longiſſimè diſtans tremat, ac titubet. Huic verò motui, qui igniariis machinamentis ad belli uſum excitatur, haud quaquam abſimilis eſt ille, qui fit artifice naturâ, nec ſanè aliâ ex cauſsà progigni putandum eſt, quàm ex igneâ materiâ, quæ in cavernis terrarum, quaſi cellis continetur, & plurima; quippè quæ in dies adnaſcitur, atque accreſcit. Hîc illi. Perſpicuum quidem exemplum, quo res manifeſtiſſimè comprobatur. Verùm age : cedo, quæſumus, ſi quid hujuſcemodi habes in Bellicis. Tùm ego : Habeo certè, ſed nondùm ad unguem caſtigatum. Illi verò : Utut ſit, nobis erit acceptiſſimum, tenemur enim pulegio carminum tuorum. Et ego : Si tantùm vobis tolerantiæ, atque otii eſt, ut vobis meos centones farciam, audite.

cavo ſed jam flagrante camino
Ingenti ſonitu : ceu cum ſtrepit aëre fulmen
Excuſſum, & magno cœlum tonat omne fragore :
Ilicet erumpit vis ignea, vaſtaque multo
Mœnia projectat niſu : rapit omnia magno
Turbine flammarum, nimboque involuit opaco :
Ut cum materiem ſub vaſtis Ætna cavernis
Tempore congeſſit longo, calefactaque flammas
Concepit, rupto confeſtim viſcere Montis,
Immenſam jacit in cœlum ſuccenſa ruinam,
Et tegit horrificâ ſub tempeſtate, propinqua
Tum Catanæ concuſſa tremit : tremit omnis ab imo
Cardine Trinacria, & circùm Thetis acta remugit.

Iſtæc cum de arcium oppugnatione; quæ jam jam ſubjungo, rem magis explicant, & quæſtiunculæ apprimè conveniunt. Excerpta verò ex II. Lib. in quo de pulveris pyrii opificio non ſtrictim agitur, quem primitùs ad Veſuvium adinventum eâ, qua ſolent libertate poëtæ, confingo.

Pulveris pyrii Inventio poeticè ficta.

Hæc

Hæc loca, quæ vaſtis fervent incenſa caminis,
Dum terræ humorem recoquunt, præmolle bitumen
Et denſam emittunt ſpumam, quam ſulphura noſtri
Appellant; quorum glauco vix lumine flammæ
Prælucent; ſpatium nec multum accenſa repoſcunt.
Hæc ſed vena nitri, quæ ſub telluris opaco
Concreſcit gremio, umbroſiſque meatibus, undæ
Quos nullæ ſubeunt dulces, nec Solis aprici
Deſcendit vis ulla: nitro bis, terque recocto,
Naturâ purgante, creatur fulmineus ſal.
Sulphure ſal miſtus glauco, & cum pumice trito
Materiam facit horrendam, quæ flammea mille
Semina ſunt, rapida quæ candeſcente favillâ,
Corripiet, cæcis ſi qui latet abditus antris,
Aut ſi qui nimio fervore eruperit, ignis.
Momento in flammas abeunt rariſſima: & ingens
Latè implent ſpatium, cum perruptura ſupernè
Ingenti tonitru, & cælum obductura tenebris.
Scilicet id, quoniam nonnunquam concita tellus
Horrendum nutat, penitiſque excuſſa cavernis,
Sæpè aperit montes, & flumina ſorbet, & urbes
Sternit humi, ſummoque à vertice deicit arces.

Ut recitavi, tùm illi: Non eſt cur amplius caſtiges: eſt enim opus expolitum ad unguem. Sub hæc Fabiolus cum nive expectatiſſimus advenit; etenim quia jam Zephyri, inclinante ad occaſum die, poſuerant, æſtus ſupra modum incaluerat. Cui, ſimulac vidi: Adeone tardè, ceſſator? tu monitis nequaquam proficis: faciam profectò, ut poſthac tete ocyùs moveas. Et ille: Nivis, inquit, venditor aleator peſſimus, adeò erat affixus ludo, ut nullo pacto, etſi hominem precibus oneraſſem, niſi re tandem profligatâ, pecuniâque decocta, ab aleis divelli potuit. At ego: Etiamne mentiris, inepte, quaſi nunc te noverim? Ille verò nimis audaculus: Si iterum hac me ignominiâ afficies, reſtim emam, quid fiet inde, intelligis. Tùm ipſe: Tun'furcifer, tantum audes? I, verbero, affer ſal tunſum, & ſecurim unà, ut nivim tritem. Hinc ad amicos: Recreamus nos frigidâ: deinde, ſi per otium licebit, quæſtiunculam abſolvemus. Illi verò: Iſtuc quammaximè optamus, de quæſtiunculâ non ità valdè labores: res enim confecta, & quidem manifeſtiſſimis argumentis. Nil igitur cunctatus ad potionem adornandam me confero. Dimidium nivis minutim attero: ſpargo deſuper ſalis plurimum, mixtimque permiſceo, mox truſatile vaſculum jam aquâ Maſſilicâ benè plenum in aliud ex ſubere, intuſque picatum, intrudo, poſtea

verò

verò inter utrumque, quod vacuum erat, nive repleo; dextrâque apprehensâ vaſis anſulâ circumago, & verſo, ut ſic nix motu agitata fieret acutior, & quantocyùs aqua frigeſceret, ubi verò verſavi aliquantiſper, manus lavo: illas enim penetrabile nivis frigus, ut ait poëta, jam penè aduſſerat, quibus mox panno deterſis, os, quod in inferiore parte ſuberei vaſis erat, educto epiſtomio, recludo, ut ſcilicet illâc liquatæ nivis aqua difflueret, ni facias, illa ſuperefflueens in vaſculum truſatile immittit ſeſe, mulſamque conſpurcat, ut demum effluxit, os iterum occludo, exin, ut verſavi rurſus aliquantulum, operculum attollo, atque introſpicio; ſi aqua cœperat indureſcere, quia verò circa vaſis latera, jam congelaverat, cocleari gelatam diſrumpo, atque ab latere divello; ut ità reliqua nivis ritu citiùs congelaſceret quo adfecto, vas operculo, reliquum nivis comminuo, permixtoque ſale, in vas mitto, deindè tandiù vas verſo, quoad aqua omnis tanquam grando concreta eſt, tùm demum, amicis accerſitis, expono in menſula tria vaſcula mundiſſima ex cryſtallo lactea, quæ Venetiis coëmeram, cùm Italiam perluſtrarem, quæ mox vaſcula, ità largiter impleo, ut major gelatæ pars ſupra illorum labra, penſilis quaſi glacies extaret, adeò nimirum aqua præ frigore concreverat. Illa poſt deindè amicis porrigo, quæſoque, ut delibarent. Illi dum vaſcula accipiunt: Tu largè, inquiunt, liberalis; hinc ut dulciſſimam æquè, ac delicatiſſimam nivem prægustarent: Nihil ſanè ſuprà eſſe poteſt, ambideſter tu quidem, ajunt; & calida ſimul, & frigida ſcis quàm ſcitiſſimè adornare. Poſt ubi ſenſim ſorbillando vaſcula exhaurivimus, ego alterum ſingulis propinavi: mihi verò minimè, quòd cùm animadverterent. Cur, inquiunt, nihil admodum tibi repoſuiſti? Quibus ego: Quia id genus potionis, ſi modum ſuperet, ſtomacho nocet, & meo præcipuè, quippè frigidiſſimo, ut cibum vix decoquat. Atque hinc ego plurimos oriri morbos, & in primis luem hypocondriorum, qua nulla id ætatis nocentior, exiſtimo; quare illos neutiquam laudo, qui adeò intemperanter huic potioni indulgent, ut interdum ſupra decem vaſcula ingurgitent verius, quàm ſorbillent, iſtuc autem haud quaquam ſitis eſt, ſed gula, neque id fieri ſine piaculo poſſe crediderim: quamquam non adeo ſim ſcrupuloſus. Verùm ſaltare axtra chorum neque otium eſt, neque expedit. Sedeamus iterum. En ut jam rurſus Zephyri ſpirant molliſſimi, atque expoſitæ quæſtiunculæ finem tandem aliquando faciamus, ea enim hora eſt, ut properandum cenſeo: Tùm illi: Si ità tibi quadrat, pergito: nos hic ſumus

Sorbetam conficitur.

Quare hæc mulſa nocet ſtomacho.

Tùm

Tùm ego orationis filum ſtatim reſumo, & telam, ut dicitur, ordior hoc modo.

Terræmotus igitur (quod mihi à vobis jam ultrò conceditur) magnus eſt naturæ cuniculus, inſtructus, ut credo, ad domandam hominum pervicaciam: etenim vindices noxarum Superi haud ſanè majus quid habent ad ſontes mortalium puniendos: quippè quo vel uno, eodemque momento non urbes tantùm, ſed regna concutiunt, concuſſa ſubvertunt, ſubverſaque in dehiſcentium terrarum ſinu abſorbent. Quod verò in illiuſmodi cavis illa inſit materia, ſulphur nimirum, ac bitumen, cæteraque hujuſcemodi, quorum terræ viſcera quàm feraciſſima ſunt, ſic planè perſpicuum efficiam. Proditum memoriæ eſt ex hiatibus, qui plurimi ob motus terrarum patuerunt, ſulphureum ignem erupiſſe: & tantâ interdùm graveolentiâ, ut viventia enecuerit, fateor, & quidem ſincerè, anno MDCLXXXVIII. magnum me ſulphuris odorem, odorem autem? imò fetorem ſenſiſſe. Eram quippè tùm cum amico in templo domus noſtræ, ubi major & vis, & ruina fuit: & propè eſt factum, ut ſuperbiſſimi Tholi caſu oppreſſus perirem; ut vos non latet. Hîc illi: Scimus equidem: & ut primùm de te ſolliciti dolebamus, ita mox Superis gratias egimus, quo te nobis ſoſpitem reddidiſſent: & precamur, ut ſervent quàm diutiſſimè, ſed perge modò reliqua. Quibus ego: Eò contendam. Id ipſum, quod expertus ſum ego, ab aliis etiam viris, & fidei integerrimæ in aliis terrarum concuſſionibus, quæ in noſtram ætatem ceciderunt, obſervatum eſt. Quin etiam ex ignivomorum montium incendiis manifeſtum eſt, ex illis enim immenſam ſulphuris copiam erupiſſe compertum eſt, quocircà colligi apertâ ratione poteſt; accenſo ſulphure, ac nitro terras ſubmoveri. Hîc illi: Et his facilè à nobis aſſenſum impetras. At age porrò, qui fit, ut terra dùm movet, aliquoties ſubſultet, aliquoties verò tremat? Quibus tùm ego: Jàm iſtuc dicturus eram: audite paucis, intelligo id vos cupidius appetere. Cùm accenſus in cavis terrarum ignis quamplurimus: neque vaſti meatus patent, quibus ultrò, citròque veluti lymphatus excurſans iram expleat ſuam, ſenſimq; remittat, tùm illicò in apertum molitur iter, incumbentemque deſuper terram, atque obſiſtentem ſibi, ne liber exiliat, multa connixus vi ſubmovet, hæc ſurſum impetu ſubmota ſubſilit, ſuccutiturq; ille victor, ceu partæ victoriæ triumphum canens, bombum edit horriſonum: illa verò illatam ſibi injuriam fragore conqueritur, quoniam verò opus eſt in latera; ſimul utrinque recedere, ac dimoveri.

Magna ſulphuris copia ex terræmotibus erigit.

veri, indè fit, ut remotis in locis tremorem tantum efficiat. Poſtea verò quàm, ſibi quà viam vi fecit, erumpere cœpit ignis, non amplius tùm terra ſuccutitur, ſed fluctuanti ſimilis hàc, illàc motat latus, & quodammodo oſcillat. At ſi, vel accenſus ignis non tantus, vel ampliſſimæ cavernæ pateant, quibus debachatus iram excrat, atque exerceat, tunc, obtuſo veluti mucrone, cœſim ferit: hinc tellus intus jactata tremit, nutatque in latus, quà igneus illam impetus impellit. Tùm illi. Et iſtuc tenemus, quippè ad liquidum exploratum. Sed perge, quæſumus, ulterius. Profundène hujuſmodi cuniculus, an propè ab extimâ ſuperficie terrarum inſtruitur? Quibus tùm ego: Id certò definire haud facilis eſt negotii, attamen profundè crediderim iſtæc incendia ſuſcitari, qua verò ratione in hanc ſententiam inducor, accipite. Compertum illud manifeſtò habemus, cùm hujuſcemodi concuſſiones fiunt, immenſos penè terrarum tractus nutatione jactari. Etenim terræmotu (unum è multis, ne longius exemplis oratio pervagetur, quàm notiſſimum, ac novum carpam) quo Catana urbs nobiliſſima, plurimæque urbes, oppidaque innumera aut deleta funditus, aut miſerabilem in modum labefactata, non ſolum univerſa Sicilia, ſed Italia ipsa, ipſa Africa, & quotquot circùm Inſulæ; & quidquid inter Italiæ, Africæq; litora maris interfluit, concuſſum, atque jactatum eſt. Jam verò, ut vis illa ignea tam vaſtum terrarum, mariſque ſpatium dimoveat, atque convellat, neceſſe eſt, ut altius, quo prævalida magis ſit, vim tantam moliatur, nam ſi propiùs ab extimâ terrarum ſuperficie, vi factâ, conniteretur in aërem, erumperet illicò, neque tot terras, tot maria ſubmoveret, atque hàc, atque illàc incita propelleret, id verò pientiſſimæ conſilio naturæ factum exiſtimo, ne ſemper certas mortalibus ſtrages vicinus ignis inferret: qui dum longè ſubmotus, magnamque telluris molem obſiſtentem ſibi patitur, latiùs diffundit iram ſuam, quæ collecta foret nocentior, & dum plures aggreditur, ad ſingulos impotentior eſt. Neque verò propè ſuperficiem interdum accendi negare auſim, cum exploratum pariter ſit aliquoties non longum terræ ſpatium contremiſcere. Enim verò (eodem militari cuniculo rem approbo) ſi altiùs ſub mœnia foculus inſtruitur, non unam propugnaculi aciem, non ſaxeum ipſum agerem: ſed omnem murorum ambitum, arcemque univerſam concutiet, atque convellet: ſi verò tàm propè à ſuperficie fabricetur, projectabit quidem propugnaculum, tantum vero telluris nequaquam dimovebit. Hic illi: Habemus & hoc perſpicuè: Ita enim res eſt, ut dicis. Age porrò ſis (quæſumus tamen

Catana urbs à Terræmotu labefactata.

Quare modò Terremotus magni, modò innoxii?

ut

ut parcas ; ſi te tot interrogatiunculis fatigamus) & cur perquàm raró terræ concuſſiones cadant ? & cur item cum cœperint, iterentur identidem, & ad annos durent ? Quibus tùm ego: Ea cum vobis mihi gratia eſt, ut veſtris interrogationibus minimè graver . Quibus ut faciam ſatis, Ajo materiam illam, quæ igni pabulum ſuppeditat, quàm tardiſſimè generari: atque hinc fieri, ut eveniant raró quoniam veró non uno , eodemque loco , ſed diverſis, veluti ſparſim, progignitur; idcircò non tota ſimul accenditur, ſed modò hæc pars, modò illa: modò major, modò minor; ut compertum in ignibus artificialibus habemus: qui quoniam ob oculos verſantur quotidiè, omitto, atque iſtuc in cauſsâ eſt cur iterentur ſæpè: & cur modò validiores, modò remiſſiores fiant . Hîc illi: Aſſentimur prorſus, res omnis planè confecta eſt.

Tùm ego Fabiolum accerſo, jubeoque navicularium advocare, ut cymbam inſtrueret, deduceretque in mare, ad amicos mox: Ne cogamini totum, quod hinc Maſſam ad delubrum iter eſt, pedeſtres conficere, magnâ certè defatigatione, ac ſudore in hac æſtate calidiſſimâ: meâ vos cymbulâ excipiam, atque hinc ad Pollii ſinum deducam; ex quo brevi poſtea compendio domum pedatim , & ſine laſſitudine venietis. Tùm illi: Hoc ſanè unum deerat , ut tuæ benevolentiæ, qua nos excepiſti, coronidem imponeres, certè nobis rem gratiſſimam æque , ac ſalutarem facies: qua, etſi cæteroquin multis nominibus obſtrictos, implicatiſſimos habeas. Quibus tùm ego: Quidquid id eſt officii, debitum ſanè veſtræ humanitati; quando me in hoc ſolitario receſſu degentem inviſere dignati eſtis, & quà præſentiâ, quà colloquiis recreare . Mox omnes ad mare perreximus, quia veró jam in promptu cymba erat, & nautæ expeditiſſimi, ſtatim conſcendimus: jubeoque navicularium rectâ in Pollii ſinum contendere, cùm enim veſper appeteret, nolebam longiori viæ impendio per Surrenti oram tempus inſumere.

CAPUT III.

Poſſe interdum vaporibus attenuatis terræmotum excitari veriſimile: id verò ipſum ignis etiam ope, & operâ fieri manifeſtè efficitur.

De Terræmotu iterum diſputatur.

DUm veheremur, amicorum natu minor, quippè qui humanioribus literis operam impensè navaverat, ita me pro more interpellat: Quando & temporis pluſculum, & otii ſupereſt, liceat mihi per te, nonnulla percontari, quæ aliquot mihi in animum ſcrupulos injiciunt: quos ſi efficies, ut deponam, rem ipſam, quam pronuper putavimus, perſpicuam reddent omninò. Cui tùm ego: Imò rogo, ut aperias: contendam pro viribus te illis expedire. Tùm ille: Si igne terra ſuccutitur, cur tu Nauticorum V. ſic cecinisti?

Heſperiæ fines juxta, Siculumque Pelorum,
Quà modico terras æſtu ſecat unda revulſas
(Nam, ſi vera canunt, quondam fuit utraq; tellus
Una: ſed ingenti mox terræ concita motu
Diſſiluit, vapor è gremio Telluris ad auras
Erumpens tantam potuit feciſſe ruinam)
Itque, reditque mare, & lunaribus æſtuat horis.

Pontani de Terræmotus causâ ſententia.

Præterea Pontanus noſter, dùm terræmotuum cauſſam ſolerti, ut ſolet, diligentiâ, in Meteoris veſtigat, ſpiritum eam, ſeu vaporoſum halitum tandem eſſe dicit: canit enim hoc modò:

Ergo incerta ferens raptim veſtigia anhælus
Spiritus, incurſat nunc hùc, nunc percitus illùc;
Exploratque aditum inſiſtens, & ſingula luſtrat.
Si quà fortè queat vicinis erumpere clauſtris.
Interea tremit ingentem factura ruinam
Terra, ſuis quatiens latas cum mœnibus urbes;
Diſſiliunt avulſa jugis immania ſaxa,
Procumbunt turres, ſternuntur funditus arces;
Magnorumque cadunt templa impolluta Deorum;
Excidium ut magni jam jam timeatur Olympi.

Quod quidem ipſum ſimilitudine ab humano corpore deprompta tùm inſigni, tùm eleganti explicat ſimul, & confirmat:

Hoc etiam, ut magna à parvis cognoſcere poſſis,
Cernere erit, noſtro quoties in pectore ſiſtit
Spiritus: ac tenuem neque dat, neque ſuſcipit auram.

Tum

Tum velut interceptâ animâ, tremor occupat artus.
Pugna intus: micat extremis in partibus horror.

Subindè verò iſtuc adjungit:

Ergo ubi collectis immenſum ſe viribus auræ
Crebreſcunt, via fit, ruptiſque meatibus efflant,
Antra ſonant, mugitque ſolum, valleſque reſultant,

Quinimò, ut dicam etiam ipſe, quod ſentiam, quemadmodum valet ignis præ raritate major effectus; atque idcircò majorem ſuaptè naturâ locum expetens, ut in cuniculis facit, terram movere, & ruinas quàm maximas inferre: cur non id pariter quibit ſeu vapor, ſeu halitus, ſive ipſe aër, vel in vaporem, vel halitum attenuatus efficere? Enim verò ut egregiam ipſe à bellico cuniculo ſimilitudinem confirmandæ rei gratiâ in medium protuliſti: ità ego aliam ab Æolipila poſſem producere, quam quidem abs te didici; cum non multis ab hinc annis nos Meteora docebas: & quo pacto Naturæ æmuli poſſemus excitare tonitrua. Etenim, ſi pilam æream mihi comparem (cui à vento, quem emittit Æolipilæ nomen eſt) eamque aquâ ad medietatem repleam mox arctè concluſam ferventem in ignem projiciam: ſcindetur haud dubium non multo poſt pila, magnumque fragorem, ſimilemque tonitrui conciebit, id autem ideò uſuvenit, quia aqua in vaporem attenuata majorem ſuoptè ingenio locum affectat: quocirca anguſto pilæ ſinu inſolens contineri, vim facit, pilamque diſrumpens in apertum victrix antevolat, id ipſum verò, quod in Æolipilâ planè experimur, cur evenire eodem prorſus modo, non poterit, cùm terra movet? nempè incluſus vapor aditum ſibi quærens ſurſum connititur, ruptiſque terrarum clauſtris, erumpit, concuſſionemque facit, hunc igitur in modum reapsè fieri negandum non eſt, Hæc ille, cui tùm ego: Acutè nimis, & eruditè, & ut humanum hominem decebat; verùm ab his me facilè extricabo. Et primùm (quando meis me verſiculis urges) Poëtæ ſatis eſt, ſi quod carmine docet, probabile ſit; habeatque patronos ſuos, imò ſæpènumero ad pervulgatas ſe ſe opiniones accomodat. Sed quid tergiverſari opus eſt? Fatear apertè, ut ſoleo, hærebam adhùc id temporis in hæreſi Peripateticorum. Ut enim in reliquis Ariſtotelem laudo, quippè virum, & intelligendi acie, & ſcribendi facilitate magnum, ità hac in re, & compluribus Mathematicis, non audio. De Pontano quid dicam? id ipſum ſcilicèt apertiſſimè aſſerere, quod nos arbitramur, illis verſiculis, quos ad rem præſentem, quaſi divinarem futurum fuiſſe, ut à te percontarer, nuper memoriæ mandaueram, dum elegantem poëtam lectitarem.

A vaporibus attenuatis oriri poſſe Terræmotum, probatur Æolipilæ exemplo.

Prætereà ſæpe occultis fornacibus ignis
Æſtuat, involuitque globos, ſi quà potis extra
Rumpere, & impoſito luctans ſub pondere ſævit
Improbus, attollitque elato vertice colles.
At poſtquam ſuperas victor pervaſit in oras
Spiritus immiſtus fumo, & caligine denſâ,
Pulveream ſpargit tremefacta per oppida nubem,
Immundam, & cinerem jactat vicina per arva.
Æoliam fama eſt Lyparen de rupe propinquâ
Hoc ſenſiſſe malum, & lucem doluiſſe negatam.

Viden' ut nobis apprimè favet? imò rem comprobat experimento, cùm ait:

Lyparen de rupe propinquâ
Hoc ſenſiſſe malum.

Vulcania Inſula e medio mari emerſa terrarũ jactatione, ignes evomuit.

Etenim ſub mortem Africani immani terrarum jactatione è medio mari, quod Æolias alluit; inſula emerſit, quæ ab igne, quem evomuit, ſibi Vulcaniæ nomen fecit. Hæc eadem anno CXLIII. Nonis Febr. tantum ignium eructavit repentè concuſſa, ut tota Sicilia: proximaque Italiæ litora contremuerint. Eſt & in Ægeo mari Thereſia abs Thera ingenti quondam concuſſione divulſa: quam quidem inſulam quaſi enatam anno IV. Olympiadis CXXXV. partimque ambuſtam igne, partim verò viridem, ac feracem apparuiſſe Plinius refert. Quin etiam ſuperiori ævo hanc proptèr inſulam magnâ primùm aquarum fluctuatione, mox effervescentiâ, fremituque ignis repentè erupit, qui tantam pumicum ambuſtorum copiam ejectavit, ut altera ex illis inſula coagmentata ſit, illud verò in hujuſmodi inſularum eruptione mirum oppidò eſt, principiò nimirum terram intumuiſſe, aſſurrexiſſe deindè in colles, tandem perfracto dorſo, ruptis quaſi repagulis, ignem erupiſſe; id ipſum in Heraclæâ Ponti cecidiſſe traditum memoriæ eſt. Ex his autem nonne perſpicuè conficitur tantorum motuum ignem auctorem eſſe? Tùm ille: Ita enim verò, ſed ut conjicio igne etiam Æolipilam diſſilire dices. Cui tùm ego: Rem ipſam putaſti. Nam, etſi non negaverim poſſe nonunquam, quemadmodum in Æolipilâ evenire, vel oculis ipſis apertiſſimè contemplamur, incluſum vaporem attenuari, atque excreſcere: & ſic indocilem inter anguſtias contineri, vim derepentè moliri, iter meditatus, terrarumque clauſtra perfringere: atque in hunc modum interdum moveri terras, ac diſſilire, nihilominus id ipſum ſine igne fieri nequit omninò, ſiquidem vapor ille factus præ tenuitate major, terramque ſubmovens obſiſtentem ſibi, ſcindenſque, ut erumpat, ſeque explicet in apertum, nonne tenuior excreſcit

Aliæ Inſulæ hoc pacto enatæ, & ignivomæ.

Ab Igne Terræmotũ fieri iterum oſtenditur.

ab igne? Quippè inquies; nam ſi neges, eâdem Æolipilâ, ut concedas, efficiam: nonne illa excandens ab igne incluſam in vaporem aquam attenuat? dabis certè quidem. Et ille: Do enim verò, atque concedo: res enim eſt perſpicua. Ego verò: Si igitur interdum vapor terram quatiens diffringit, ac ſubmovet, vel id effici ab igne concedendum eſt. Quinimò cùm incaleſcens vapor paulatim rarus fiat: & poſſit intereà paulatim etiam per terrarum rimas (poros Phyſici Græco vocabulo dicunt) exilire, haud equidem facilè terram concutiet. Ignis verò totus, quantus quantus eſt, illicò conflagrat: & cùm totus per poros nullo modo poſſit confeſtim erumpere, aptior erit ad terras ſubmovendas vi ſuâ, qua repentè connititur: Poſtremò ut hactenus dictis fidem ulterius adjungam, vel hoc argumentum producere neque mihi grave, neq; audire vobis ſit. Anno MDCLXX. XI. kal. Julias quidquid Galliarum Pyrenæos, & Lemovicum interjacet, orribili concuſſione jactatum eſt: quo terræmotu illud cecidit oppidò mirum, & rarum admodum, Balneæ nimirum calidæ, quæ proptèr Pyrenæos erant, diſſipato derepentè calore, deſierunt; neſcio majorene admiratione incolarum, quàm damno, iſtuc verò nonne ideò eveniſſe putandum eſt, quia nempè ignes ſubterranei, qui aquam calefaciebant, vi factâ, erumpentes diſperſi in aërem abierunt? contineri ergo in terrarum ſinu ignes, atque ab his dimoveri terras manifeſtum omninò eſt. *Balneæ calidæ à Terræmotu perierunt propter Pyrenęos, ſequare.*

Hæc cum dixiſſem, in Pollii ſinum perventum eſt, hîc cùm amicos in litus expoſuiſſem, ac vale dixiſſem, jubeo navicularium verſoriam capere, tandem tardiſſimè domum reverſus ſum.

CAPUT IV.

Circa nonnulla de terræmotibus ſcitu digna, occaſione ab illo capta, qui accidit anno MDCXCIV. *pluribus diſputatum.*

Recurrebat September anni MDCXCIV. dieſque Virginis Natali Sacer, mihique verò perquàm lætiſſimus, quippè quo ſacræ militiæ nomen dederam, qui quidem in anni æſtate calidiſſimâ perquàm ſerenus, pacato cœlo, tranquillo mari, temperieque illuxerat placidiſſimus, quin & memoria ipſa amœnâ amœnitate amœnum, luculentumque reddiderat: quo tempore ruſticabatur mecum in ſurrentino Quartus Manius. Cùm à prandio ad Hypæthræ veſti- *Terręmotus horribilis Anno MDCXCIV. deſcibitur.*

bulum, quo nihil amœnius, nihil alſius, nihil proſpectu jucundius, ſederemus, Zephyrique, qui ſpirare cœptaverat, delicatas auras animi gratiâ caperemus, ad me Quartus: Quoniam Natalis eſt Virginis liceat per te mihi Eclogam illam lectitare, quam in Virginis Natalitium conſcripſiſti: teneor enim ſtylo tuo ſimplici, Virginemque colo præ reliquis. Cui tùm ego: Laudo ſtudium tuum erga Virginem, quam majores noſtri impensè dilexerunt. Sed cur non Actium potiùs de Partu Virginis, à cujus nitore, ac majeſtate carminis tantùm diſto, quantùm æra lupinis, ut dicitur? Ille verò: Actium legemus cùm Partus erit Virginis, nunc verò Natalis cùm ſit, Eclogam illam lectitabo. Tùm ego; Quando ità tibi ſedet animo; per me nulla eſt mora. Liber eſt in armariolo cubiculi mei, minorem in formam jam tertiùm excuſus. Imò verò quartùm; tùm ille. Audivi enim à Galvæo tuo è Galliâ redeunte librum prodiiſſe è typis Batavis. At ipſe: Retulit mihi etiam iſtuc Galvæus: verùm ego ab amicis, qui ſunt in Belgio, id minimè accepi. Ut verò librum ab armario deſumptum detulit. Cur, inquit, Batavicè potiùs, quàm Gallicè compactum maluiſti? Cui tùm ego: Quia hujuſcemodi compactio, & elegans, & perpetua, totumque explicare librum facilè permittit: ubi verò concluſeris, non hiat. Gallica, etſi videatur ornatior, præ tineis citò corrumpitur. Patavina, præterquàm quod tineis interdum ſcateat, haud quaquam commoda ad librum expeditè aperiendum, nec hiatu caret. Tùm ille: ſcitè tu quidem, & accuratè: mox Eclogam lectitavit, qua lectâ, eamus, inquam ego, ad diem diffindendum, nam ſi ſecius toto hoc die dolebo à capite, quod jàm mihi incipit ingraveſcere. Tùm ille. Tuum eſt jubere, meum verò morem gerere. Nullâ igitur morâ interpoſitâ, cubiculum ingredior, lectumque peto. Verùm oculos, quos antea vix apertos continebam præ ſomnolentiâ, claudere quiveram ullo modo, ſomnum, quem vix repuleram, ullâ induſtriâ conciliare poteram, mirabar idcircò, quæ tanta repentè intemperies irrepſiſſet: verebarque, ut me febris corriperet, verùm aliud erat in cauſsâ: cùm enim ex divinâ mente delibati nobis animi præſcii futurorum ſunt. Cùm, proh Deum immortalem! ecce tota repentè domus, horrendum in modum ſuccuti viſa eſt: mox nutare ac tremere, fragore, ac ſtrepitu quàm maximè horrifico, tùm ego, ſuſpicatus, quod verè erat, terræmotu nempè motari domum, ac tremere, illicò aſſurrexi, & quàm citiſſimo curſu convolo in ſubdialem ambulationem: proxima quippè, nec illâ tutior ex tempore locus erat, in quam

Libri compactio batavica optima

Terræmotus ob oculos ponitur.

quam ut veni, quaſi è vitæ certo diſcrimine liberatus; rediit interceptus præ timore ſpiritus, recreatuſque extemplò ſum; fateor me nunquam tantâ animi voluptate affectum fuiſſe, quàm tùm, cùm me in aperto vidi, atque extrà aleam fati manifeſtiſſimam, & quaſi periculum omne evaſiſſem, nihil amplius pertimeſcebam. Nam etsì ruere potuiſſet ambulatio, tamen cùm humilis eſſet, pateretque univerſa, putabam non facilè ruituram: & ſi fortè corruiſſet me non omninò ruinâ oppreſſum iri; inſiſtens enim deſuper cecidiſſem, & caſu quidem breviſſimo. Attamen aſpiciebam domum univerſam vehementi agitatione jactari, parietes horrificum in modum inclinari, quaſi jam jam ruituros: tremere ſub pedibus pavimentum, ac reſultare, ſtridere tecti trabes, ac tegulas, ruere deliciares, motarique arbores in pomario: audiebam item omnem latè viciniam magnis ululatibus reſonare, & quaquà verſus aërem ſibilare, ſubſultare, quæ quidem horribilis, atque inſolens rerum facies ſenſu non caruiſſe ſuo, ſi futura fuiſſet innoxia: ſed timor præſentis periculi voluptatem adimebat. Tùm ego Quarti recordatus illum identidem magnâ voce compello, utque in apertum confugeret etiam, atque etiam moneo, verùm cum ſæpiùs ad ravim uſque clamitaſſem, ille neutiquam reſpondit.

Poſteà verò quàm tellus movere deſiit, Quartum è viâ in periſtylium ſe recipientem conſpicio: Cui tùm ego: Ubi eras, mi Quarte, cùm derepentè perhorrenda iſtæc terræ concuſſio incœpit? numnam dormiebas? Et ille: Minimè: ſed hærebam ad poſtremos gradus, tabellamque à Junio miſſam perlegebam, primùm rumorem à villico in horto excitatum exiſtimavi, mox ut terræmotum eſſe animadverti, me ſtatim vicinam in viam proripui quàm citiſſimè, ex qua veluti è portu domus naufragium expectabam. Et ſanè caſuram ſæpè credidi: præcipuè cùm viderem turriculam ex quà Campanum æs pendet hàc, illàc crebrâ agitatione jactatam adeò inclinari, ut jam jam crederes ruituram: ipſumque æs undatim agitatum per ſe continuò reſonare, compellavi te ſæpenumerò, ut in tutum exilires. Tùm ego: Vocavi te ipſe pariter, ſed neuter neutrum audivit, tantus nempè erat moventis terræ, & concuſſarum ædium fragor. Certè quidem miſericordis Dei beneficio, pientiſſimæque Virginis patrocinio vivimus, ut meritò illud repetere poſſem, quod in altero cecini:

Ne caderet pietas intactæ Virginis una
Obſtitit, irato rapuit quæ tela Tonanti.

Ille verò: Ita prorſus, ut narras. Sed deſcende, quæſo; ut

ut vel in pomarium, vel in viam eamus: ne fortè tellus iterum tremat vehementiùs, & nos miraculo ſoſpites, noſtrâ negligentiâ pereamus. Cui tùm ego: Rectè admones: inque iſtuc ego jam ibam, cum igitur deſcendiſſem non ſine feſtinatione præ timore, in viam ſtatim progredimur. Hic prætereuntem quendam percuntamur, Numquid incommodi Surrentum accepiſſet? Et ille: Corruiſſe ædes plurimas, multoſque mortalium oppreſſiſſe, id ipſum mox ab aliis accipimus, percrebreſcente jam famâ, quæ feſtina malorum nuncia greſſu fertur quàm citiſſimo, inque magnis caſibus mala per ſingulos paſſus auget, ſive quia timidi homines cum ſint, ſuaptè naturâ majora fingunt pericula, exagerant caſus, ruinas amplificant: ſive quia, cùm ſuopte ingenio ad creandum nati, cum acceptos rumores ſpargunt, quiſquis vult aliquid addere de ſuo: itàque fit, ut fama magis, magiſque quaſi motu incaleſcat, ac novis ſemper aucta incrementis grandior evadat. Hæc ut audivit Quartus: Eamus quæſo, inquit, Surrentum uſque, ut quid factum ſit, noſtris oculis inſpectemus. Scis ibi verſari Junium, ocellum meum, meas delicias: timeo nimirum ne mali quid illi acciderit. Cui tùm ego: Ne, quæſo, Quarte, rumoribus hiſce fidem adjungas, quippè qui mendaces ſæpènumero ſunt; quia verò de Junio, quem ſui merito ego etiam diligo, ſolicitus es, capeſſamus nos hinc Surrentum; verùm ne tibi grave ſit, ſi priùs viſorio tubo aſpiciam meam Neapolim: illi certè ego timeo. Tùm Quartus: Iſtuc facilè impetras, quod vel ego magnoperè deſidero. Cùm igitur non ſine timore per fatiſcentes undique gradus rimis benè amplis; aſcendiſſem, èq; meo cubiculo paſſim labefactato tubum raptim, ac feſtinanter rapuiſſem, illicò in pomarium perreximus. Hîc è calopſide tubo explicato, Neapolim inſpecto, cùmque dextrorſum, ſiniſtrorſum tubum verſaſſem cuncta curiosè, ac diſtinctè circumluſtrando, video ſummo animi ſenſu Urbem univerſam conſiſtere: nimirum erectas ſtare turres, aſſurgere templorum tholos, ædeſque omnes, ut antea, perſiſtere: quocircà lætus ad Quartum: Superis gratia, manet Neapolis ſalva, atque incolumis, cuncta enim conſiſtere video, ac permanere. Tùm ille: Voluptatem mihi nuncias quàm maximam, timebam oppidò, ne in illam iram ſuam latiùs monſtrum illud exercuiſſet. Sub hæc per hortum nos foras arripimus, atque Surrentum proficiſcimur.

Malorum impendentium præſaga mens.

Dum ambo per compendiariam iremus, ego quòd de vigiliâ mihi acciderat planè aperio, & ut nullo pacto ſomnum, quo antea peribam, capere potuiſſem. Ille tùm mihi:

Eſt

Eſt profectò aliquid divini in nobis, & ſibi maximè, quippè Melancholico: & malorum impendentium præſaga mens eſt, nec ſanè mentem hanc nobis bonam, ac præſcientem malorum indere Superi prætermittunt; nempè ſic moniti cavere calamitates poſſemus. Sed jam Surrentum perventum eſt, in cujus pomœrio magnam multitudinem conſpicimus: partim ſibi mutuò vitam gratulabantur; partim ſeſe, quaſi revixiſſent, amplectabantur, partim enarrabant, quæ acciderant: partim verò de futuro ſoliciti, quò ſe tutò reciperent, quod peterent aſylum cogitabant. Cùm autem quidam viri nobiles, quibus cum familiaritas nobis erat, conſpicati nos eſſent, derepentè advolant, & quàm ſtrictiſſimè conplectuntur, gaviſi ſummoperè, quòd ſalvos viderent, ac ſoſpites, nos contra gratias agere Superis quammaximas, quòd ſanos ipſos, atque incolumes reperiſſemus. Poſt hæc mutua humanitatis officia, rogamus verène cum cæde multâ mortalium ædes corruerunt? Tùm illi: Minime, ſtant omnes; ſed, ut credere par eſt, divorum munere, quamvis ſingulæ plurimum labefactatæ, ac ruinæ penè fatiſcentes: quippè quæ vitium fecerunt in motu tam diutino, tamque vehementi, è civibus unus tantùm puer è patritiis rupe oppreſſus interiit, cujus quidem caſus mirus eſt, & fatalis: etenim cùm à matre increpitus eſſet, ob neſcio, quod puerile erratum, mærore correptus domo intempeſtivè egreſſus eſt; perrexitque ad mare. Ut verò ad urbis januam venit, concuti tellus cœpit, ille inſolenti motu de mente deturbatus, cùm ad patentem maris oram, in quam rectà tendebat, capeſſere ſtatim ſeſe poſſet, ad proximam obliquè rupem divertit, illâ repentino motu excuſsâ, illicò ſe præcipitem dedit, puerumque oppreſſit. Tùm ego: Magnoperè tàm acerbam miſeret me pueri vicem, ſed quid facias? ſic ſumus homines, ut multis, & variis ſeu Fortunæ, ſeu caſus ictibus pateamus. Tùm Amici: Sedete, quæſumus, hic tantiſper, ut nos præſentiâ veſtrâ, ac veſtris colloquiis recreetis. Quibus ego: Quidni maximè ſedeam? Quartus verò: Sedete vos, inquit; ego, dummodò id vobis grave futurum non ſit, Junium inviſam; hùc mox revertar. Illi verò: Imò gratiſſimum, quando tibi ità conſtitutum eſt. Poſtquam ille ſe è conſpectu noſtro ſubtraxit, nos juxta pomœrium in ſedilibus ibi extructis inſedimus.

Vix dum ſedimus, cùm nobilium quidam natu grandior præ cæteris, & literis non leviter imbutus: Cenſeſne, inquit, moturam iterum terram eſſe, necne? hic enim ſtimulus, fateor equidem, mihi animum non leviter pun-

git: & inter ſaxum tenet, & ſacrum, ut dicitur. Cui tùm ego: Id certò affirmare nullo modo poſſum: negare, ne id quidem. Enim verò cùm hujuſcemodi motus cauſſæ in ſinu terrarum abditæ lateant omninò (nullus quippè in illum aditus nobis patet) ſit ne futurus illarum effectus, an non? hocne tempore, an ne illo? majorne, vel minor? nequit ſanè prævideri. Poſſunt equidem Phyſici, non nego, ex phyſicis rerum cauſſis futuros effectus præcognoſcere, præcognitoſque prædicere, ſed eos tantùm, quorum planè notæ, perſpectæque ſunt cauſſæ. Ità Mathematici occultationes tùm Solis, tùm Lunæ: hujus item apparentias quàm varias, Planetarum diverſas inter ſe habilitates, cæteraque hujuſcemodi multò antè prædicimus, etenim & rati, & certi, conſtanteſq; ſibi cùm ſint illorum motus: inque digitos mitti, componique calculo poſſint; inde fit, ut illa prænoſcamus, & longè antè, quàm futura ſint, rectè prædicamus. Tùm ille: ſed plurimi terræmotus prædixerunt: & interdum divinarunt. Cui ſtatim ego: ſed interdum, interdum autem? imò ut plurimum convicti ſunt falſum prædixiſſe. Ille verò. Ita prorſus; non inficior. Cui ego; Verùm ſi ex præcognitis cauſſis terræmotus prædixiſſent, neceſſum fuerat ſemper verum prædicere: manent enim eædem cauſſæ, & eodem modo. Quòd quidem falſum cùm ſit, id planè efficitur, quod apertiſſimum ſanè eſt, nimirum illos non ex cauſſis effectus prædixiſſe, ſed caſu; qui verò caſu divinant, etſi verum nonnunquam dicunt, falsò tamen dicunt: temerè enim, non ratione pronunciant, quod ratiocinatione nec deducere ex cauſſis, nec pronunciare poſſunt. Hîc ille: Aſſentior prorſus, ſunt hæc manifeſta: omnique me dubio liberaſti. Eja verò age, dic, id abs te ſcire ſummopere avemus, Poſſuntne ex mutuâ Planetarum habitudine, terræ nutationes excitari? Nam ſi ita: prædici etiam poſſunt. Ajebat enim, ſi rectè memini, quidam Aſtrorum, ut ferebatur, interpres, Saturnum ſiccitate ſuâ efficere terræmotus: eoſdemq; oriri à Marte, præſertim ſi hic Saturni ſtellam obliquè poſitus aſpiciat, quaſi ſcævo vultu, quem ille aſpectum ſextilem vocitabat, & malignum. Hoc loco, non ſine riſu, Uſque adeò, inquam, delirant homines, ut iſtæc effutiant? duco illas, meâ fide, meras nugas, & commenta Caldæorum, qui præ reliquis mortalium ſuperſtitioſi, ac vaniſſimi meritiſſimò habiti ſunt, aniles omninò fabulæ, nec niſi inſciæ plebeculæ decantandæ Nihil prorſus Saturno eſt, nihil Marti cum terræ jactationibus; quæ in Vulcanum certè melius referendæ, tanquam ad auctorem. Igne enim

An Terræmotus aliquando prædici poſſint.

Aſtrologorum deliria in divinando.

tellus

tellus tremit, ac titubat, quænam, quæſo, commercia cum ignibus ſubterraneis, ſtellis ſunt? quis vim iſtam illis effectricem indidit? & ſi ſemel indita, quis per tam immane ſpatium, quantum à Saturno ad terras eſt, propagari poſſe facilè credat? ego certè quidem nunquam ità animum induxi, id ut crederem. Tùm ille: Neque verò ipſe omninò verum eſſe arbitrabar: hærebam nihilo tamen minus, nunc autem, cùm id manifeſtâ à te argumentatione effectum ſit, nihil admodum eſt, quo amplius addubitem. Verùm, age porrò: & quoniam dedita occaſio (quam tamen dari noluiſſem) planè nos inſtrue, ferunt nonnullos terræmotum prædixiſſe ex aquâ puteorum, cùm enim præter ſolitum turbidam derepentè factam, ac ſulphuream hauſiſſent, inſtare mox terræmotum præmonuere. Ain' tu id evenire potuiſſe? Cui ego: Quidni? id verò non multo ante prædici poſſe, ſed cum tellus jam jam motura eſt. Enim verò cum concepto jam igne, materies in qua ignis ſemina veluti latitant, ſenſim accendatur, turbari fontes, inficique ſulphure veriſimile eſt. Hac præſentione (exemplum eſt in promptu novum) perhibent, integrum Beneventi ſacrarum virginum cœtum ruinâ exemptum, ſanum, ac ſoſpitem ſervatum eſſe. Etenim cùm medicus ad inviſendam ægrotantem virginem Cœnobium ingreſſus, præ nimiâ ſiti (erat enim æſtus ferventiſſimus) aquam petiiſſet: hauſtam illicò virgines medico obtulerunt, medico autem? imò ſervatori. Siquidem turbidam cum ille animadverteret, & ſulphurei neſcio quid olfaceret, Hem, inquit, terræmotus inſtat: proripiamus nos hinc, quæſo, in pomarium, vix diffugerant, cùm vehementiſſimo ſuccuſſu [illegible] terra ſubſiliuit, quo motu illicò univerſum Cœnobium proſtratum eſt, nec niſi una ægrotans virgo, cui ad fugam morbus viam præcluſerat, brevi fatum prævertit, reliquæ è puteo dum aquam hauriunt, vitam educunt, quæ cum ita ſeſe habeant, è turbidâ puteorum aquâ futurum terræmotum certa colligi ratione poteſt, atque hinc noſter Pontanus.

Turbatos putei eructant ſuper oſtia fontes.

Puteorum aqua præter ſolitum turbida Terræmotus prænuncia, atque hac præſentione Cœnobium Virginum ſervatum Beneventi.

At id non in cujuſquemodi puteis exſtimo evenire, ſed in profundis, qui inibi ſalientes habent, nam qui per teſtaceos canales aquam accipiunt multò antè turbari haud quaquam probabile eſt. Hic ille: At ſi ita eſt, ut rectè narras, cur ex nimiâ anni ſiccitate, vel ex magnis imbribus futuri terræmotus prævideri non etiam poſſunt? attenuantur enim ſiccitate vapores, ut erumpant: aquis verò meatus opplentur, ne exiliant: atque ita utrâque ex

An ex anni ſiccitate, aut ex magnis imbribus Terræmotus futurus prænoſci poſſit.

cauſâ, quamvis contraria, movere terra quam facilè poterit: & cum motura eſt, præſentiri. Tùm ego: Ingenioſè quidem: verum huic rationi ſic occurram: Vapores non tàm ſiccitate, quàm calore attenuari compertum eſt, qui certè calor terræmotuum potior eſt causa, jam verò ſintne accenſi in ſubterraneis cavernis ignes necne, quis, licet Argus, introſpiciat? nemo quippè; ſi ergo introſpiciet nemo, nemo etiam terræmotus prædicet; oppleri meatus præ nimiâ imbrium alluvie, concedo (etſi interdum tellus emollita perquàm facilè relaxetur) at ſi tùm ignis è ſinu ſulphureæ, ac bituminoſæ materiæ non exarſit, terræ concuſſiones minimè excitabuntur. Tùm ille: At ſi iſta concedamus; neutiquam verum erit frequentiùs Vere, atque Autumno terram jactari, ac concuti. Cui ego: Ità enim verò. Et ille: Sed quam tu viam inibis, ut id perficias? Ego verò: Per exempla: quæ quidem compendiaria eſt, & magis expedita, habemus enim id ætatis, in quam incidimus, quamplurima. Tùm ille: Juvat hanc inire, i præ igitur, te ſequar. Cui tùm ipſe: Quod efficere inſtitui, contendam illicò. Terræmotus, quo Samnii Princeps Beneventum ſua fundamenta tertiùm vidit, lacrymis irrigavit, ac civium ſuorum ſanguine conſperſit, & quo univerſum penè Samnium concuſſum, deſolatumque eſt, nonne incidit in æſtatem? ille, quotquot hoc ſeculo acciderunt quammaximè terribilis, quo Catana Siciliæ olim Princeps, urbeſque plurimæ vel ſolo æquatæ, vel abſorptæ: omniſque Sicilia congemuit, nonne ſub mediam hyemem dæſeviit? Hic, quem adhuc præſentem perhorreſcimus (nec ſanè, ut arbitror, ſine ruinâ multarum urbium alibi tellus ſuccuſſa eſt) nonne æſtatem hanc clade inſignivit? Hoc loco ille: Ne plura, aſſentior & his: res eſt perſpicua, Verum ageſis, pergamus ad alia. Verumne quod vulgò circumferunt, terræmotu videlicet imminente, ventos conquieſcere, ac miro ſilentio cuncta obmuteſcere: ſtupente nimirum naturâ, atque attonitâ ob futuram mox calamitatem? Cui tùm ego: Et, hæc nugæ omninò. Nonne Zephyri aſpirabant, & quidem vehementius, cum paucis ab hinc horis tàm terribiliter terra movit? Imò interdum hujuſcemodi concuſſiones venti vehementiſſimi, quaſi claſſicum canerent, præcurrerunt, idque ſæpeſæpius eveniſſe, & proditum hiſtoriæ; & novum probat exemplum, fertur enim terræmotum Siciliæ ingenti ventos turbine non longè antè prænunciaſſe. Tùm ille: Ita eſt enimverò, facilè deſcendo. Verum age, reliqua ſis percurramus, nam ſermonibus tuis nihil mihi gratius cadere poteſt. Cur ſaltem experientiâ docti non poſſu-

Falſum eſt, frequentiùs vere, atq; Autumno terram concuti, idque experientià demonſtrat.

poſſumus prædicere, futuri ſint, nec ne terræmotus: brevine mora, an longiuſculâ duraturi? Cui ego: Quia de his certam facere conjecturam nequaquam poſſumus: nempè cauſſæ latent omninò: præterea, quæ conjectura fieri poteſt ex re tàm varia? Anno MDCLXXXVII. ſemel tantùm tellus concuſſa eſt, & pulſu vehementiſſimo, & quamvis ſine cæde mortalium, non innoxiè quidem: adeò domus tùm privatas, tùm publicas labefactavit. Secuto deinceps anno (non longiùs exempla petam, quando ætas noſtra multa ſuppeditat) primùm tellus ita leviter movit, ut plerique motum non ſenſerint, mox infra horam adeò vehementi pulſatione & tandiù jactata eſt; ut cædes illas mortalium & vidimus attoniti, & mæſti deflevimus, deinde altero die iterum, nec quidem leviter excuſſa eſt, ac ferè per ſex menſes identidem movit, anno MDCXCIII. horrendo primùm fragore, & bombo, motuque terribili tota fermè Sicilia contremuit: ſecundo die quievit: tertio verò, quaſi tertianâ laboraret, vehementiſſimo pulſu, bomboque horribiliſſimo è fundamentis excuſſa eſt: totque urbes dirutæ, tot millia mortalium ruinis obruta, ut quaſi de Siciliâ conclamatum videretur, exin ad menſes plurimos frequentiùs jactata eſt. Cum eſſem in Calabriâ, ter terra diverſis temporibus movit ſine noxâ.

An ſint Terræmotus duraturi, Num cognoſci poſſit?

Siciliæ Terræmotus.

Quoniam verò mihi Calabria in mentem incidit, quæ tellus, quippè montana, & metallorum ferax, crebrò ſuccutitur, de illo ſermonem inſeram, qui in annum MDCLIX. incurrit, & quo totus ille extremæ Italiæ nobiliſſimus olim tractus, Magna Græcia veteribus appellatus, penè deſolatus eſt. Prima terræ ſuccuſſio incidit perquàm violentiſſima, itaut momento principem urbem Conſentinam, innumeraſque alias dejecerit, cladeſque ediderit ingentiſſimas, magno tùm horrore, tùm fletu mortalium, continuavit deinceps ad menſes telluris jactatio, variis identidem modò ſuccuſſionibus, modò jactationibus, quarum quædam majori, quædam verò minori fluctuatione acciderunt, interdùm per dies ſingulos, eoſque ſolidos terra, quaſi oſcillaret, continuò viſa eſt nutare, ac tremere, tandem poſtrema ſuccuſſio quammaximè terribilis, majorque primâ proculdubio fuit: tamen minùs damni intulit, non enim hoſtem habebat, quem feriret, nempè homines degebant in tabernaculis, ac tuguriis, ædificia humi proſtrata, inferiùs cadere non poterant, nonnulla tamen voraginibus abſorpta ſunt. In hujuſcemodi terræmotu illud uſuvenit, quod in artificialibus, ac feſtivis ignibus quotidie conſuevit: primùm incipiunt magno ſtrepitu, magniſque flammis: deinde con-

Et Magnæ Græciæ.

tinuantur remiſſius : tandem deſinunt bombo validiſſimo, immenſoque ſparſorum ignium, vel imbre, vel grandine.

Et Daunia.

Sed pergam deinceps narrare, anno MDCXVII. quo Apulia, quam Dauniam vocant, magnâ hominum occiſione vaſtata eſt, atque urbs, cui à Divo Severo nomen, ſolo æquata eſt miſerandâ civium internecione : terra quinque horas continuâ jactatione, agitata eſt miro modo ; ut non Italiam ſolum, ſed orbem totum ruiturum crederent. Hîc ille : Meritò quidem ; cuinam videretur ſecus ? Tùm ego : Mitto reliquos qui in hoc ævum ceciderunt, ne tàm longâ repetitione malorum vobis faſtidium creem. Satis enim, ex hactenus enumeratis rectè infero, nihil omninò certi de terremotibus ſtatui experimentis poſſe. Tùm ille : Adeò enucleatè, atque eruditè iſta pertractaſti, ut omni prorsùs dubio, quamvis ſcrupuloſiſſimus, tandem liberatus ſim. Verùmtamen eſt adhuc unum, quòd abs te ſcire deſidero, cur ſæpenumero Calabria, quia montana eſt ſuccutitur ?

Cur in Calabriâ Terræmotus frequentes, & in Ægypto, Arabiâ, &c. rariſſimi ?

Tùm ego : Quia in montium cavis magnam vim ſulphuris, & bituminis alit : hiſce verò igni materiam ſubminiſtrat. Atque hinc efficitur manifeſtè terras omnes montanas magis, magiſque hujuſcemodi motibus obnoxias eſſe, quoniam cavernoſæ ſunt, plurimaque ignis, vel ſemina, vel pabula præcontinent : campeſtres verò, cujuſmodi ſunt Ægyptus, Arabia deſerta, Meſopotamia, Sarmatia, Scythiaque univerſa, cum pauciores ſinu caveas complectantur, perpauca admodum illuſmodi pabula progignunt : adeòque quàm rariſſimè contremiſcunt. Atque in id ſermocinationis rediens offendit Quartus, quoniam verò jàm veſper appetebat, amicos rogo, Nùm quidnam juberent ? Illi verò : Ut veſtræ ſalutis curam habeatis : nobis verò Numen veſtris precibus concilietis, quod cùm pro viribus facturos ſpopondimus, atque recepimus ad nos, rectà in villam conceſſimus.

Inter redeundum ità me Quartus interpellat : Quid agemus, Parthenie, hac nocte ? in ſomnes certè illam tranſigemus, ac vigiles, quis enim ſomnum, etſi oſcitantiſſimus, capiat in tantâ animi perturbatione, tantoque periculo ? Cui ego : Fateor equidem, mi Quarte, haud ſanè facilè in re tali conquieſcere ; verùm, utcumque res eſt, ità opus eſt, ut animum habeas. Et ille : Dormiemus igitur in cubiculo ? Cui ego : Quidnam non ? Tùm ille : Vidiſtine domum poſtquam deſiit terræmotus ? Et ego : Non planè benè : curſim enim deambulationem pertranſivi, cum viſorium ut acciperem tubum, aſcenderem, vidi nihilominùs illam latè conſperſam incruſtatione parietum. Tùm ille :

le : Nihil vidiſti, præquàm quæ ſenties. Fornix totus quantus, quantus eſt, ut mihi narrabat Fabiolus, per totam ambulationis longitudinem medius diſciſſus, atque intercisſus : cubiculum tuum, & quæ media interjacent, paſſim labefactata : quinimò laterales parietes ſubſiderunt, diſruptis arcubus : caminus ferè totus corruit, atque ollas, teſtudines, lances, quas nondùm Fabiolus amoverat, contrita. Hic ego ſubridens, O magnam calamitatem! ò jacturam non ferendam! miſeret me culinæ vicem! verùm utinam in hæc tantùm iram ſuam omnem peſtis illa evomiſſet, fuiſſet ſanè innoxia. Hic Quartus animo ſubirato: Rides? Cui tùm ego : Mavis, ut lugeam? Næ ego levis, qui omni vento hàc, illàc ferar, quidquid accidit in humanis ferendum eſt æquo animo : neque verò expedit nimio timori, triſtitiæque locum cedere : niſi volumus eſſe miſeri, fatumque maturiùs accerſere. Tùm Quartus : Næ tu Stoicus, quem tamen Platonicum habebam. Dormiemus igitur in cubiculo? Cui ego : Si locus eſt alter, quem tutiorem prudenter exiſtimem, minimè verò : ſin minùs, ſtandumne ſub dio? Quoniam verò non ſuſpenſo gradu, uc ſolebamus, ſed perquàm celeri veneramus, domum quàm citiſſimè reverſi, in cujus veſtibulo Sacerdotem, cui domus cura eſt, hominem ſimplicem, ac religioſum obviam habemus, qui ſtatim voce admodum triſti, & quaſsâ (eſt enim naturâ timidiſſimus) Perivimus, inquit, adeò labefactata domus eſt, ut, ſi terra iterùm moveat, nos proculdubio oppreſſura ſit. Quo audito, Quartus animis omninò concidit, meque rogat : Divertamus, inquiens, in pomarium, ut ibi opportunum quieti locum veſtigemus. Ut venimus, prima villici nobis caſa occurrit, verùm hæc adeò pervetuſta, ac ſordida; ut plus timoris, ac ſtomachi, quàm tutaminis allatura nobis videretur, hinc pergimus in Fornicem teſtudineatum, in hoc viſum Quarto poſſe tutò conquieſci, ſi latera inter pilas patentia concluderentur, quia verò id perdifficilè in illa temporis anguſtiâ confieri poſſe videbatur, nec ſatis tabularum ſuppetebat, ait Quartus: Quidni extenſis ſtragulis occludamus? faciemus veluti ſcenam. Tùm ego: Rectè excogitaſti, ut nimirum in illâ agatur noſtra comœdia, præterea viden, ut in ipsâ collis crepidine inſiſtat? quid facilius, quàm ſi terra iterùm ſuccutiatur, unâ cum fatiſcente rupe ſeſe præcipitem agat in mare? Eamus quæſo, in atrium domus. Ille verò: I præ : ſequar, etſi animo haud volenti. Vix intravimus, cùm Quartus ampliſſimum dolium conſpicatus, quod inibi erat, ità ad me : Cur non quieſcamus in iſto dolio,

quod

quod in medio Xyſto collocabimus? Cui tùm ego: Ridicularia ſanè excogitas, Quarte: an me cynicum Diogenem putas? intelligo, præ timore non ſanè fabularis. Verùm age, cedo, quid agemus ambo totâ noćte, veluti concluſi, in iſto dolio? quinimò quo pacto per anguſtum illud foramen introibimus? Ille verò tùm ſeriò: Os totum aperiemus amotis aſſeribus: intrò culcitram inſternemus cum pulvinari: & ſic faciemus grabatum ex tempore, oſtium, ne nocturnæ auræ noceant, ſtragulo operiemus. Tùm ego: Tu certè quidem deliras, Quarte omitto, quæſo, timorem iſtum, qui iſtæc perridicula tibi in mentem infert, quæ quidem cordatum non decent, nec philoſophum, quem tu profiteris. Erat dolium ſub porticu, cui ſubdialis imminet ambulatio, inibique cubicula aliquot in ipſo periſtylii plano inſtructa, quæ, ſimul ac ingredior, integra conſpicio, neque uſpiam labem animadverto; quocirca ad Quartum: Hic ſoporem conciliare tutò poſſumus; minus enim labefactata cum ſint, & humilia, caſui haud quaquam erunt obnoxia: vicinum habent hortum, quò derepentè nos capeſſamus, ſi res poſtulabit. Hic tandem Quartus meæ ſententiæ acquievit: accito igitur villico, jubeo lecti fulcra, & tabulatum cum laneâ culcitrâ confeſtim deferre: nos ſyndones, & lodiculam cum cervicali geſtavimus, inſtructique deinceps lecti, poſtremò, ubi frugi ſe cœnulâ Quartus refecit; nimirum pane, caſeoque martio laudatiſſimo, & pyro Falerno mitiſſimo: tùm demum cubitum ivimus, non tamen cunctis exuti laciniis, ut illicò, ſi quid novi terra moliretur, expeditiùs diffugeremus, relictum etiam in cornu lumen eſt, ut quà in hortum recta properandum, diſtinctè videremus: ne fortè in contrariam partem præ formidine, ut cadit ſæpenumerò, diverteremus.

CAPUT V.

Occaſione peregrinæ potionis amico in ſummis caloribus ſubminiſtratæ, quæſitum, quid eſſet illud odoramenti genus, quod Muſcus *vulgò dicitur.*

Diſquiſitio de Muſco.

PRidiè Kal: Auguſti, quo tempore æſtuoſiſſimi ſunt dies Caniculares, à meridiano ſopore ad hypæthræ veſtibulum conſederam, ut ventulum perquàm delicatum, tùm primum aſſurgentem, captarem, quo calorem aliquantulum temperarem, cùm è mari clamorem geminatum identidem exaudio: ſimulque adeſt villici puer, nunciatque eſſe in

ſcopulo

ſcopulo ex noſtris hominibus unum, qui me nominatim frequentiùs inclamabat. Ego tùm ſuſpicatus, quod re verâ erat, veniſſe ſcilicet è Brutiis, unde in dies expectabatur, Valerium, confeſtim aſſurgo: aſſumptaque ſciade, qua à nimio me Sole defenderem, in hortum deſcendo: atque hinc in oram maris. Ut veni, educto vecte ferreo, poſticum oſtium aperio: ubi pro foribus præſtolantem Valerium conſpicio, quem illicò arctiſſimè complexus ſum, ſimulque rogo, cur tanto poſt veniſſet? Tùm ille, non ſine intolerantiâ, quæ res eſt in homine ad gratiam: Haud equidem, inquit, rogandi nunc tempus, ſine modò eam domum, ut induſium mutem, totus enim præ calore madeo, ac perfluo. Cui tùm ego, ut per jocum idem illi reponerem: Ut video, nonnihil intemperiei te agitat à Sole, ſed nolo te magis urere, eamus: ſimulque illi umbraculum porrigo, quo ſe tegeret ab æſtu nocentiſſimo, mox pedetentim, & gradatim per acclive collis ſcandere cœptavimus, quoad in altum evaſimus.

Poſtea verò quàm domum perventum eſt; Ille: Totus benè, inquit, totus medullitus ſum, ſitique depereo, fac igitur, ut quantocyùs Maſſilicam mihi aquam præpares, qua me refrigerem. Ego nihil cunctatus peregrinam potionem adorno. Ille interea madefactam exutus ſubuculam, ſudorem omnem deterſit, cùmque aliquantulum quieviſſet, è cubiculo prodiit. Cui tùm ego: Exuiſtine cum ſubuculâ illam tuam impatientiam? At ille, ut qui ab unguiculo ad capillum ſummum totus eſt feſtiviſſimus, quique citra perſonam omnem poſſet agere comediam: Exuam illam, inquit, cùm pellem depoſuero, at tu quando tetricos iſtos humores tuos decoques tandem? Verùm non opus eſt verbis: da mihi mulſam iſtam egelidam, Tùm ego, illi vaſculum porrigo, quod cum exhauſiſſet, Da, inquit, pluſculum nivis iſtius tàm melleæ, tàm odoratæ. Deinde, ut ſedit: Dic, quæſo (nam id non te præterit, quippè eruditum) quid ſit odoramentum illud, quod iſtæc aqua ſuaviſſimè redolet? ſiquidem cum id nobilis quidam à me petiiſſet, nihil prorſus habui, quod dicerem. Cui tùm ego: De hoc aliàs: de te aveo nunc multa intelligere. Et ille, De me poſtea, & per otium, nam apud te manebo, quantum voles: neque faceſſam hinc, niſi cùm juſſeris, illud verò ſi omittamus, memoriâ excidet. Tùm ego: Si ita jubes, tibi morem geram, ſed paucis admodum dicam: ne defatigato tibi ex itinere negotium faceſſam. Et ille: Modò narres, nihil intereſt paucisne, an multis. Tùm ego; Ultrà Caucaſum in penitiſſimâ Scythiâ, quam extra Imaum veteres dixerunt,

Apud Orientales Tartaros Animalia quædã ſub ventre, Veſicam habent, ubi Muſcus.

xerunt, novi Orientales *Tartaros* appellant, regio quædam eſt, immenſis penè ſylvis obſita, atque impedita, hiſce verò in ſylvis ingens quorundam animalium copia eſt, quæ ovibus noſtratibus præter cornua, quibus carent, & aures, quas erectas tenent, quàm ſimillima ſunt, etſi paulò grandiora: hujuſcemodi oves Scythicæ ſub ventre paulò ſuprà inguina veſicam quandam habent; ovo gallinaceo æqualem: in illâ materies quædam ineſt, quæ addenſati ſanguinis præ ſe ſpeciem gerit, & fortaſsè nihil aliud eſt quàm concretus ſanguis, hujuſcemodi verò materiam acutiſſimum illum æquè, ac ſuaviſſimum odorem exalantem *Muſcum*, novo vocabulo dicimus, qui Latinis ignotus omninò fuit. Veſica, animante capto, præciditur: præciſam non ſtatim ligant, atque occludunt, ſed aliquandiù apertam tenent, ut odor ex parte evaporet: nam ſi ſecus fieret, vehementiſſimus ille odor, admoto naribus muſco, illicò ſanguinem eliceret, læſoque repentè cerebro, præcipitem virium lapſum afferret, uſque adeò verum illud; Ne quid nimis. Et optima quæque ſi modum excedant, maximè nocent, omnibus quippè in rebus ſervandus modus. Hîc Valerius: Rectè mones. Sed age, ſuntne illiuſmodi oves domeſticæ, an verò ſylveſtres? Tùm ego. Sylveſtres: nempè Scythicam præ ſe naturam ferunt. Et ille: Si ità, quonam pacto capiuntur? Tùm ego: Hoc modo: Martio menſe, è ſuperiori Scythiâ, ubi eo tempore ſub immenſis nivibus ſquallescunt arva, nec quidquam pabuli ſuppeditant, illiuſmodi oves, Meridiem verſus concedunt: èq; latitudine partium LX. ut dicunt Geographi, deſcendunt ad partes uſque XLV. ubi id temporis mitiùs cœlum eſt, & campi, in quibus oryza, & triticum ſata, viridiſſimi, ibique famem, qua penè peribant, abundè explent. Tùm venatores, ubi locorum anguſta, vel laqueos, vel retia inſtruunt: quibus nullo negotio innumeras capiunt, alii jaculis conficiunt, nonnulli paſtorali pedo, vel perticâ, quinimò adeò macilentæ, ac præ fame languidæ, ut illas vel curſu agricolæ aſſecuti capiant, certiſſimum nempè illud; nullum nimirum eſſe animal, quamvis ferox, quod fames tandem non domet. Hoc loco puer intervenit, nunciatque, virum quendam nobilem pro foribus me conventum expetere: quocircà aſſurgens ad fores procedo.

Quomodo præparetur Muſcus.

Quo Pacto capiantur hæ oves ſylveſtres.

CA-

CAPUT VI.

Recitatur carmen de lue hypocondricâ, quæque adverſus illam præſentior medicina ſit, perſcribitur: deindè iter Amalphim, malis avibus ſuſceptum, enarratur.

IN Surrentino primulùm valetudinis cauſsâ cum Lucilio ruſticabar, quo tùm gravitate morum, tùm egregiâ ingenii indole chariorem habui neminem; nec ſidum magis unquam Achatem, cui meum animum, mea conſilia tutò crederem, rarum admodum inventu, porrò autem frui diù difficilè: Qui & ipſe, ut clementioris cœli temperie valetudini conſuleret, impetratâ à mitiſſimo illius anni Proprætore veniâ, ſaluberrimum in rus conceſſerat. Dum ambo ſub Idus Sep: in Xyſto ad otium ſedemus, intereà loci Eulalius venit, & neceſſarius, & popularis noſter, qui & ipſe vel ingenio, vel moribus chariſſimus mihi fuit. Cui ſtatim aſſurreximus, & nobiſcum ſeſſum recepimus. Deinde rogo, unde veniret? & quis bonus ad nos Deus deduxiſſet? Ille verò: E Capreis rediens ad te diverti, ut inviſerem, & amœniſſimum rus iſtud contemplarer, ſimulque mirari cœpit, & magnis laudibus commendare loci amœnitatem, apricum cœlum, viridiſſimum agrum, & proſpectum quaquàverſus jucundiſſimum, cumque rus omne ſummâ vel oculorum, vel animi voluptate circumſpexiſſet; Proh Superi! inquit, cur non hìc majores noſtri Autumnalis otii ſedem poſuere? quàm, ambuſto propiùs à Veſuvio, inter ingratas populorum umbras, in ſolo arenoſo, cœloque fucis, ac muſcis refertiſſimo eſſe juſſerunt. Cui tùm ego: Omittamus iſtæc, quæſo, neque velis mihi vulnus refricare; ſatis enim, diùque hic me ſtimulus pupugit, nempè mortalium hoc fatum eſt; ut in iis, quæ ad noſtram felicitatem ſpectant, turpiſſimum in modum cæcutiamus. Hîc Lucilius, cui in manu ingenium ſemper erat: Fruſtra, inquit, cauſamur Fatum, quando ipſe plus æquo tenax hominum parſimonia in causâ eſt, majores quippè hîc loci ſumptus forent. Cui Eulalius; Lucili, rem acu tetigiſti, ut ſemper ſoles, converſuſque iterum ad proſpectum maris: Deum immortalem! inquit, cui obrepere tædium poſſet in tàm amœno, tàm florido rure verſanti? Tùm ego: Poſterius iſtæc, & per otium, & ad ſatietatem uſque contemplaberis (nam te dies aliquot futurum apud me non dubito) nunc ad alia ageſis ſermonem transferamus. Et primò,

valentne rectè amici? Ille verò: Planè bellè: teque omnes ſalvere jubent: magnoque opere ſcire deſiderant, benè valeas, necne? Cui tùm ego: Inſpice frontem. Tùm Eulalius: Ex illâ, conjicere certò poſſum, te meliuſculè habere. Etenim color aliquanto ſanior, & genæ aliquantulum pinguiores. Eja verò age, dic, ſubactine, fugatique ab hac aëris clementiâ nocentiſſimi flatus hypocondrici? teterrima illa nimirum lues, quæ te, tuumque Lucilium tantoperè excruciat. Tùm ipſe: Etſi mitiores facti, pertinaciſſimè tamen perſeverant: atque ex intervallo etiam inſultant. Nihilo tamen minus ſperarem certò infandam hanc noſtri temporis hydram me penitùs jugulaturum, ſi cœlo hoc & ſalubri, & geniali integrum annum fruerer, curâ, & negotio vacans, verùm age porrò, quæ raptim ſubtexui contra hanc peſtem carmina, quæ etſi nondum reſecata ad unguem, tamen haud gravatè accipito: inſanire otium fuit. Tùm Eulalius: Rem mihi facies gratiſſimam, ponamque illam in beneficii loco, quocircà audiam volenti animo, & auribus avidiſſimis. Tùm ego: attendite igitur: carmenque memoriter recito ad hunc modum.

De hypocondria Carmen.

Peſtis, Tartareo quâ non crudelior Orco
Erupit, nigrâque trahens caligine nimbum,
Eumenidumque odiis, Furiiſque afflata malignis,
Omnem momento terrarum effuſa per Orbem,
Proh! quantos miſeris caſus, ſtrageſque creavit.
Nam non una mali gliſcit violentia, centum
Diverſos agit effectus, diverſaque rerum
Portenta, & formas mutat vis effera centum.
Ceu Protheus (ſi vera canunt) ſæpè aſſolet omnes
In rerum ſpecies, & in omnes ire figuras.
Sunt, quibus halituum denſâ ſtipante coronâ,
Lethifer inſedit circùm præcordia peſtis.
Ac velut interdum crebris aſſultibus arcem
Improviſa petit manus, obſeſſoſque fatigat:
Ut ſic tranſmitti foſſam: valloque potiri
Detur, & in captâ tandem dominarier urbe.
Non aliter vitæ irrumpens ferus impetit arcem
Halitus, & tetrâ effuſus cor occupat umbrâ.
Excutitur primùm miſer, atque horrore rigeſcit
Spiritus: hinc ſubitò langueſcens ſupprimitur cor.
Ceu oleam ſuper accenſam ſi protinùs undam
Sparſeris, extemplò major ſe flamma ſub auras
Attollit, fremituque ſonat, circùmque relucet:
Sed cita deficiens mox decidit, & perit omnis.

Mitis variiq; effectus hypocōdriæ.

His verò in caput exhalat tenuatus, & ipſum

Immiſſus cerebrum pervadit: agitque furores
In varios, miſeroſque modis, lacrymabile, miris
Excruciat: hi ſe tetris humoribus acti
Perdere amant, & ſpontè ruunt in flumina, & undas:
Perque ignes alii, ferroque abſumere vitam
Exoptant: illi ſeſe demittere ab alto
Præcipites voluere: hos & quos inficit aura
Tenuior, & ſenſim obvelat perfuſa cerebrum;
Actutum aſpicies dulci langueſcere ſomno,
Exanimi ſimiles: at nunc baccharier æde:
Ceu quos Liber agit, ſtimulans præcordia thyrſo:
Hic riſum ciet inconcinnum, & non bona verba
Effutit: digitos movet hic ſine lege ſolutos:
Hic pedibus ſaltat: longâ vertigine fertur,
Alter, & obductâ caligant lumina luce.
Hunc montes, altæque juvant in montibus umbræ;
Ac nemorum deſerta colit loca ſolus, & omnes
Urbanos odit ſtrepitus, Martiſque tumultus:
Alter at hic, mediâ quamquam verſetur in urbe;
Solus agit vitam, atque hominum conſortia ſpernit;
Hic colles petit apricos, & amœna vireta,
Et valles, & prata, levique ſonantia rivo
Flumina, & herboſo depictas margine ripas:
Verſari ingenuos inter cupit ille ſodales,
Ac lepidos miſcere jocos, & mollia verba:
Sive dies trahere in longum: ſed ſi citus inde
Denſior ex imo exhalet vapor, omnia, rupto
Fœdere, turbantur: veluti cùm pace refractâ,
Qui quondam ſocii fuerant, ſeſe ilicet armis
Invadunt, acuuntque iras, & prælia miſcent:
Inſultat dictis mordacibus, omnia vertit
Turbidus, ore fremens, furiiſque incenſus iniquis;
Hàc miſer, atque illàc agitur: quæque antè placebant,
Odit colloquia, & ſimul ipſos odit amicos.
Sunt infelices alii, quibus efferus hepar
Excruciat dolor aſſiduè, quique humida ſerpens
Spargitur interdum diffusâ in viſcera peſte.
His ventoſa crepant hypocondria, creber & intus;
Proh dolor! inſanos ſtimulis agit Æolus Euros.
Sed quot tetra lues ſpecies, quot dira nocendi
Semina, quotve modos habeat, quis verſibus unquam
Explicet, aut poſſit tantos æquare labores.
Verùm dira licet ſint tot contagia morbi;
Ingenteſque ferant ærumnas, attamen illud
Haud equidem nobis animo meliore ferendum eſt;

Quod

Lues iſthæc ſtudiis inimica,

Quod ſtudia in peſſum (proh fata occulta Deorum)
Atque artes ſimul ingenuas, Muſaſque dedere:
Nanque infanda lues non ſegnes impetit artus,
Nec molles animos, & amantes otia vexat:
Sed quos Phœbeæ ſuccendit gloria lauri,
Ut primos Muſis annos, floremque ſacrarent,
Hos illa, hos Stygio invadit lymphata furore.
Quid tantum, ò Superi, meruerunt Palladis artes
Ingenuæ, ut tanta illuvies erumperet Orco,
Qua juvenes ipſo correpti in flore juventæ,
Aut cum Pieriis facerent divortia Muſis,
Aut dulcem lacrymanda darent per funera vitam!
Credo equidem, maleſana luem Phlegethontis ab imo
Invidiæ nuper ſtimulis agitata malignis
Tyſiphone immiſit terris; quià ſcilicet illa
Undique Apollineis florentes artibus urbes
Viderat, atque necem vitiis inſtare ſupremam:
At vos Cœlicolæ, purum quicunque tenetis
Æthera, & innubi fulgentes lumine Soles,
Infandam, precor, hanc terris arcete benigni
Illuviem, Stygiaſque iterum detrudite in umbras;
Si vobis ſtudia, & virtus pulcherrima cordi eſt.
At tu Phœbe Pater, tuque ò Tritonia Pallas,
Quandoquidem res veſtra agitur; nam numine veſtro
Monſtratæ primùm doctæ mortalibus artes,
Ferte pii dextram, & communem extinguite peſtem;
Nec ſinite, ut veſtros inter graſſetur alumnos:
Et ſtudia ingenti tandem collapſa ruinâ
Dira lues impunè trahat: deſertaque paſſim
Flumina Permeſſi jaceant, Pindique beatum,
Argutumque nemus. Verum ſi Fata Deorum
Obſiſtunt immota, neque eſt revocabilis unquam,
E terris immiſſa lues, oſtendite ſi quid
Reſtat opis, vel quæ morbo medicina, trucem quæ
Pellere ſi nequeat, poſſit lenire dolorem.
Verùm ſi nec opis quidquam, nec cura relicta eſt
Perniciem adverſus tantam, concedite id unum,
Tarda per ingenia, & quæ non ſolertia corda,
Atque per ignavum ſerpant contagia vulgus.

Vix dum recitavi, cum ſtatim Eulalius; Dulciſſimè, inquit, in re tàm luctuoſa noſtris auribus adblandiris, ut amara de re mulſa loqui videaris. At Lucilius: O utinam hæc tua vota boni Superi exaudirent! egregiè profectò conſultum literis eſſet, & generi humano. Non enim tàm graciles, tàm pallidi, tàm exucci, eruditi eſſent, quorum opera,

opera, & bonæ artes florent, & Reſpublicæ quammaximè juvantur: at hi, qui craſſæ Minervæ ità pingues nunc ſunt; quemadmodum boves, & equi verno gramine ſaginati, & quòd quidem pejus eſt, ex tardâ illâ, qua latiores fiunt ſaginâ, hebetiores redduntur, tanto malo publico, ut nihil ſupra eſſe poſſit. Sub hæc Eulalius: Acceperam, ſi rectè memini, te electrum tenuiſſimum in rorem reſolutum per certos dies hauſiſſe contra illiuſmodi peſtem, itane? Cui ego: Ita factum eſt, quemadmodum dicis, atque ad hoc faciendum eo adductus ſum, quòd egregium quendam adoleſcentem ſuccineo rore convaluiſſe inaudiveram, cujus gratiâ, quæ paulò antè recitavi, alia quædam adnexui, quæ quidem cantitarem, niſi vererer, ut vobis aures raderem. Tùm Eulalius: Imò rogo, atque obſecro, ut lubeat recitare: cadere enim nihil gratius nobis poteſt. Tùm ego: Si tantum vobis eſt tolerantiæ, ut etiam hos verſus benignis auribus excipiatis, recitabo; quòd vel ex eo libenter facio; quia audire habeo, quid de illis ſentiatis: quare, quæſo vos, per noſtram amicitiam, ut ſyncerè ſententiam feratis, verùm moneo ne noſtra hæc eadem amicitia judicium præcurrat, nàm ſi ſic, æquum certè non erit, habetis quippè illud: Si amicus eſt, nullum vitium vitio vertitur: ſi inimicus, & virtus vitio datur, carmenque recito hoc modo.

Electrum contra hypocondriam adhibetur.

Nuper ego patriæ vidi Sirenis alumnum
Majorum inſignem titulis, opibuſque potentem,
Qui quanquam formâ egregius, vultuque decorus,
Atque oculis formoſus: erat ſed major in illo
Dos animi: nivei mores, mens candida, & acre
Ingenium, doctuſque animos vincire merendo,
Pronus in officia, & leni blandiſſimus ore.
Hic puer egregiæ correptus laudis amore,
Se totum dulci Phœbo, Muſiſque ſacrarat.
Et jam Parnaſſi per culmina, perque beatos
Permeſſi fontes, & apricæ flumina Cyrrhæ,
Veloci invectus bigâ, luſtraverat omnes
Muſarum ſedes, diumque exhauſerat æſtrum;
Quin etiam arguti ſuperaverat alta Lycæi.
Victor, & aſtrigero curſum affectabat Olympo;
Cùm juvenem improviſa (Deûm proh Numina) peſtis
Invaſit, totumque effudit pectore virus.
Continuò ver purpureum, lumenque juventæ
Diſperiit, roſeuſque color defluxit ab ore;
Et ferrugineus languet puer, aureus olim
Qui fuerat, ſordentque remiſſo lumine vultus;

Cen-

Ceu roſa, nativo quæ nuper caudice ſecta,
Pallentes ſenſim demittit languida crines.
Et tandem, bacchante lue, duro puer eſſet
Extinctus Fato, miſero ni dona dediſſet
Electri Chiron calidis rorantia guttis.
Succina ter quinis vix hauſerat ille diebus;
Cùm nitidus, mirum! confeſtim effulgere viſus
Oris honos, roſeæque iterùm floreſcere malæ,
Et ſua temperies animo, & vis reddita membris.
Langueſcunt veluti ſicco cum flumine flores
Æſtivo ſub Sole, polo ſi plenus ab alto
Decidat imber, aquis ſitientia gramina potis,
Nativum accipiunt redivivo flore colorem.

Ut carmen recitatum eſt, tùm Eulalius: Elegantiores hi præ cæteris, meque mirum in modum affecerunt; neque id, quæſo, pro meâ in te benevolentiâ dictum puta: quippè in amicum, & nominibus non pauculis obſtrictum nullo modo cadit adulatio. Et ſi, Lucilium tuum, cujus animum in ſinu geſtas, ſententiam rogaveris, eandem certè feret. Hìc Lucilius: Ita enim verò; imò beatum duco juvenem illum, quem tu elegantiſſimis hiſce verſibus ad immortalitatem tranſmiſiſti. Ego verò: Sed omittamus tandem res iſtas leviculas. At Eulalius: Imò certè quas numeres ſummo loco. Verùm age, quando de ſalute tuâ ſum ſolicitus, contulitne tibi ad valetudinem recuperandam pretioſa illa medicina? Cui ego: Parum admodum, fateor planè, & apertè, quod mihi, ut te non præterit, vitio vertunt nonnulli hujuſce ætatis homines, apud quos ſimulatio prudentiæ locum obtinuit: & ſapiens ille ducitur, qui verſutior eſt, quàm rota ſigularis. Et ille: Rem mihi quàm acerbam narras. At Lucilius: Proh Deum immortalem! Uſque adeò cæcutiunt noſtri medici, ut contra hanc peſtem, tàm noxiam, tàm communem nullum omninò alexipharmacum excogitaverint? Tùm ipſe: Nullum? imò ſexcenta: ſed quæ illam exaſperent, non cicurent; nàm quæ illius jugulum petant, non ſpero. hic, quò ab hypocondriis fæcem illam, quæ ſenſim in hujuſmodi flatus attenuatur, per aluum exigat, medicinam per neſcio quæ catapotia perſcribit: eamque ſalutarem, lenimenque unicum malo eſſe aſſeverat, quemadmodum & morbis omnibus panaceam præſentiſſimam. Ille verò dulcis aquæ balneolum, quo nimirum aduſta nimis viſcera refrigerentur, alius quidam calybem tenuiſſimum in pollinem elimatum, admiſtumque Aronis fæcula, cynnamomo, atque ambare ſumendum primò manè ad certos dies, jubet, aſſerit enim fore,

Alia medicamina enarrantur,

fore, ut ſic viſcoſa materies, mucique reſolvantur, indeque obſtructi viſcerum meatus relaxentur; quò futuro facilior nutrimento via ſit. Ille novus, & ab arte igniariâ, ac reſolutoriâ benè inſtructus pulverem quendam præter ſe notum nemini, nec niſi plurimi diſtrahendum, quo in æxſtimatione plus habeatur, ad ſalutem unicè profuturum magnificè prædicat: nonnulli abſinthii ſalem, & quidem vel Pontici, vel Seriphii, ut ſcilicèt longè comparata pretioſior ſit medicina, aliique id genus plurima, quæ omnia, me judice, ad fovendam, augendamque plus, pluſque in dies immedicabilem hanc peſtem, quammaximè opportuna, quod verò intolerandum oppidò eſt, calida hic perſcribit, ille autem frigida: humida hic, ille ſicca, quo quid magis abſonum, ne dicam perridiculum, dici poteſt? Ego verò diutinâ experientiâ doctus, quæ quidem tùm rerum, tùm artium magiſtra eſt, nullam duco ſalulubriorem medicinam, quàm menſam admodum parcam, tenues cibos, eoſdemque ſelectos: longam interdum peregrinationem, quòd quidem Tullius ſcribit ad Atticum, vacuum otium, & genialia cum amicis, & his ingenuis, ac liberalibus ex intervallo repetita colloquia: demum nihil conſultius eſſe arbitror, quàm procul eſſe à medicis. Hic Lucilius: Doctiorem te medicum expertus ſum neminem, videris artem iſtam callere belliſſimè. Cui tùm ego: Calleo equidem pluſquam aprugnum callum callet: ſed malo meo: ac proprio Marte, ut dicitur: quemadmodum & reliqua omnia me didiciſſe profiteor. At, quoniam jam adveſperaſcit, concedamus tandem domum, ne ſubhumidus iſtic hortuli aër nobis noceat otioſis.

Præ omnibus medicina ſalubris tenuis cibus.

Dum pergimus, intereà loci, adeſt navicularius: meque rogat, ſi eadem perſtaret ſententia, Amalphim in diem craſtinum adeundi. Cui ego: Admodum, mox ad Eulalium: Numnam vis nobiſcum cùm religionis, tùm animi cauſsâ Amalphim concedere? nam facto ibi ad Aram D. Andreæ ſacro, veneratique ſacra Lipſana, quæ principe in templo aſſervantur, in amœniſſimum locum veniemus, ubi in ipsâ collis crepidine, quà vergit ad mare, nitidus fons ſcaturit, qui lapideam ſubter menſam ibidem inſtructam præterfluens perquàm blandus admurmurat: opacum juxtà antrum, myrtoque latè inveſtitum ad geniale prandium, animique laxamentum ſtationem percommodam dabunt, jam phaſelum conduxi, & en navicularius monet, hæc verò innubis cœli facies, pacatique mollities maris nos invitant blandiſſimè. Tùm Eulalius: Quidnam nón? id enim jamdiù deſideravi: nec unquam illùc copia eundi fuit: quo-

Iter Amalphim ſuſceptum, malis avibus enarratur.

circà nunc mihi res cadit ex ſententiâ, præterquâm quod nihil antiquius habui, quâm veſtrâ ſocietate frui. At unus, dicam planè, me ſcrupulus mordet. Cui tùm ego: Qui verò? Et ille: Timeo ne mutato repentè mari, quo nihil inconſtantius (eſt enim quaſi Proteus), inque varias ſeſe formas momento mutat) nauſeam mihi excitent commoti fluctus. Cui tùm ego: Ut video in eâdem navi es, quà Lucilius, qui mare, quaſi baſiliſcum perhorreſcit. Hoc loco Lucilius: Quid faceres? ſic ſum, ut mihi mare faſtidium creet, quippè haud quaquam eſt mei ſtomachi. Ego verò: Eja agite: bono vos animo eſſe jubeo, æquam viam inibimus. Accepi rectam, quæ hinc ad alteram maris oram per æquiores illos colles, quos propè videtis, inducit, quam incolæ Cermennam vocitant, minimè difficilem, & per quàm brevem eſſe, quocircà vos pedeſtri itinere illam compendio conficientes, ad adverſam oram venietis, à qua non longulè Amalphis abeſt. Ego intereà ad eundem locum phaſelo vectus per Caprearum fretum me conferam, ſuſceptis deinceps in lembum vobis, quod reliquum viæ eſt, equo ligneo percurremus, & quidem propter oram. Tùm Lucilius: Optimum conſilium, & cujus haud equidem nos capiat pœnitudo, tutior quippè via terrâ eſt, quàm mari: & ut perquâm bellè tute in Nauticis.

Semper & in dubio res eſt, dum currimus æquor.

Poſtquam ad hunc modum ire conſtitutum eſt, jubeo Navicularium omnia in craſtinum adornare, noſque in ſententiâ conſtare. Deinde domum recepti, poſt frugalem cœnam (quæ brevi acetariolo miſcello, libulo ex frixis ovis, paucisque nucibus juglandibus, quæ cùm recentes, uti tùm erant, ſapidiſſimæ, peracta eſt) cubitum paulò antè quàm ſolebamus, conceſſimus: nempè antequam albeſceret ſine tœdio, ac ſomnolentiâ Lucilius expergiſceretur, qui paulò plus ſolito indulgere ſomno tùm propter aëris clementiam, cogebatur.

Dùm poſt mediæ noctis inclinationem gallicinium appeteret, è lecto corpus ſtatim corripio, accensâque igniario luce, famulum acccerſo, quem ad domeſtica miniſteria hac conditione Proprætor conceſſerat, ut orationem, quæ in ſtudiorum anniverſariis quotannis recitari ſolet, illo anno haberem, uſque adeò nihil nobis ſine pretio venit. Ut præſto fuit (erat quippè impiger, atque ambideſter, multiplicique ab arte inſtructus) huc, inquam, nautas evocato, ut viaticum in naviculam deportent, curatoque ut iſtum etiam vidulum in tuto locent, illum ego ſerulâ obſeravi, vide,

ne

ne quis adulterinâ clave recludat. Et ille; Factum, curatumque dabo, nec quidquam te anxium habeat, meos enim oculos in illorum oculis habebo. Sub hæc aſſumpto baculo, in hortum cycladatus deſcendo. Ut tandem ad litus veni, in lembum inſilui: factoque ibi ex velo veluti phormione extemporanio, ſomno, quem vix eâ nocte oculi viderant, acquieſcere adviſus ſum. Jam ultra Maſſam ad delubrum, non longè ab Athenæo perventum erat, cùm famulus, ità me interpellat: Heus, here, quodnam illud oſtentum eſt, quod circa Lunam aſpicio? exporrectus halonem video, quo viſo, animo ſtatim concidi: atque incaſſum, inquam, laboramus, hic profectò pluviam portendit, & ventum item ex Oriente hiberno: illàc nempè circulus ſcindere ſeſe incipit. Vix hæc, dum in proram & vehemens, & ſubitus deſcendit Euronotus. Et quantumvis obniti vento nautæ conarentur, omnem tamen ludebant operam. Flectere igitur illos curſum jubeo, inque vicinum quendam ſinum divertere, atque inibi parumper ſubſiſtere; ſperabam enim fore, ut ſub auroram caderet ventus, ut facit ſæpènumero, cum per horam in anchoris ſubſtitiſſem, experiri nautas jubeo; verùm nullâ vi, nulla operâ Athenæum ſuperare potuerunt. Quinimò obtegi jàm cœlum, altiuſque undas aſſurgere incipiebant, capto igitur, ut ajunt, in arenâ conſilio, Surrentinum remeo. Vix dum redii, cùm in viam ſe jam dediſſe Lucilium, & Eulalium intelligo, quare ruſtico advocato, jubeo quantocyùs ſe in Cermennam capeſſere, atque amicos de adversâ navigatione commonefacere; monere item meo nomine, ut domum reverterentur. Verùm hic oppidò ruſticus, ac piſtrino digniſſimus, in ipſo viæ exordio ingenti ſub ficu conſedit, ventremque Lydiis ficubus ad ſatietatem uſque conferxit, ac ſaginavit. Ab halone ventus, & pluvia.

Poſteà verò quàm inter ſpem, & metum, ne illis quid incommodi accidiſſet, ad meridiem uſque expectavi, & compluries de feneſtrâ circumſpexi, & modò unum, modò alterum nomine compellavi, tandem expectando exeſus, atque exenteratus, deque proximò regreſſu deſperans, invitus, ac triſtis ad menſam conſedi, jam enim præ inediâ cœperat mi bilis excandeſcere. Vix alteram in os bucceam ingeſſeram, cùm tandem aliquando, eccè tibi pro foribus Lucilius, & Eulalius, qui non modò defatigati præ itinere, languidi præ fame, ſed perterriti, ac ſemimortui, utqui ex magno periculo omni ope, atque operâ, & ut dicitur, manibus, pedibuſque evaſiſſent, mihi viſi ſunt: quare etſi lætus, quod ſoſpites tandem, ac ſalvi rediiſſent, verum-

tamen illorum, timore perterritus, enarrare jubeo quidquid illis acciderat. Tùm Lucilius: Mane, ſine reſpirem, quæſo. Ego verò: Imò quieſce, mox, ut ſedit, recepitque animam, ità ex abrupto; Gratia vobis, Superi, plurima, quo vivus huc redierim: diſperęam, ſi tanti beneficii immemor arguar in poſterum. Proh! quantum, mi Parthenie, periculum evaſimus, in tam lacrimabili, ac manifeſto vitæ diſcrimine conſtitutum, ut hodie, me vidi nunquam, nec deinceps futurum ſpero. Tùm ego ſtupore attonitus, metuque perterritus; Quid tandem, mi Lucili? inquam, offendiſtiſne in piratas, aut graſſatores? an fortè noxias in beſtias? Tùm ille: Minimè verò, ſed in præcipitium, ex quo certè miraculo evaſimus. Cui ego: Quodnam præcipitium narras in viâ tàm tritâ, tàm facili? Et ille. Avibus certè, non verò hominibus: auſculta modò rem omnem, quo potero compedio, altè ordiar, atque à capite.

Terreſtre Iter Amalphin difficile, ac pericu loſum.

Poſtquam per montis acclivia, iniquo, implexoque calle, & quà ſaxis, quà vepribus obſito (in quæ, me miſerum! ſæpè ſæpiùs offendimus) labore plurimo tandem ſuperato, ſupremum in verticem, cui Cermennæ nomen, evaſimus, lætati tantiſper ſumus, quod confectâ utcumque viâ aſperâ, atque impeditâ, æquiorem planitiem teneremus, ex qua deſcenſum in alteram maris oram haud difficilem putabamus, igitur poſt ubi ad vicinas arbores brevi divertimus, vires aliquantulum reſtauraturi, eunte præ puero, qui nobis viæ dux erat, læti, atque alacres, quod reliquum erat itineris, ſtatim corripimus. At vix viæ pluſculum progreſſi, cùm ecce tibi ex horrendâ, & præruptâ rupe altiſſimum, & perquàm maximè horrificum viſu præcipitium: tùm ego: Ah, ah, puer, quà tu nos ducis? hàc ne capreis quidem eundi copia. Ille verò non benè memor, & vix ſibi conſtans; Neſcio, inquit, an hàc ſit alia via expeditior; mox ut oculos circumtulit; Hæc, hæc profectò eſt, inquit, jam mihi in mentem venit, quinimò hæc veſtigia ſunt hominum: pergite porrò meâ fide. Cui tùm ego: Adeone ego fungus, qui tuæ fidei me credam? Numnam inſanis? an fortè adhuc obdormiſcis? in hoc duro, nudoque lapide ne pecudum quidem veſtigia; hunc verò, quem præmonſtras, anguſtum, tortuoſumque callem, perque rupis latera recurrentem, defluens è vertice pluvialis torrens inſtravit ſibi, atque aperuit, qui non adeò præruptus, atque avius ſub initium videbatur, igitur poſt ubi tantiſper dubii animis ſubſtitimus, ſubjecto è litore vocem audire viſi ſumus cujuſdam nos compellantis, & ut deſcenderemus adhortantis: quare arbitrati te jam adveniſſe; atque ad hoc inducebamur,

mur,

mur, ut libenter crederemus, quod cymbam in litore videre videbamur (erat autem infamis ſcopulus, qui è longinquo cymbæ ſpeciem præ ſe ferebat) iter aggredi tùm denique conſtituimus, vocem illam à malo genio emiſſam certò exiſtimo, ut nimirum in præceps nos traheret. Tùm ego. Quæ mihi, Lucili, narras? Et ille: Atque audi; jocum dices, præ quàm quæ ſenties: vix anguſtam illam, declivemque viam, viam autem? imò præcipitium ingreſſi ſumus, cùm ecce in nudum, anguſtumque tramitem, qui vix pedem capiebat, incurrimus, dextrâ patebat omninò, illique horrenda vallis ſubjecta, ſiniſtrâ nudâ præcinctus erat rupe, cui ne unus quidem frutex adnatus, quem prenſare poſſemus, & ſic tutius procedere; fateor hîc me exanimatum horrore periculi. Cui ego: Credo equidem. Ille verò: Vel ipſe proſpectus quàmmaximè periculoſus; quando nec à mari oculos avertere, nec retrocedere poteramus. Quodque pejus erat, jam vertigine laborare caput, jam caligare oculi incipiebant: totuſque tùm præ timore, tùm labore ſudabam. In ſummam, ne tàm lugubri memoriâ, dolorem ſcindam adhuc, totum illud iter, quod tàm infauſtis avibus ſuſceperamus, hujuſmodi erat, ut magis expedire duxerimus, ſi humi more pecudum proni, manibus, pedibuſque incederemus. Verùm ah! quoties prenſare ſpinas, ſtringere vepres, inque acutas ſaxorum acies offendere coacti ſumus; quoties Divorum, & Virginis inprimis pietatem per iterata identidem vota obſecrati ſumus. Hic ego: Exanimaſti me tanti enarratione periculi, infames illos inter lapides, ac vepres vitam certè reliquiſſem. Tùm Lucilius: Ita prorſus, bonam Dii mentem tibi dederunt, ut committeres tete mari, proh! quanta te cœpiſſet pœnitudo: verùm attende, quæſo, nondum enim finis eſt tragediæ. Cui ego: Perge porrò: expecto fabulæ cataſtrophen. Et ille: Ubi tandem periculum perrupimus, inque oram defatigati, ac perterriti deſcendimus, neque te, neque lembum reperimus in litore, quanto mœrore, ac ſolicitudine verbis aſſequi vix queo: ex te conjicito. Cui ego; Planè intelligo. Quid tùm poſtea? Et ille; Ardentiſſimus Sol erat, nec quò divertere ad umbram habebamus, nam quæ una, & illa quidem ſemiruta in litore erat taberna, derelicta, atque obſerata omninò; per totas duas horas illic expectavimus, cum tandem caupo advenit, apertâque tabernâ nos in tempore introduxit; jam enim nigerrimus Africi nimbus pluviam attulerat. Quia verò inediâ ex tam longâ defatigatione laborabamus, cauponem rogo, numquid haberet, ut diem frangeremus? Ille verò; Habeo,

Lepida Fabella de Caupone.

beo; inquit, nonnihil pollucti, quo prandere poſſitis quàm lautiſſimè. Cui tùm ego: Videlicet? Et ille: Sardas ſalitas, quarum ſolo odore reficiamini. Ego verò: Eſtne amplius? Et ille; olivæ Africanæ. Tùm ego; Quid prætérea? Ille verò: Nuces aliquot cum caſtaneis. Cui tùm ego: Illas pueris aſſervato, cedo tandem, quod polluctum dicebas. Hoc loco ille, vultu in admirationem compoſito, Adeòne, inquit, inſanè eſuritis? timeo ne uti lupi famelici in me impetum faciatis. Hic ego, atque Eulalius, quamquàm triſtes memoriâ præteritorum, deque futuro etiam ſoliciti, nihilominus vix quivimus tenere riſum. Mox Eulalius: Habes, inquit, vinum in tabernâ? Cui caupo: Hui, vir bone! vinum in tabernâ? habeo, & quidem optimæ notæ, ſtatimque totum deportavit doliolum, cui, educto epiſtomio, os Eulalius admovit: ut verò ſummis labris deguſtavit, Vappa, inquit, ad me, imò merum acetum, ad cauponem vero: Phy! hujuſmodi vinum apud vos optimæ notæ? accipe, tibi totum habeas. Ego verò afferre ſardas jubeo: ubi verò allatas vidi, aufer, inquam, cibus iſte non eſt mei ſtomachi, erant enim adeò fœtidæ, ut ne illi quidem devoraſſent, qui ex igne cibum ſibi quærere conſueverunt, converſuſque ad Eulalium, ò ubi Dentex ille tàm exquiſito panificio incruſtatus, tantâque ſalſamentorum conditus varietate! ò ubi collinum, & Græcum album! ſapuit oppidò Parthenius, qui illa apud ſe eſſe juſſit, faxint Superi, ut nobis bolum relinquat? Cui tùm ego: Hui! nonne vobis pulchrè notus? an fortè me brevi helluonem, aut paraſitum factum putatis; en totus hic Dentex, atque integer. Tùm Lucilius: Si ita eſt, quid plura? ſimulque admotâ ſedeculâ accubuit, quem illicò ſecutus Eulalius. Dum comederemus. Quid deinceps factum eſt (inquam ego, Et ille: Tandem cum adventum tuum deſperavimus, Senatu inter nos habito, de reditu cogitavimus; ſed quàm iniquo animo, tu conſice, hic verò qualis fuerit non multi eſt cognoſcere, id etiam incommodi acceſſit, quod ex pluviâ adeò lubricum ſolum factum eſt, ut retro non ſine ingenti timore, & periculo, fallente ad ſingulos quoſque paſſus veſtigio, ſæpènumero relapſi ſumus, avertant Superi, ut ſimilem viam aliàs ingrediar.

Ego ut tam infauſti, moleſtique itineris mœrorem omnem, memoriamque delerem læto, elegantique convivio (ſum enim pro tenuitate liberalis) coquum accerſo: quæque optima, & præ reliquis delecta ſcitè eſſent adornanda, & quàm concinnè, ac veluti muſicè inſtruenda eſſet menſa, edico, volebam enim convivarum oculos delectare

mun-

munditiis, deinde, quoniam defaticati nimium eramus, ad quietem captandam concedimus.

CAPUT VII.

Ad vitam beatè traducendam leges præſcriptæ: deinde de Campaniâ Felice illatus ſermo: carmenque de illius laudibus recitatum: mox quæſitum inter epulas, an in ſaporibus muſica ineſſet elegantia, & ſi cœleſti illi Pythagoræ aſſimilaretur: utrumque ratione confectum eſt.

POſtero die, poſtquam ea, quæ pietatis erant in Superos, religioſè abſolvimus, in pomarium motandi corporis causâ deſcendimus, ubi verò totum crebrâ curſatione luſtravimus, in toroſâ demum vite conſedimus, ibique longam de his, quæ ad vitam beatè, tranquillèque ducendam conducerent, diſputationem habuimus. Et cum hinc inde, ut fit, multa Lucilius, atque Eulalius diſputaſſent, me tandem ambo ſententiam interrogant. Tùm ego: Quoniam mihi hanc provinciam demandatis, quid de hac re ſentiam paucis planè aperiam. Ajo igitur illum fore beatum, vitamque feliciter, ac tranquillè traducturum, qui hanc vivendi rationem, quàm mox recitabo, & quàm ex diviniſſimo Epicteti Enchiridio decerpſi, accuratè inibit. Hîc illi: Iſtuc expectamus animis lubentiſſimis. Ego verò. Atque audite: Omnibus in rebus mediocritatem potiùs elige, quàm abundantiam, hæc enim invidiam parit, neutiquam verò illa, perpetuum tibi ſtudium ſit, ne quid commodi ex aliorum incommodis aucuperis: imò ſolerter caveto, ne obliquo oculo alterius commodum limes, ſiquidem nihil tàm animum lacerat, quàm videntia. Απραξίαν, vacationem à negotiis Latinè verterem, quantum licet amplectere: nam uti eſt in proverbis, ἀνάπαυσίς ἐστι τῶν κακῶν ἀπραξία. Nullis te negotiis immiſceas, & maximè jis, quæ ſine aliorum injuriâ ſuſcipi, tractarique minimè poſſunt, quare ſi juvandus amicus, ità illi benefacito, ut hac de re nullius tibi odium conſles, ſi quid fortè aliundè ſimultatis obortum fuerit, quod in toto vitæ curriculo ne cordatus quidem vitare quibit, aut purgatione lenies, aut officiis extingues, aut diſſimulatione intermori patiaris. A contentione ſemper abſtineto: in quam ſi fortè fortunâ incideris, rei potiùs, quàm amicitiæ jacturam velis, nihil quippè eſt in humanis, quod amicitiæ præſtare poſſit; quocircà nec quidquam

Epicteti enchiridium liber præſtantiſſimus, ac moralibus præceptis refertiſſimus.

Leges præſcriptæ ad beate vivendum.

quam tibi charius, nec ſanctius eſto: curatoque ut amicorum rationem ſemper habeas. Da inſuper ſtrenuè operam, ut nihil flagitii committas, quod tibi probro futurum ſit, quodque animum laceret, nihil enim irrequietius eſt animo ſibi malè conſcio, ut contra nihil quietum magis, magiſque beatum, quàm conſcientia rectè factorum. Tandem ſic animum inducas, ut nihil vehementer vel oderis, vel expetas: ita enim fiet, ut ſi quid boni obtingat, non efferaris, atque inſoleſcas: ſi quid decedat, non admodum crucieris, nullâ re ringi permittas: maximè quæ nihilo melius ſit habitura, ſed utcumque res eſt, ita animum habeto, nulluſque ſit tantus animi dolor, quem tecum ire cubitum patiaris, idcircò æquum ſemper animum gerito: æquus enim animus optimum eſt ærumnæ condimentum. Atque hanc puto normam quietè, beatèque vivendi. Tùm Eulalius. Næ ille Talete ſapientior, atque Ulyſſe prudentior, qui vitam inſtituere, ac moderari poterit iſto modo. Cui ego: Ita enimverò: ſed ſit neceſſe eſt. At Lucilius: Verùm ad vitam beatè tranſigendam multùm conferre arbitror loci in quo degas, delectum: nimirum ut ſit in cœlo ſalubri, amœno ſolo, & quantum fieri poteſt, à turbis, undiſque populorum quàm remotiſſimus, qualis hic profectò eſt, tibi meritò oculiſſimus, nonne mecum cenſes? Cui tùm ego: Cenſeo, ajoque. Et ſanè blandiſſimus hic cœli nitor, vernantis hic agri riſus, læta hæc pacati facies maris, hic ſecretus ſylvarum receſſus; hic proſpectus amœniſſimus Crateris univerſi, nonne ad quietem animum invitant? nonne omnem ſenſibus beatitatem inſtillant? Atque hinc, ut fit, ex uno in aliud ſermonem tranſduximus, plurimaque de Felicis Campaniæ, & Crateris tùm amœnitate, tùm pulchritudine diſſeruimus. Meritò, inquit Eulalius, hanc ſummis laudibus & Romani, & Græci celebrarunt, imò hic Græciæ ſuæ, ac cæteris Orbis partibus prætulere; genus cæteroquin in laudem ſui, ut ait Plinius, effuſiſſimum. Hic ego: Recitarem, Eulalie, quædam carmina, quæ ad Virgilianam amuſſim, de Cratere, noſtrâque Campaniâ contexui, niſi adhuc impolita, ut primulùm exciderunt, aſſervarentur in arculâ, ſcio enim vos aduncis plus juſto naribus eſſe. Tùm Eulalius: Imò vel ſic placebunt, quinimò tibi ingenium ſic eſt, ut interdum, abſolutam omnibus numeris ſobolem edat, recita, quæſo, id ipſum Lucilius expetit, dabimus ambo tibi operam perpurgatis auribus. Tùm ego: Quoniam de illis cupio veſtram audire ſententiam, morem vobis geram, mox libellum ab arcâ truſatili educo, deque ſcripto ad hunc modum lectito.

De Campaniæ Felici Carmen.

Sed

Sed neque Erythræi fluctus, ditiſſima gemmis
Æquora, non Chryſe, aut felices Perſidos undæ
Laudibus Euboici certent Crateris: & Actæ
Non ſe Campanæ æquiparent Mavortia Rheſi
Litora, nec Siculis Tellus regnata Tyrannis,
Non molles Arabum tractus, nec in Orbe repoſta
Tota coloratis Peruvia dives arenis.
Hæc vada non Phocæ ſpirantes naribus imbrem
Sulcavere, aut formidandæ piſcibus Orcæ,
Nec Balænarum rigidis mare dentibus horret.
Sed roſei Mulli, & Murænæ lacteus humor
Percurrere; ſecant Soleæque, rubrique Erythini:
Hic niveus ſeſe vitreis è fluctibus effert
Delphinus, puerosque inter feſtivus oberrat:
Hic nitidi ſemper Soles, & aprica ſerena,
Et petræ Conchis, & Piſcibus utilis unda:
At Colubri triſtes abſunt, & dira Luporum
Semina, nec miſeros diſcerpit Scylla natantes:
Non tantum radiis Torpedo nocet, neque tantum
Scorpius irato diffundit ab ore venenum.
Adde maris proſpectum omnem, & Telluris amœnum,
Et montes ſacros, & utroque ab litore colles,
Nunquam non gratos umbris, & mollibus herbis;
Depictaſque inter currentia flumina ripas:
Totque altis impoſta jugis caſtella, domoſque,
Atque theatrali fabricata palatia circo
Pauſilypi propter litus, clivoſque ſequentes:
Regum opus, atque opere egregio, luxuque ſuperbo:
Adde Vrbem lætam populis, opibuſque potentem,
Et claro auguſtam ſceptro, ingenuiſque vigentem
Artibus, & ſtudio florentem nobilis oti,
Cui Regina ſuo fecit de nomine nomen
Parthenope, miteſque dedit blandiſſima ritus:
An virides memorem ſcopulos, piſcoſaque ſaxa,
Et tot muſcoſis exciſa in rupibus antra?
Anne ſinus tantos? te Polli, teque beato
Cum portu, Miſene, tuo, & te, molle Dicarchum?
An quæ felicem memorem Cratera coronant?
Hinc ditem Baccho Inarimen, monteſque Tiphoei,
Et Prochyten pomis vernantem, & pinguibus uvis;
Piſcoſas illinc Capreas, Fanumque Minervæ.
Et Vici colles, & pampineum Surrentum?
Hæc eadem Muſas, & doctas excudit artes,
Campanoque ſonum dedit ære, & pyxida Nautis
Protulit, & tenui telas intexuit auro.

Hæc vates lauro inſignes, rubroque galero
Romuleos Patres, claroſque Heroas in armis;
Et tot Pontifices tulit; & te maxime Patrum,
ANTONI, Solio qui mox ſublimis ab alto
(Regnatorem Orbis nam te, Colliſque Quirini
Concordi plauſu Divique, hominesſque, repoſcunt)
Omnia ſub pedibus volvi, vertique videbis.
Salve magna Parens rerum Campania Tellus,
Læta mari, fœcunda ſolo, mitiſſima Cœlo,
Alma viris, medio quam Dii poſuere benigni:
Gemma velut, circo media eſt, quæ lucida fulvo.
Egregias tibi nunc laudes percurrere, & artes
Incipio, Actiacos auſus tractare cothurnos.
Coryciumque cano Tyrrhena per æquora carmen.

Inno. XII. P. M. Neapolitanus.

Ut finem impoſui, divinavi, inquit Eulalius, hujuſmodi carmen eſt, ut limam fruſtra expectet, quippè cui nihil eſt, quod addas, vel demas: ut eſt, noſtrâ fide, in lucem edito: placebunt etiam hominibus naris emunctæ, & faſtidii delicatiſſimi. Lucilius verò: In tuam, Eulalie, ſententiam deſcendo, ſapiunt quippè, ut ait Perſeus, demorſos ungues. Cui tùm ego: Minimè verò; ſuâ enim ſpontè exciderunt. Et ille: Si ità, calebas tu certè quidem. Verùm eamus domum, neque amplius moram dictis injiciamus: nunc ipſum coquus clamavit corrumpi prandium, & mihi inanitate murmurant viſcera. Cui ego: Per me licet, nihil igitur cunctati, nos domum recepimus. Hic lotis de more manibus, Deumque precati, ut menſam in bonum verteret, conſedimus. Deinde initium factum eſt ab ovo recenti elixo, ac ſorbili (nondum enim æſtas groſſulos concoxerat) ſuaviſſimum mox juſculum ſorbillando exhauſimus; Jam ſecundæ lances inferebantur, cùm villici puer propè à nobis aſtitit, qui etſi ruſticus, ſcitiſſimè tamen lyram pulſabat: & modo varios avium cantus, modo paſtoritiæ ſonum fiſtolæ artificioſiſſimè conabatur, ac mirifica nos oblectatione afficiebat. Hic Eulalius: Bellè, atque opportunè factum, Parthenie; utne muſicus quidem ſonus in hoc convivio deſideraretur; quod nobis tàm lautum, tàm opiparum, tàm varium inſtruxiſti, haud equidem vel elegantius, vel magnificentius adornaſſes, ſi tibi diem dixiſſem Sibariticum. Cui tùm ego: Joculare illud, Eulalie: nam me ne opinantem quidem adortus es, & hic loci nihil eſt, quod ſtatim comparare poſſis; quare, ut lepidum, ita verum illud amœniſſimi* poëtæ de Surrento Epigramma:

Deli-

* Chryſogonus Mantuanus.

Delicias Phœbi, Muſarumque otia ſentis,
Dum Surrentina Gargara in urbe tenes:
Nempè (modo veniat quod ædas aliundè) receſſus
Non habet huic Helicon, mollis & Aſcra pares.
Verùm ſi colles tantùm apponantur aprici,
Sit tibi Surrentum delitioſa fames.
Aëre Chamæleon nutritur, rore cicada
Hæc eadem Surrentum dat tibi, pane caret.

De Surrento jucundum Sal ſúq; Epigr.

At Lucilius, penes quem domeſticæ rei curam depoſueram, (& ſanè adeò gnavum, ac ſolertem expertus ſum, ut ſi de præfecturâ ageretur, meo illum ſuffragio libentiſſimè ornarem) ita eſt, ut ait Eulalius. Quin & illud mihi pulchrum videtur, & admirabile, quod muſicè, ut ſoles omnia, convivium adornaſti, adeò eleganter, cultros, lances, fercula, & quod majus ſanè eſt, ſapores ipſos concinnaſti; neque ipſa defuit muſica perquàm jucunda. Quare eam tibi laudem dandam eſſe arbitror, quam ſibi Paulus Æmilius adſcivit, cum Perſe acie victo, ſubactâque Macedoniâ, regni principibus convivium exhibuit lautum æquè, ac mirandum. Quippè tàm artificiosè, ingenioſèque inſtructum, apparatumque erat, ut ſacra Libero, Cererique menſa Martis campus videretur, ibi enim contra convivas, quaſi milites inſtructâ legione, ordinatâque acie lances, & fercula prodibant dimicatura, primæ, ceu primipili convivas lances aggrediebantur, primoſque inſultus intentabant, illis verò jam vacuis, ac cedentibus retrò, ſecundæ in ſuppetias properabant, plurimæ in primâ fronte ſtationem habebant, aliæ ad cornua ſinuatæ: hæ quaſi velites, initio vix certamine, ſeſe ſubducebant, illæ clanculum inſidias tendere; hæ nudato pectore prodire in aciem, ſigna conferre, manus ſerere, bellumque committere videbantur, quæ cùm convivæ principes ſummo animi ſenſu, ſummâque admiratione ſpectarent, Paulique nomen ſummis laudibus celebrarent; ille, ut refert Pauſanias, Ejuſdem viri eſſe ait, & armatam aciem quâmmaximè terribilem; & convivium quâm jucundiſſimum inſtruere.

Pauli Æmilii Convivium, miro ordine adornatum.

Hic ego, cum gratias egiſſem Lucilio, quod perhonorificè de me ſentiret, ut prandium erudito ſermone condirem, qui Philoſophorum mos eſt (nullus erat enim tùm anagnoſtes, qui illud peregrinâ lectione ſuaviorem redderet) arreptâ ex muſicâ occaſione, hanc in medium quæſtionem intuli: Eſſetne inter ſapores mutua quædam convenientia, quàm harmoniam eruditi, proportionem Geometræ appellant, & primùm Eulalium rogo), quam ferret de controverſiâ ſententiam? Et ille: Lucilio, inquit, trado hanc

An inter Sapores ſit quædam proportio harmonica.

lampada, quem Geometriæ dediſſe graviter operam, te præceptore, jam comperi. At Lucilius: Hanc quæſtionem ad te, Parthenie, cenſeo referendam, quippè hunc nodum præter te feliciùs ſolvet nemo, quare age, quæſo, ediſſere: id ipſum maximo te orat opere Eulalius, audiemus ambo ſummâ animi voluptate, & ſanè res eſt voluptuoſa. Tùm ego: Faciam libenter, ut intelligatis quantum apud me gratiâ valeatis: Et illi. Lucent ſanè tua in nos officia. Tùm ego: Quia verò palatum habetis perquàm eruditum, & faſtidii delicatiſſimi, mihi veniam detis etiam, atque etiam rogo, ſi non quantâ deberem elegantiâ duriuſcula cæteroqui verba, exornabo. Tùm Eulalius: Iſtud maximè expecto: erit ille cibus noſtro ſtomacho aptiſſimus, jam igitur viam ingreditor, qua illud efficias: vacuas tibi aures accomodabimus. Tùm ego: remotâ nimiâ diſputandi ſubtilitate, muſicam inter ſapores eſſe convenientiam hac ratione efficere aggreſſus ſum.

Comparantur ſapores ſingulis Conſonantiis.

Summa, quæ à ſaporibus ſuavitas eſt, illi conſonantiæ reſpondet, quam Græci *διαπασῶν*, Octavam noſtri dicunt, quæ ut abſolutiſſima numeris eſt, ita auribus jucundiſſima, id verò ex ſe perſpicuum omninò. Etenim conſenſio quædam ſaporum eſt, & conniventia ad ſuavitatem, cujus Dulcis præ ſe ſapor ſpeciem gerit: quippè quo nihil eſt admodum, quod, vel ſuavius, vel gratius palatum afficiat, jam verò, qui ſequitur, Pinguis ſapor, quem carnes ſapiunt, atque ova ſcitè præparata, cùm *διαπέντε* (Quintam Latinè vertunt) componi non abs re poteſt, ſiquidem poſt dulcem primas obtinet, inque ſuo genere abſolutus. *Διατεσσάρων* (Quarta nobis eſt) Salſo congruit omninò. Ut enim hujuſcemodi conſonantia ſuaptè naturâ inſuavis eſt, ita Salſus ſapor ex ſe haud multùm acceptus palato, quemadmodum verò iſtæc conſonantia, ſi Quintæ copuletur, inque unum conniveat, Octavam efficit, auribus perquàm gratiſſimam, ita Salſus ſapor, ſi Pingui admiſceatur, jucundam palato ſuavitatem affert. At verò (quo res magis in manifeſto ſit) quemadmodum Octava, ſi aſſocietur Quintæ, diſcordat quippè, & futilis omninò, ita pariter Salſus, immixtus Dulci, tàm male afficitur, ut melius Amaro ſeſe accomodet: non ſecus ac in olivis benè ſalſis uſuvenit. His autem ità conſtitutis, meo arbitratu, apertiſſimè, contendam id efficere; quod inſtitui. Tùm Eulatius; Perge porrò: hactenus oſtenſa dilucida quippè. Tùm ſtatim ego: Præter principes illas conſonantias, de quibus ſermo jam factus, aliæ quædam ſunt, quas à verbo

Et Tonis.

τείνειν, (intendere Latinè ſonat) tùm Græci, tùm Latini

Tonos

Tonos vocant. Ex his autem, quem Semiditonum Muſici appellant cum Inſipido ſapore, quem verò Ditonum, cum Aſtringente ad unguem congruere hac ratione in promptu ponam. Tàm Semiditonus, quàm Ditonus ex ſe non prorſus inſonori, & ſi Octavæ accomodentur, auribus aſſonant quàm gratiſſimè, nonne eodem modo Inſipidus, & Aſtringens, & ſuaptè naturâ non illepidi, & ſi permiſceantur dulci perquàm ſapidi? quippè, verùm, addam amplius: quemadmodum tàm Semiditonus, quàm Ditonus ſoli ſi ſint, aures vix afficiunt, eodem modo, hi ſapores ſi puri putique prægustentur, ſenſus vix movent. Præterea ut illi cum Quintâ non conſonant; imò etiam diſcrepant, ità hujuſmodi ſapores cum Pingui ad ſuavitatem non conſpirant: imò illum faciunt deteriorem. At ſi Quartæ illi ipſi adjungantur ex arte, ſonant belliſſimè: ita pariter Aſtringens, atque Inſipidus, ſi ſcitè Salſo condiantur, ſapiunt venuſtiſſimè. Hoc loco ſic Lucilius interpellat; utpotè qui hanc ſibi provinciam depopoſcerat: Da quæſo, inquit, veniam ſi ſermonem abrumpo, mira ſanè prædicas, & quæ mihi cadunt ex animi ſententiâ, haud equidem putabam tantam inter ſapores rationem intercedere, efficiam profectò, ut illa coquum non lateat cœnabo ſic majori voluptate. Cui tùm ego: Gaudeo quàmmaximè, quòd ex meâ ratiocinatione id ad te voluptatis affluat, quæ quo plenior tibi ſit, & ſine radio, ad reliquos ſapores contendam. Et ille: Inſiſte, ut cœpiſti: mihi rem perquàm gratam facies. At Eulalius: Si quid apud te authoritate valeo, iterum, atque iterum rogo, ut pergas quò iter inſtituiſti; nam non auribus modò, ſed etiam palato, ut rectè Lucilius, jucundiſſima oratio eſt. Tùm ego: Gratias ago, quod humaniter ſermonem excipiatis, & haud gravatè, qui cæteroqui duriuſculus, etſi de molliſſimâ re, & quammaximè ſuavi inſtitutus ſit. Sunt inter Muſicos tonos hi inſuper duo: Sexta Major unus, alter vero Minor appellatur, horum autem vicem in harmonicâ ſaporum confectione Acer, atque Acidus gerunt; utpote qui cum Inſipido, atque Aſtringente ad voluptatem conſpirent: nam ſicuti Sexta major cum Semiditono, minor verò cum Ditono ſuavem auribus ſonum reddunt, ità etiam Acer cum Inſipido, eumque Aſtringente Acidus perjucundum palato ſaporem propinant. Quin etiam, ut utraque Sexta cum illiuſmodi tonis Octavam efficiunt, minus tamen ſuavem: deeſt quippè Quinta ad abſolutam ſuavitatem: eodem prorſus modo Acer, atque Acidus cum Inſipido, & Aſtringente, etſi perfectam admixtionem ſaporum faciunt, non tamen perfectiſſimam,

quæ

quæ certè haberetur, ni Pinguis abeſſet, cujus eſt Quintæ præ ſe vicem gerere in ſaporum conſonantiâ, quam voluptariam non abs re muſicam dicerem. Auſterus (hoc amplius, cadit quippè in rem) cum Acri moderato perquàm bellè ſapit: atque idcircò uterque Inſipido admiſcetur: atque hinc illud Martialis.

Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm ſæpè petit vina, piperque coquus!

acre quippè piper eſt, vinum verò auſterum, nec immeritò Tullius in familiaribus quæritur ſe victum à maluis, inque lienteriam incidiſſe. Hoc loco Lucilius: Rectè ego, qui à malvis me contineo. Cui tùm Eulalius: Nimirum palatus tibi ſapit. At ego: Miror oppidò, quod hic cibus nonnullis ſuàviſſimè ſapiat, uſq; adeò verum illud: Nulla fatuitas ſine patrono, nulla fœditas ſine amatore, verùm, ne feramur extra oleas, attendite, quæſo, & quàm benè ſibi mutuò ſapores reſpondeant, accipite. Utraque Sexta, Major ſcilicet, & Minor, ut ex Muſicis regulis planum eſt, cum Octavâ, & Quintâ rectè copulantur; atque illas ſonoras magis, magiſque blandas auditui faciunt, nonne eodem modo Acer ſapor, atque Auſterus cum dulci, & pingui ſcitiſſimè admiſcentur? Tùm Eulalius: Ità verò. At ego: Eſt etiam quod hujuſmodi conſonantiam manifeſtiùs confirmat: Nempè utraque Sexta, ſi Quartæ ſeſe adjungat, diſſona obſtrepit, obtunditque aures: ità prorſus illiuſmodi ſapores, ſi Salſo accedant, inſuavis oppidò, qui mixtione progignitur.

Sed jam ex voculationibus Muſicis ea ſubſequitur, quæ ſuaptè naturâ diſſona ſemper eſt, & tàm auribus ingrata, quàm quæ ingratiſſima, iſtæc verò Tonus eſt. Hic Lucilius: Vera prædicas: nihil enim eſt, quod tàm faſtidioſè audiam, quàm eâdem voculatione repetitam ſæpius cantilenam. Cui tùm ego: Numnam idcircò ſæpiuſculè interpellas, ne eodem ſemper tono ſim faſtidioſus tibi, quippè delicatiſſimo? ut & confragoſa iſtæc mea oratio, factâ dicendi intercapedine, diſpliceat minus? Divinavi? Et ille: Nihil minus, imò fateor id tibi contigiſſe, quod haud ſcio an nemini, ut cum appetentiâ te audiam: cùm alioqui aures habeam faſtidioſiſſimas, quæſo igitur, ut pergas ire porrò, & quis ille, qui vice Toni inter ſapores ſit, exprimas nam ſi rectè conjecto, hic Amarus ſanè eſt. Cui tùm ego: Rem ipſam putaſti, odioſus enim ille, infeſtuſque palato. Atque in hoc etiam conſentiunt; quod ſicuti Tonus origo eſt omnis conſonantiæ, ita Amarus ſaporum omnium, etenim fru-

fructus omnes, cujuſcemodi ſint generis, primulùm amari ſunt, mox cum matureſcunt, varios ſapores, pro ſuâ quiſque indole, ſapiunt, quemadmodum verò Tonus Quartæ copulatus Quintam, & quidem blandè ſonantem gignit, ſic Amarus Salſo admixtus ſaporem creat ſapidiſſimum, atque hinc eſt, ut compluſculi olivas benè ſalſas Ficedulis præferant, & Phaſianis. Riſit hic Lucilius, qui hujuſcemodi Quintâ magnopere delectatur, nec ego à riſu temperavi: ſolitus quippè hoc illi jocandi gratiâ objicere. Miratus primò Eulalius: mox, ut erat vir ingenii promptiſſimi, quid ſibi riſus vellet, interpetratus: Optimè, inquit, tu quidem, Lucili, qui ſalſas olivas in deliciis habes, mihi, ut fatear apertè, etiam bellè, ac lepidè ſapiunt. Quibus ego: Iſtam vobis voluptatem remitto; deque olivis facio gratiam: mihi enim hæ aves minimè faſtidioſæ. Heus puer, infunde frigidum illud collinum Stabienſe purpureum, quod benè fert ætatem: nam, licèt abſtemius, juvat tamen amicorum gratiâ exhilarare convivium ut verò infudit, ego: Eulalie; hoc te poculo invito. Ille nihil cunctatus, infunde, inquit, helvolum illud Veſuvianum; mox mihi humaniſſimè propinavit, præbibens Lucilio, qui propinationem minimè recuſavit: implerique calicem juſſit Nolano hyberno albo, quo, quippè delicatiſſimo, & ſtomacho minimè noxio mirificè gaudebat, Muſiſque noſtris ex animo propinavit. Deinceps, ubi ſermonem hilarioribus poculis aliquantulum variavimus, illicò ad ſeria nos recipimus, ne prandium, quod ferculis nequaquam laſciviebat, immodicis poculis præter morem obrueretur Græco more. Orationem igitur continuavi hoc modo: Si coëat cum Quintâ Tonus, conſit Sexta major, quæ licèt autem non eâ ſuavitate demulceat, qua ipſa Quinta, non tamen, ingratè omninò; habet enim neſcio quid lenocinii: ita prorſus Amarus non abhorret à Pingui: illum tamen aliquantulùm deteriorem reddit: facit nihilominus ſe ipſum non illepidum, ſic in pulte uſuvenit, quæ abſynthio, oviſque, & caſeo præparatur, item in vitibus cum quibus abſynthii coma leviter concocta, Tandem, ut dictis compendium faciam, ne veſtras aures oppleam vaniloquentiâ, Si Tonus Semiditono copuletur, Quarta exoritur, quæ quidem diſſonat: verùm ſi Ditono, ſtatim Tritonus exſurgit, qui omnium quotquot ſunt aſperrimus, auribuſq; faſtidioſiſſimus, idem omninò accidit in re noſtrâ: etenim, ſi Amarum Inſipido, vel Aſtringentem illi gradu proximum admiſceas Pingui, mixtio quædam fit ingratiſſima: qualis eſt in acerbis glandibus, quibus nihil odioſum magis homi-

Salſæ olivæ in deliciis habitæ

num

nium palato eſt. Ex his autem omnibus nonne liquidò demonſtratum eſt inter ſapores muſicam quandam ineſſe convenientiam? Tùm Eulalius: Ità enim verò, imò confirmatum exemplo in hoc eleganti convivio, & teſtis lingua eſt, qua nihil in hoc genere eruditius. Lucilius verò: Ne quæſo in deteriorem partem rapias, ſi te crebrò interpellem: imò hinc intelligas, tuum mihi ſermonem recipi in cibum: quippè, abſit verbo adulatio, mulſa mea; vellem igitur, ut quemadmodum literalium artium harmoniam cum cœleſti illâ Pythagoræ contuliſti, ita & hanc ſaporum quàm ſuaviſſimam. Credo equidem, ni meus me fallit animus, ineſſe Aſtris vim quandam, qua ſingula ſingulos ſibi ſapores vindicent. Etenim ſi concedimus, & concedere neceſſe eſt, continere illa, ſive virtute, ſive actu, ut ſcholæ floſculis utar, (ἐνεργία ait Ariſtoteles) principes qualitates; continere etiam ſapores utpotè ſecundarias, atque ab illis procreatas, perſpicuè conſequitur. Tùm ego: Acutè tu quidem ratiocinaris, & ego libenter morem gererem, ni timerem ne nimiâ garrulitate dicaculus vos opprimam. Scio quippè quàm ſalebroſus ſit meus hic ſermo. Tùm Eulalius: Imò levabis: delector enim & ipſe pulegio orationis tuæ, perge porrò, ut cœperas, atque tuam ſententiam exprome: nam hunc totum tibi dicamus diem: cujus profectò memoria mihi ſemper, erit jucundiſſima. Tùm ego: Hoc lubentiùs faciam, quòd video vobis acceptum eſſe, verùm ut potero quàm breviſſimè ne in craſtinum, qui Germanorum mos eſt, protelemus convivium. Et ille: Cur non more Dipnoſophiſtarum laudatiſſimo, quibus nullus ſuavior erudito ſermone cibus? Cui ego: Erudite tu quidem, Eulalie telam mox, quam orditus eram, in hunc modum pertexo.

Aſtra ſingula ſaporis ſibi ſingulos vendicant.

Germanorum convivia in craſtinum producuntur.

Quoniam primoribus ſeptem Stellarum (πλανῆτας Græci, errones Romani dicunt) certò ſapores pendent, ut tùm acutè, tùm breviter nuper Lucilius oſtendit; idcircò harmoniam cœleſti omninò reſpondentem conſtare neceſſum eſt. Datis mihi iſtuc? Et illi: Næ iſtuc damus, liquidum quippè. Tùm ego: Deſcendo nunc ad ſingula, & ut initium, ut fermè fit, faciam à Supremo, Aſtringens ſapor à Saturno derivat, ut qui frigidus, & ſiccus, à Jove Pinguis fluit contrariâ ratione: eſt enim calidus, & humidus, id verò utrumque ex eo etiam facilè efficitur: quia videlicet hic ſuavis eſt, parenſque lætitiæ, ille verò triſtis mœrorem, ac ſolitudinem mortalibus affert, ut ſapores illi, quorum primus palatum contriſtat, alter verò lætificat. Acer, atque Auſterus, qui affines inter ſe ſunt, Soli conveniunt

Qui nam ſapores Stellis erronibus, conveniant,

veniunt ad unguem, quemadmodum enim in Sole ſumma vis ad animantia procreanda, conſervandaque, quapropter generationis author à Phyſicis jure optimo dictus eſt : ita prorſus in duobus hiſce ſaporibus maxima vis ineſt ad vitalem ſpiritum confirmandum, vireſque viventium adaugendas. Venus, qua nihil in Orbe dulcius, Dulcem meritò ſaporem, quo nihil gratius, ſibi vindicat. Mars Salſum, & cum ſcævo lumine terras aſpicit, Amraum, id verò ex illius naturâ planè conſequitur. Lunæ verò, humida cum ſit, ac frigida, Inſipidus reſpondet. Mercurio Acidus, quippè tenuis; moderatique temperamenti. Et jam habetis, me quidem judice, manifeſtiſſimè ſaporum conniventiam cœleſti perſimilem, in qua Luna ad Semiditonum, Mercurius ad Sextam minorem deſcendit. Sol Sextæ majoris præ ſe vicem gerit, Mars Quartæ, Saturnus eſt vice Ditoni, Juppiter Quintæ. Venus tandem principem occupat locum, Octavam referens. Atque ob id à duobus hiſce ultimis hominum fortunas, ac fœlicitatem pendere non ſine puerilibus næniis Ægyptii, Caldæique, mortalium quotquot vivunt ſuperſtitioſiſſimi, ſomniati ſunt. Hic Lucilius: Summoperè gaudeo, quòd te interpellavi: quando tam præclaram nos harmoniam docuiſti. Cui ego: Gratias ago, & tibi etiam habere vellem, quò tuâ mirabili ad Cermennam profectione, tuiſque interpellationibus mi anſam præbuiſti non illepidæ narratiunculæ. Ille verò: Divinavi certè, Eulalie: nonne tibi aſſeveraveram, fore, ut non omitteret occaſionem Parthenius? Ita verò Tùm ille: Proh quanto in theatro recitabitur hæc tragedia! Quibus tùm ego: At perhonorificè, & multâ quidem laude veſtrâ, quinimò veſtrùm gratiâ, Muſicam hoc præſenti anno auditoribus meis explanabo, qui lætiſſimus, idemque fauſtiſſimus erit tot palmarum triumphis, ut ſibi teſtudines, ac lyras, concentuſque omnes jure, meritòque poſtulet; & eò præcipuè, quòd, ut conjecto, idem nobis, reique literariæ ſecundus affulget, nam neque Vejoves timendi erunt, nec bruta fulmina. Hoc loco Lucilius: Eamus cubitum, ſatis, ſuperque diſputatum eſt, aſſurreximus igitur, lotiſque manibus, ad ſomnum proficiſcimur.

CAPUT VIII.

Poſt ſecundas menſas, quis fuerit primus Muſicæ inventor, & quanta illius eſſet utilitas, perquiſitum.

De Muſice Inventore atq; utilitate diſputatur.

SEdebamus ad epulas perquàm frugales, & verè Platonicas ego, Lucilius, & Eulalius, cùm primis ferculis jam remotis, puer lancem dextrâ, ſurpiculum lævâ manu ferens, bellaria in menſam intulit: erant in unâ Appia, Cydoniaque mala calamino melle decocta, conſperſaque cinnamomo; in altero verò pyra Græcula, Falerna, & Aniciana mitiſſima, uvæ Amineæ, pergolanæ corniculatæ, & Creticæ cum hypomelide albâ, & rubrâ, quam cùm vidit Lucilius: Gratias ago tibi puer, quod vernos tuberes attuliſti, mihi quàm gratiſſimos. Eulalius Creticam uvam laudavit, ego Cydonium decoctum, ſaccharoque imbutum; quippè quod ſtomachum fovet, cibique coctionem juvat. Dum verò quiſque pro ſuo genio fructus comederemus, tùm ego: Quoniam heſterno die de ſaporum conſonantia ſermo habitus eſt, & quidem benè longus, nunc de Muſicæ inventore, atque utilitate pauca diſſeramus. Illi verò: Cur non? id nobis erit jucundiſſimum. Tùm ego: Dic primus, tu Eulalie, qui Lucilium ætate præcurris: ſequetur poſt ille, quippè natu minor. Tùm Eulalius: Ineptiam, inquit, ſi jubes. Cui ego: Jubeo, atque impero. Et ille: Morem geram, ſtatimque telam eleganti, teretique filo orditus eſt hoc modo: Sunt compluſculi, qui Muſices parentem Orpheum ſtatuunt, qui lyrâ adinventâ, & quatuor inſtructa chordis (quocircà tetrachordum appellata) primus omnium cantui ſonum aſſociavit, tàm concinnè, tàm numeroſè, ut feras tenuiſſe, & flumina poëtæ commenti ſint, quod bellè quidem Propertius pinxit:

Orpheus Muſices parens, Argonautarum Gomes ad ſolatiū.

Orphea te tenuiſſe feras, & concita dicunt
Flumina Treicia ſuſtinuiſſe lyrâ:

Illum verò ad relevandos animorum labores, qui plurimi inter navigandum occurrunt, & ad longè, ignotæque viæ tædium, otiaque fallenda, ſibi comitem Argonautæ adjunxerunt, ut cecinit Flaccus in Argonauticis: & tu in Nauticis tuis non ineleganter verſiculis hiſce, quos etſi teneas, quippè tuos, mihi tamen recitare volupè, imò & Lucilio. Cui tùm Lucilius: Ita verò: recita, quæſo. Tùm ille ſtatim memoriter decantavit:

Thermaico nautæ de litore qui freta primùm

Tenta-

Tentarunt, pulchræ ſuccenſi laudis amore;
Secum unà in Grajâ duxerunt Orphea puppi.
Qui cantu egregius, cytharâque inſignis eburnâ
Luderet, & longi faſtidia falleret oti.
Ægæi fluctus ſulcabat Theſſala pinus
Argolicâ cum pube, lyram ſed candidus Orpheus
Altâ puppe ſedens animabat, & æthera cantu
Mulcebat, velut albus olor, dum flava Cayſtri
Ad vada, Mæandrive ſedet ſub margine ripæ.
Cantu quo ſcopuli, & tellus vicina ſonabat;
Et rauca attoniti ponebant murmura fluctus;
At ſocii interea leniti carmine mentem,
Non maris errores, tempeſtateſque ſonantes
Formidant, dubioſque dies, vel inhoſpita Ponti.
Non patriæ telluris amor, non chara parentum
Cura movet, dulcis cytharæ ſonus occupat aures;
Pierioque ſilent ſopitæ carmine curæ.

Alii verò non pauci Amphionem ad hunc gloriæ apicem evexerunt, qui teſtudinem primus excogitavit, & quaſdam concinnavit cantilenas, illas verò notis neſcio quibus teſtudini adaptavit: tantâque fertur ſuavitate cecinisse, ut etiam ſaxa traheret ad Thebarum muros ædificandos. Quòd magnificè ſatis pro more poëtæ noſtri commendarunt: & primus Horatius. (Alii Amphionē putant.)

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet.

Silius verò paulò uberius pro more, eleganter tamen:

Argolicis quondam populis, mirabile dictu,
Exaudita chelys lapidem teſtudine felix
Ducere, & in muris poſuiſſe volantia ſaxa.
Hæc Amphionio vallavit pectine Thebas,
Et ſilice aggeribus per ſe candente vocatis,
Juſſit in immenſum cantatas ſurgere turres.

Ego, ſi fas eſt dicere, quod ſentio, altiùs Muſices exordium repeto: nimirum ab Apolline, quem primum ex cantu, ſonoque novâ inter ſe arte, mirumque in modum copulatis, harmoniam illam perquàm ſuaviſſimam elicuiſſe, & poëtæ, & hiſtorici conſentiunt; atque ob id in Deorum numerum relatum, Muſiſque, & Gratiis præpoſitum, verùm in quæ id tempora ceciderit, non ſatis compertum eſt. Sed jam ego præſulem egi: ſequatur porrò, ſi volet Lucilius, qui divitiis orationis ſuæ pauperiem meam compenſabit: & convivii hujuſce leporem jucundiorem reddet lepore ſuo. Tùm Lucilius. Euge, euge palmam obtines, (Ad Apollinem Muſices exordiū referunt alii.)

Eulalie, ipſe verò timeo ne potius aſperitate verborum, atque inelegantiâ ſermonis elegantiſſimi convivii nitorem offuſcem, quare prius dicere debuiſſem: nam ut tritum illud: Qui canit peſſimè, primus incipiat, verùm ne provinciam detrectem, videarque minus obtemperans erga Parthenium noſtrum, qui perinde te, ac me unicè diligit, imò etiam amat, dicam pro meâ tenuitate ſententiam. Cui ego: imò facies, ut ſentiamus, qui vir ſies, nimirum ſummi ingenii. Et ille: Vide ne fallam expectationem tuam. Ego verò: Incipe tandem: iſtuc ego videro. Tùm ille orſus eſt hoc modo: Haud equidem, Eulalie, ut apertè fatear, abs te ſentio: qui poëtæ noſtro belliſſimè adblandiris, dum in poëtas, & poëtarum principem Muſices inventionem refers. Ego, ut hiſtoriis potiùs inhæream, quàm fabulis, multiplicem afferam de hac re ſententiam, quam à veteribus accepimus. Nonnulli paſtorem neſcio quem Muſicæ parentem prædicant. De illo tamen, ut fermè fit in re pervetuſtâ, non conſentiunt inter ſe. Quidam enim Arcadem fuiſſe perhibent, quidam verò Bæotium. Ego cum primis facilè ſentirem. Arcades enim, quorum regio paſcendis æſtate gregibus accomoda, atque amœniſſima, tùm cantu, tùm ſono addictiſſimi fuerunt, atque hinc illud poëte:

Nonnulli Paſtorem neſcio quem ſive Arcadẽ, ſive Bæotiũ Muſices Inventorem faciũt ab avium cantu ad canendum edoctum.

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & reſpondere parati.

Hic, quicumque ille fuerit, cùm ad amœniſſimam rupem, ex qua in ſubjectam convallem nitidiſſimus rivus defluebat, gregem paſceret, mirèque delectaretur decidentium aquarum ſono, quem undæ diverſimodè in lapides incurſantes, variis quaſi tonis, edebant: ut erat acuti, præſentiſque ingenii, ſtatim in illam incidit cogitationem, fiéri nimirum poſſe, ut etiam arte ille ſonus ſuaviſſimus eliceretur, juvit Deus hanc mentem, quo ſuggerente profluxiſſe artes quamplurimas nemo unus, qui ſit ſanæ mentis, negabit; ſumpto igitur calamo, nobile illud, etſi informe, utpotè primum, Muſices rudimentum extudit, atque hinc ortæ deinceps paſtoritiæ fiſtulæ, cicutæ, aliaque id generis, quibus uti primitùs paſtores conſueverunt. Alii quidam, non me præterit ex dulciſſimo avium cantu invitatum, atque edoctum ad canendum paſtorem primùm, mox reliquos non levibus conjecturis affirmant: quas narrare operæ pretium auribus non eſt. Hîc Eulalium ſpectans. Habes, inquit, quod reponas? Et ille: Nihil admodum, perge porrò, non oppedo. Tùm ſic ille: Compluries ab incude excuſam primò Muſicam tradiderunt, è duriſſimâ nimirum parente (quod ſæpè in humanis contigit) tenerrimam

Ab incude excuſam primo Muſicam alii perhibent.

mam ſobolem, cum enim quatuor malleatores æs cuderent, atque alternis, ut aſſolent brachia jactarent, animadvertit Philoſophus quidam (de quo nec unus omnium conſenſus eſt, quod in re antiquiſſimâ, nec ſatis perſpicuâ plerumque fit) ex alternâ illâ pulſatione diverſos ſonos edi, quare id illicò confecit, poſſe ſcilicet inſtrumentum quoddam componi, ac tali modo adaptari, ut in illo digitorum percuſſione, certis alternatâ numeris, aut fiſtulæ, aut nervi vocales fierent, inque concentum blandè ſonantem auribus conſpirarent. At novi profectò, Parthenie, te in illâ eſſe hæreſi, ut Mathematicis tuis, Pythagoræ præcipuè hanc laudem tribuendam cenſeas, qui numeris præ quibus habebat in deliciis nihil, hanc Muſicam elegantiam effeciſſe perhibetur, nihil ſanè habeo, quod objiciam. Scio quippè illum ſolertiſſimum fuiſſe numerorum, Naturæque myſten. Hic ego: Eruditè quidem, atque eleganter, Lucili utri verò veſtrum palmam adjudicem haud ſcio. Sed jam quid de utilitate cenſetis expromite. Tùm Lucilius: Hanc, inquit, tu ſpartam da nobis exornatam. Tùm ego: Obſequar petitionibus veſtris, & eò lubentius, quod vobis dicendo defatigatis, par eſt me vacuum, & otioſum non eſſe. Enitar igitur, & efficiam, ut quanta ſit Muſicæ facultatis utilitas è paucis apertiſſimè intelligatis, ne verò tempus in partitionibus inſumem, utar ea portâ, quæ primùm ſeſe offeret. Et quidem magna eſt oppidò in cantu, ſonoque poteſtas, ut humanum flectas animum, & in quos velis affectus trahas, idque magnificè cum Alexandro feciſſe Timotheum memoriæ datum eſt. Nunc enim laſciviente modo in tripudia, & choreas agebat: nunc gravi ad ſeria revocabat: nunc languente, & lamentabili in amorem incitabat: nunc pudico ad honeſtatem deducebat: nunc hilari, alacrique in lætitiam diſſolvebat, & gaudia: nunc flebili, ac ſupplici in mœtorem, ac ſolicitudinem immergebat: nunc ſevero, atque immiti ad ardua erigebat: nunc iracundo in iram, indignationemque accendebat. Id verò tantâ efficaciâ, ut tot, tantiſque figuris repentè mutatis, & ad vivum expreſſis, Proteum illum diceres, non Alexandrum. Sed maxima profectò Muſicæ vis eſt in componendis animi affectibus, vitâque rectè, pièque inſtituendâ: ut illam jure, atque eleganter, animorum purgationem, non minus inter Cæſares, quam oratores Auguſtus, Julianus appellaverit, idque ut conficiam hoc unum exemplum producere ſatis duco. Ferveſcat Tyrannus irâ: minas trux ſupercilium intentet, ardentes ignem fulminent oculi, ſupplicia vultus minetur, os rabie ſpumet, indignatione pectus exæſtuet, colliſi mutuò dentes frendant: ſup-

Idq; Pythagoræ tribuunt.

Magna vis in Muſicâ ad flectendos animos

Alexandri exẽplo id comprobatur.

Animi affectus componit præcipuè Iram. Afferuntur exempla.

ploſi pedes ſtrepant, ſolumque quatiant minitantes, cœlum erectæ feriant manus: ditigi mortem indicant, indicentque, totuſq; demum terrorem miſeris ſpiret, deſperationemque. At ſi lyram numeroſè pulſet, ſcitèque Pythagoras, canoroſque digito ſonos eliciat, implacatum hunc, efferumq; animum momento placabit. Etenim Muſica deliniens, iram primò temperabit, mox leniorem reddet animum: hinc in miſericordiam flectet, atque in manſuetudinem emolliet, amorem poſtremò afflabit non invito, ut qui modo ardebat efferus iracundiâ, durus verbis, horridus minis, inexorabilis prece, inflexibilis ratione, fiat amore blandus, manſuetudine mollis, affectu mitis, tenetque blanditiis. Influunt quippè in animum ſoni, illiuſque affectus perquàm varios vi ſuâ moderantur, quæ quidem maxima nobis è Muſicâ utilitas eſt, quæque illius dignitatem plurimùm commendat.

Prodeſt etiam Corporis morbis ut experimēt is demonſtratur.

Nec tantum animi, ſed & corporis medicina eſt, etenim pulſatam olim è Cretâ peſtilentiam una dumtaxat Muſicâ, proditum in veterum annalibus eſt, & morbos item quamplurimos hac unâ curatos eſſe plurimi tradiderunt. Et ſanè id ego proferre poſſum quod manifeſto experimento comperi. Ægrotabat vir quidem ſummo loco natus, & quicum mihi à primâ adoleſcentiâ intima familiaritas fuit, febris ex illarum genere erat, quas acutas medici vocant, quæ eò difficilius curantur, quòminus ſe principiò produnt, quemadmodum ab occulto hoſte, ac ſimulato haud facilè, ut ab aperto, & cognito cavemus, jam ſeptimus dies erat, quem decretorium dicunt; cùm adeò violenta vis morbi fuit, tàm fervens inſultus, ut jam de illius ſalute conclamatum videretur, æger tanto animi mœrore, tantâque virium laſſitudine oppreſſus jacebat, ut nihil ſupra tùm propinquus, ut ferme fit, ad illum accedit propiùs conſalutaturus: rogatque numquid vellet? ille reſumpto tantiſper ſpiritu, Muſicam, inquit, ut moriar cygni vice. Nihil moræ interpoſitum: accerſitus illicò eſt ſcientiſſimus Muſicus, qui ut venit, hilari ſtatim concentu lyram pulſare cœpit, & amœniori item cantu feſtiviſſimè concinere, mirum oppidò: viſa eſt repentè vis morbi cedere, remitti febris, inducique temperies, tandem ægrotus repentè convaluit. Vix hæc, cum famulus intervenit, nunciatque adeſſe virum quendam nobilem, cui ut obviam iremus, ſtatim aſſurreximus.

ÆSTATUM SURRENTINARUM.

LIBER III.

CAPUT PRIMUM.

Occidentalis Surrenti ora deſcribitur, ubi mentio fit de Villa Pollii Fælicis: mox quantum ab incendiis Veſuvii vertex imminutus, deque illius igne quæſitum, an reverâ è Tartaris erumpat? & quid de ſpectris inibi viſis ſentiendum.

EXactis jam diebus Canicularibus, September appetebat: & ſi rectè memini, recurrebat Auguſti dies proximus à poſtremò, quo tempore verſabatur mecum in Surrentino Sextus Niger adoleſcens raræ admodum indolis: & futurus proculdubiò doctiſſimus, ſi diligentiam ingenio, atque exercitationem ſuppeditaſſet, quòd in magnis ingeniis ſæpènumero uſuvenit, etenim dum ſibi nimium tribuentes, ingenio fidunt, ſtudium negligunt, uſumque deſpicatum habent, atqui certè errant totâ viâ, ſiquidem Sapientia ex uſu exercitationequè, quaſi à patre, à memoriâ verò, ſive ingenio, tanquam à matre progignitur: ut optimè Afranius vetuſtiſſimus poëta apud Gellium,

Ingenioſi ſæpè ſtudium negligunt, dum ingenio fidunt.

Sapiẽtia, ab uſu, & memoriâ.

Vſus:

Vſus me genuit, mater peperit memoria:
Sophiam vocant me Graii, vos Sapientiam.

Quod quidem illi, cùm meus in Græcis primùm literis, mox in Mathematicis diſciplinis auditor eſſet, ſæpiuſculè inculcabam; & quamplurimis interdum ſtimulis oſcitentem excutiebam, atque incitabam. Hunc igitur illo die, qui mihi ſolennis erat, advocavi. Ille tùm: Præſto ſum, inquit. Et ego: Quoniam, tandem, vergente ad veſperam die, fractus tantillum eſt, ferventiſſimus calor, age naviculariūm accerſe: illique clavem januæ, quæ eſt ad penſilem ponticulum tradito (fores enim, quæ ad poſticum antri oſtium, ſolo vecte obfirmantur) jubetoque naviculam deducere, & ſtriatis columnellis, & tecto lineo inſtruere adverſus Solis æſtum. Hic Sextus: Superis gratia, quod bonam hanc mentem tandem tibi dederint: ut demum te reſpicias, atque animum parumper à ſtudio remittas. Cui tùm ego: Fateor: laxamento opus eſt mihi, quippè defeſſo à ſtudio perquàm longo, an etiam tibi, affirmare non habeo, Et ille: Itane verò me ſcommate excipis? At ego: Jacere ridiculum meum non eſt, ſed ſeriò admonere, at age jam, compone apparatum piſcarium, & mane tantiſper dum ego epiſtolam conſcribam ſecundum hunc diem miſſurus Neapolim. Tùm ille: Dabo operam, ut omnia diligenter fiant, tu verò, ſi ad Eulalium, quem perinde tu, ac ego diligo, ſcripturus es, fac, ſodes, illum meo nomine ſalutes, urgeas item, ut ea ad nos quantocyùs mittat, quorum hîc opus habemus, & de quibus poſt prandium habitus eſt ſermo. Cui ego: Opportunè quidem tute mones. Exciderant quippè memoriâ: quocircà, fac ut iterum ſuggeras. Et ille. Faciam libenter, auſculta modo. Cui ego. Cedo, aures arrigo. Tùm ille: Farinæ ſiligineæ duo pondo, verùm moneto illum, ut ſit recens, & ex polline tùm niveo, tùm ſubtili: ſi ſecus haudquaquam apta ad intritam ſubigendam pro fartis dulcariis, & iſtiuſmodi panificiis, ſimilæ item duo, furfuris ad alendos pullos gallinaceos ſaccellum unum. Hic ego: Eſt in Ornithone triticum Indicum. Et ille: Sed quantum vix unâ dieculâ ſuppetat. Tùm ego: Curabo, ut Stabiis, ubi, cum nundinæ ter in hebdomade celebrantur, vili diſtrahitur, cum Querno carbone, qui indidem mihi traſmitti ſolet, coëmatur. Tùm Sextus; Bene eſt, tamen illi ſcribito, ut extorqueat à piſtore excreta tritici, his enim pulli, & veſcuntur libenter, & fiunt pinguiores. Tùm ego: Conſultò tu quidem mones, neque iſtuc perdifficile, etenim piſtor vir eſt in me haud illiberalis, verùm melius à re noſtrâ eſſe duco, ſi pul-

los ne nôminemus quidem, nam aliter dabimus anſas ſermonis: & ad carpendum prona hominum ingenia. Et ille: Dicent fortaſsè nos hic vivere genialiter? dummodò valeamus rectè, quidquid vulgus ſentiat, non laboro. Ego verò: Sed ne minus commodè audias, præcavendum eſt: Quin etiam turpe eſt aliorum ſermone vapulare, verùm pergamus porrò, numquid eſt aliud, quod ſcribam? Et ille: Etiam. Cui tùm ego: Videlicet? Et ille: Mittat Phialas quatuor vini rufi ex collibus Aniani melioris notæ, moneas illum quæſo, ut caveat ſolertiſſimè, ne Cellarius det vel ſecundarium, vel vapidum; ut proximè fecit: & ut phialæ ſint paleis vice reſtium contortis, & conveſtitæ, ſi ſecus inter vectandum conterentur, ut nudiustertius factum eſt, Cui tùm ego: Planè benè præcaves aliter incides in ſermonem; domeſtici quippè hîc te vino liberiùs indulgere dictitabunt. Tùm Sextus: Verum enim, ita fiet, ut dicis, nam te ſciunt eſſe abſtemium. At ego: Nonne melius eſſet, ſi mitteret ſubacerbum Atellanum? memini enim me legiſſe apud Columellam, cibum optimum eſſe cum pane heſterno, & vino auſtero. Hic Sextus: Jocaris, Parthenie? Cui ego: Minimè verò. Et ille: Apage ſis cum illo ſubaſpero, ſalubrius oppidò foret ſecundarium, ſed accipe reliqua: Cui ego: Dic porrò. Et ille: Bellariorum Liguſticorum libras tres, ſint thyrſi lactucacei, cucurbitæ, pepones, pyra, atque citria ſaccharo imbuta, nam ſi nos amici convenient, nihil domi eſt hujuſcemodi, quod apponas, vel farta liba conficias: ambubejæ faſciculos duos. Hîc ego: cichorium inſativum vis dicere. Et ille: Ita; Scio quippè illud tibi gratiſſimum, quò amarius enim, eò ſalubrius eſt; ſed pergamus porrò, intubi hortenſis quatuor, fœniculi tres, ſileris duos, ſeſſilis verò lactucæ, quæ laudatiſſima eſt pro acetariis, faſciculos quatuor. Hîc ego. Eſtne amplius? Et ille mane, nondum, farris Romani pondo unum, & unum vermiculorum edulium ex panis medullâ, ovorumque vitellis, ſubactis. Selibram Græcarum nucum, caveat ne ſint Thaſiæ amaræ, unciam piperis, ſemunciam cinnamomi, Cariophilli verò aromatici duellam. Hîc ego: Undenam eſpiſcatus es hoc nomen, duellam? Et ille: Ex te, habes enim Bellicorum II. ubi militem doces quantum pulveris pyrii opus ſit ad ſingulos ſclopi ictus, ſtatimque verſus, quos dum tranſcriberet, memoriæ mandaverat, recitavit.

Cibus optimus cum pane heſterno, a vino auſtero Columella.

Duella quid ſit; & unde dicta?

Aſt age, & è ſpatiis utcumque egreſſus iniquis,
Quà nullis patuit ſignis via trita priorum,
Quo ſint æra modo gravidanda in prælia, certas

Hoſtibus ut ſtrages pariant, & funera, tiro,
Accipe, Fulminei geminas immitte duellas.
Pulveris in ſclopum conclusum vaſcula quantum
Querna tenent, talem tibi quæ geſtantur ad uſum:
Verum ſi ſubiti ſuccendant prælia caſus,
In medio plumbata volæ, incurvæque locetur:
Quam mox flammivomo totam tege pulvere: tantum
Sat geminis tantum par aſſolet ire duellis.

Tùm ego: laudo ſolertiam hanc tuam, felicitatemque memoriæ, ſed age, cedo quid ſit duella? Et ille: Duæ ſextulæ, nimirum tertia pars unciæ. Tùm ego: Eruditè, & ut decebat grammaticum. Ille verò: Id totum tibi debeo, quando tùm exemplo, tùm continuis fermè exhortationibus ad ſtudia literarum impellis: ut velim, nolim, ad frugem applicare animum neceſſe eſt, ſed auſculta: recitabo reliqua. Cui ego. Hui! tam multa vis, ut unâ vice tranſmittat? nimis providus profectò es, utilitatum, opportunitatumq; tuarum. Et ille: Si ità tibi videtur, abſtineam, ſiquidem aures meæ tuis ſemper admonitionibus patent, unum tamen, vel alterum velim ne te prætereat, vinum nimirum medicatum ex calybe, quo uti conſueviſti ad obſtipatos corporis meatus relaxandos. Cui tùm ego: Gratias ago, quod iſtuc mihi in memoriam induxeris, id enim medicamenti præſentiſſimum expertus contra illiuſmodi morbum, quo identidem laboro. Ille tum: Curam tui habeo æque, ac mei. Scio quippè apud te quanti ſim. Ego verò: Certè ſummo loco te numero, atqui tibi iſtuc debes, meritò enim tuo te diligo, verùm eſt ne aliud, quod me monitum velis? Ille tùm: Unum, ut nimirum pecuniam tranſmittas, quam enim penes ſe habebat, ad denariolum numeravit. Tùm ego: Rectè admones, verùm cui credam pecuniam? An puero, qui literas, & vidulum Neapoli ad nos defert? At vereor, illam aleis decoquat, vel, quod peius eſt, in ganeis. Tùm Sextus: Mihi videtur modeſtus, & cui nummos credere poſſis. Ego verò: At mihi, experientia in causâ eſt, ut videatur ſecus, falſus enim ſæpiuſculè ab iſtiuſmodi aſpectu. Sæpe facies mentitur mores. At Sextus: Aliàs fidiſſimum expertus ſum. Ego verò: Pecuniam, quam ei credidero, fide tuâ eſſe jubes? Et ille: Minimè verò. Tùm ego: Quare mihi commodum videtur, ſi pecuniam Neapolim permutem, quocircà mittam (cauto quippè opus eſt) ſchedulam menſulariam, ut è publicâ menſâ, cui Pietati nomen, accipiat. Hic Sextus: Ita mihi etiam videtur, laudo prudentiam tuam, qui pecuniæ tàm benè conſulis: remque tuam non malè geris: Cui tùm ego. Si

ſecus

ſecùs faxim, decoquerem citò, ſcis nempè tenuitatem meam. Mox ego ad ſcribendam epiſtolam, ille ad ea, quæ mandaveram, faceſſenda perrexit.

Vix dum exaratam epiſtolam ſigillo obſignavi, cum Sextus ſe mihi iterum in conſpectum dedit, ut vidi, illicò aſſurrexi, relictiſque crepidulis, calceamenta indui, acceptoque petaſo, & baculo, Eamus, inquam, ad remittendum tantiſper animum, nimiumque calorem tepidiuſculis auris temperandum. Ille verò: En tibi præſto ſum cum piſcario apparatu. Nihil igitur morati, ad oram maris per pomarium deſcendimus, habet hoc commodi Surrentinum noſtrum, ut ex ipſo ſecretiſſimè, & à nemine viſus, quoque velis habitu, ad mare mees, remeeſque, quam ego libertatem plus ſanè facio, quam olim Corcyræi ſuam, apud quos decantatum illud, Ελευθέρα Κορκύρα, χέζ' ὅπȣ θέλεις. Ubi ad mare ventum eſt, naviculam ſubimus, jubeoque navicularium ad Occiduam Surrenti oram, quam devexus jam Sol inumbraverat, iter intendere. Mons, qui & amœnâ, & viridi Surrentum coronâ præcingit, atque intercurrit à Meridie in Septentriones porrigitur, ſenſimque dejectum in clivum definit, aſperum quidem ob fluctus maris, ibi nunc turris ſpeculatoria, ad arcendos piratas, olim templum fuit Neptuno à Pollio Felice inſtructum, cujus ad proximum ſinum villa erat, quam II. Syl: elegantiſſimè Statius depinxit,

Occidentalis Surrenti ora deſcribitur.

Templum Neptuno ſacrum à Pollio Felice extructum.

Eſt inter notos Sirenum nomine muros
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,
Celſa Dicharchei ſpeculatrix villa profundi:
Quà Bromio dilectus ager, colleſque per altos
Viſitur, & prælis non invidet uva Falernis,

Univerſus Montis tractus, qui ad L. paſſus excurrit, quamvis ſilice duriſſimus, tamen tùm propter veſpertinam umbram, & odoros ſcopulos, tùm propter oleas perpetuò virides, quibus latè conſitus, vel amœniſſimus, vel delicioſiſſimus eſt, accedit & illud, quod plurimum ſanè voluptatis affert, nimirum æſtate ob ipſum collem, cujus objectu tegitur, minus unda à Zephyris commovetur; quocircà & pacatior eſt, & placidior, non longè à Surrento opacum ſinum habet, ex quo veſpere jam facto, auræ, quæ in ipſo exoriuntur, ſpirant quàm placidiſſimæ, propter illam Thynnorum piſcatio totâ ferè æſtate peragitur: & ipſa viſu perjucunda, propè à promontorio, ubi olim Neptuni fanum, circus ad modum caveæ inſtructus, in quem exciſis, perforatiſque rupibus, mare intromiſſum, ſtagnum fuiſſe crediderim, in quo Naumachia à Pol-

Thynnorum Piſcatio.

lio habebatur, naviculis patet, quæ manu ipſa, vi facta in rupem, aguntur porrò, locus perquàm genialis, quem graphicè idem Papinius deſcribit.

Miraquies pelagi: ponunt hîc laſſa furorem
Æquora, & inſani ſpirant clementius Auſtri:
Hic præceps minus audet hyems, nulloque tumultu
Stagna modeſta jacent, Dominique imitantia mores.

Poſteà verò quàm, properato curſu, ob Solis calorem, omnem illum tractum, qui à Surrentino noſtro Surrentum uſque recurrit, Solique expoſitus erat (manè & umbroſus, & amœnus) mox collem ipſum cui urbs impoſita eſt, qui pariter inſolatus, præterivimus, optatiſſimam ſtatim montis umbram ſubingredimur, ac frigidulum aërem reſpiramus. Hoc loco Sextus: Hic ego nunc paulùm exorior, nam ab æſtu deperibam. Ego verò, quò major eſſet animi oblectatio, & exhauſtæ diutinâ exercitatione vires pleniùs reficerentur, jubeo lineum puppis tectum auferri, ut ſic aperto cœlo, liberoque proſpectu frueremur: & ſcopulos propter cymbam quàm lentiſſimè promoveri. Ubi verò ad modeſta illa ſtagna ventum eſt, illicò Sexti animum cupido ſubiit, locum adeò celebrem, ac pulchrum inviſere, idcircò me rogat, ut ſuo deſiderio obſequerer: Ego verò; Faciam alias: nunc opus eſſet cymbam toto apparatu denudare ob anguſtias rupis. Et ille: Amabo te, da mihi & hoc; fortaſsè aliàs, occaſio erit calva. Tùm ego: Si ità commodum tibi videtur, obſecundabo, quare jubeo naviculárium amovere colummellas, atque aſſeres tranſverſales, quibus cymbulæ umbella innititur: quo ſic exarmatam naviculam anguſta rupes exciperet, id verò, ut ſolerti operâ navicularius præſtitit, ne cymbula in alterutram inclinaretur, obliquatis in latera remis oſtium ſubimus, & manibus obnixi ſcopulis, cymbam porrò impellimus. Deinde totum circùm circa luſtravimus ſummâ tùm voluptate, tùm admiratione, inque laci medio cùm pilam ex lateribus Sextus vidiſſet, Numquid, olim hic fons? Cui ego: Rem ipſam putaſti, &, ut arbitror, ad illum reſpexit Statius cum dixit:

Gratia prima loci, geminâ teſtudine fumant
Balnea: & è terris occurrit dulcis amaro
Lympha mari: levis hic Phorci chorus, udaque crines
Cymodoce, viridiſque cupit Galatea lavari,

Et ſanè adeò ſecretus, atque impervius locus eſt, unda adeò tranquilla, & perlucida: adeò item humilis, quippè quæ vix humero tenus aſſurgit, ut quemque ad ſe lavandum invitet. Et niſi frigidior ſub veſperam loci aër prohibuiſ-

hibuiſ-

hibuiſſet, vix ſe Niger tenuiſſet. Tandem è ſtagno egreſſi, in illius aditu ſubſtitimus: ibi enim circumnare piſces, ac teneras inter ſaxorum herbulas gregagatim laſcivire animadverteram, mox hamum eſcâ oneratum demitto: ſpargoque circùm offulam, quam è panis medullâ, caſeoque ſubactam habebam penes me, ut piſces ineſcarem, atque allicerem, mirum enim in modum nidore caſei piſces capiuntur, quia verò aquæ tàm nitidæ erant, quàm quæ nitidiſſimæ piſces quaſi fraudis conſcii, gnarique doli mali, ſummis quidem labris obligurire quidem eſcam videmus, ingurgitare verò nequaquam; nimirum eſt etiam brutis ratio ad præcavendum. Tùm Sextus naviculàrium rogat: quinam illiuſmodi piſces eſſent? & ille: Julides, inquit. Tùm ad me: Parthenie, ludis certè operam, non meminiſti Julidem vaferrimam eſſe? quod tuis ego verſiculis didici: habes enim Halieut II. Julides Piſcium vaferrimi.

Callida ſe curvo defendit Julis ab hamo

Cui tùm ego: At tu non tenes, quod ſtatim ſequitur?

Non impunè tamen furatur ſæpius eſcam.

Interea loci, dum hoc recito, trahi lineam ſentio: quam illicò attollens cum præda, ad Sextum. Nonne divinavi? lætus ac ſi theſaurum in fundo reperiſſem, piſcem ab hamo extraho. Sub hæc è vicino promontorio piſcator, qui merces ſuas volebat extrudere, nos èliſâ admodum voce altè compellabat, quia verò quid ſibi vellet non planè intelligebamus, propiùs cymbulam navicularius applicuit, ut ad ſcopulum acceſſimus, rogat, ſi Acos nuper admodum captos, & tùm pingues, tùm grandiuſculos emere mihi vellem. Cui tùm ego: Minimè, bone vir, ſiquidem nihil mihi piſcium opus eſt, veſpere nequaquam comedenti. Ille verò: Erunt uſui iſti tuo adoleſcenti. Tùm ipſe: Illi de cœnâ jam vidi, habet enim præter acetarium miſcellum ex lactucis tenerrimis, bipennulâ, & erucâ, fruſtum vitulæ perquàm delicatæ, binas ficedulas, & frigillam unam, nonne his commodè cœnabit? Tùm ille: Admodum; atqui aſſervabis in craſtinum, qui Veneri ſacer. Ego verò: Piſces niſi recentiſſimi, ac penè vivi ſint, ſtomacho plurimùm nocent, non tenes adagium? Piſcis nequam, niſi recens, id verò magnificè exaggerabam, ut ſic ille exiguo pretio diſtraheret. Tùm piſcator, quem pauperies diſertum faciebat: Si illos, inquit, origano condias, & innoxii erunt, & ſapidi, id autem ſi ſemel expertus fueris ſæpenumero factitabis. Cui ego: Quonam modo condiam origano? Ille verò: Accipe, paucis te doceam, patellam peramplam ſumito, inque illâ acos extende: ſpargito de- Piſcis nequam niſi recens.

inde

inde tritum ſal, tritum item allium, & tandem origanum; frigidoque in loco reponito, non te omninò diligentiæ, non jacturæ pœnitebit; nam præ ſcitamento hujuſmodi, nihil ficedulas, nihil vitulam duces. Ego verò: Bona verba, quæſo: imò ſi origanum olebit, erit putre ſalſamentum, ut eſt tritum. Ille tùm: Mihi crede: ſi acos hac ſuavitate conditos guſtaveris digitos perrodes tuos. Hic Sextus: Faciamus periculum: ego illi facilè credo, ſunt quippè piſcatores in piſcibus adornandis ſcientiſſimi. Tùm ego: Uſquequaque tibi obſequendum eſt mihi? Ille verò: Cunctam iſtam gratiam non ingrato facies. Tùm ego: Geratur mos tibi, igitur duodeviginti acos argenteo præſtinavi, mox oriâ reflexâ remigio, iterum propter ſcopulos ſuſpenſo remo pererramus.

Dum ſic curarum prorſus vacui, & obliti omninò rerum humanarum, quas quidem omnes deſpicio, atque infra me poſitas arbitror, ſummam tùm è pacato mari, tùm è ſereno cœlo voluptatem caperemus, animadvertit Sextus è cymbâ Veſuvium ignem eructare, qui, nigricante jam cœlo, manifeſtus apparebat, atque cùm hinc anſam arripuiſſet, me cœpit de incendio nonnulla percontari, quibus cum feciſſem ſatis, Aveo, inquit, abs te ſcire, quantum à primo incendio ignivomus vertex diminutus ſit, id ſanè non latebit Geometram. Cui tùm ego: Dicam equidem, ut verò differam enucleatè, paulò altius exordiar: dicam tamen quampauciſſimis admodum. Ea apud noſtrates fama pervagatur; tantundem ſcilicet ambuſtum verticem, quiuſque ignem evomit, alterum olim exuperaſſe, quantum hic noſtrâ ætate illum ſuperexcellit, quòd quidem ex ipſiuſmet montis figurâ deducitur manifeſtò. Etenim, viden' ut ex fundo latiore in conum, cui ab incendiis detruncatus eſt apex, faſtigiatus aſſurgit? Et ille: Video equidem: & iſtuc do facilè. Cui ego: Age jam ſis animo mecum. Viridans alter apex centum fermè paſſus decacuminatum ſupra verticem κατ' ὀρθὰς γωνίας, ut Geometræ Græci dicunt, noſtri verò ad perpendiculum, attollitur. Quapropter efficitur bis centum plus, minuſve paſſus de ſuâ montem altitudine incendiis perdidiſſe. Hoc loco Sextus: Iſtuc ſatis perſpicuum, verùm dic, ſodes, quibus vel inſtrumentis, vel arte, centum non amplius circiter paſſus ambuſtum ſupra verticem, alterum intactum uſque conſurgere, preſcrutatus es? id enim abs te ſcire ſummoperè deſidero: Cui tùm ego: Iſtuc jam ibam, & eò lubentiùs, quòd hiſce in ſtudiis aliquantulùm verſatus es. Cùm eſſem in Soſiano, quò vos per Au-

Quantum a primo incendio Veſuvii vertex ſit diminutus, inquiritur.

Quibuſnam Inſtrumentis id cōficiatur.

Autumnales ferias ire conſueviſtis, è limite, qui medius rus ſecat, & rectiſſimus ad unguem ſupra mille paſſus excurrit, quadrante Geometrico admodum grandi altioris altitudinem verticis, qui unus eò loci conſpicuus, dimenſus ſum accuratè, ut potui, illam verò DCCCL. circiter paſſuum deprehendi. At quia Soſiani finiens, maris finitore altior eſt, aſſurgente ſenſim planitie, quæ ad montem pertinet: & ut aſſequi conjecturâ potui (libellâ id inveſtigare difficilè oppidò, & diuturni laboris erat) L. ferè paſſus: planè efficitur, DCD. fermè paſſus altiorem Veſuvii verticem elevari. Jam verò ſi culmen ignivomum cum viridante componamus, nonam partem deeſſe, quo minus, ille hunc aſſequatur; & ego oculis rationem capio: & quiſque ſuis conjicere perquàm facilè poteſt, quare M. olim paſſus faſtigiatum in nubes ſe Veſuvium extuliſſe ritè concludemus. Tùm Sextus: Aſſentior prorſus. Verùm quia in re curioſâ ſumus, & viæ nonnihil adhuc ſupereſt, patiare, ut unum, & alterum te interrogem. Nam ego res haſce minimè ex illis requiro, quos Græci σοφιστάς vocant: qui diſputandi nunquam finem faciunt, ut eo animo eſſe videantur, velle nimirum ætatem in litibus conſerere, quocircà fruſtrà eos, ut olim Gellius in Græciâ Proconſul, ad concordiam revocaveris? plerumque accidit, ut poſt longos, atque inanes verborum conflictus, nihil præter tædium auditoribus pariant: latente adhuc quaſi in puteo veritate, quare veriſſimum certè illud vetuſtiſſimi poëtæ:

Veſuvii altitudo.

Nimium altercando veritas amittitur.

quocirca non immeritò ad iſtiuſmodi homines hæc per Pollucem tranſmittit Diogenes, ut eſt apud Lucianum: Τὸ μὲν ὅλον παύσασθαι αὐτοῖς παρεγγύα ληροῦσι, καὶ περὶ τῶν ὅλων ἐρίζουσι, καὶ κέρατα φύουσι ἀλλήλοις, καὶ κροκοδείλους ποιοῦσι: καὶ τοιαῦτα ἄπορα ἐρωτᾷν διδάσκουσι τὸν νοῦν. Hic ego: Gratulor tibi, mi Sexte, egregiam iſtam indolem, ac deſiderium iſtud veritatis indagandæ. Cedo, quæ ſcire tibi eſt animus, dabo operam, ut expleam deſiderium tuum. Tùm ille: Dicam equidem, quando tantâ me benevolentiâ proſequeris. Ain' ignem illum, quem modo ſpectamus nitidâ in cœlum flammâ conſurgere, è Plutonis officinâ per longa terrarum ſpatia erumpere, & conflagrare? Etenim nonnullos ità arbitrari ſæpè ſæpius audivi, qui hujuſcemodi montes Tartarorum oſtia, per quæ, ut olim ex Tænaro, atque Cumanâ ſpecu, deſcenſus in Averna, & Manes pateat, uſquequaque appellant. Cui tùm ego: Aniles, mi Sexte, hæ ſunt fabellæ, & pia terricula vulgò decantanda, ut ſceleribus modum faciat, vulgus enim, qui quidem plurimus opinione, non

Fabula anilis de Tartareo Igne in Veſuvio conflagrante.

ratio-

ratione ducitur, quare illa juvant plurimùm, ut hic timore coërceatur, inque id ipſum à Deo rerum omnium opifice, ac moderatore, tùm potentiſſimè, tùm ſapientiſſimo multò ante inſtituta, nempè ut ita, vel frænaret hominum inſolentiam, vel pervicaciam domaret. Cæterum, ſi tùm Manes, tùm, qui illos adurit ignis, atque excruciat miro modo, in penitiſſimo terrarum ſinu, (centrum Geometræ vocant) poſiti ſunt, qui fiet, ut poſt emenſa IVMDCLXXIII. millia paſſuum (quantum nempè ſpatium à medio ad ſummum uſque terrarum faſtigium eſt) Tartareus ignis ille prorumpat? & tantâ item vi, atque impetu, ut vaſtiſſimi quique montes diſſiliant? Quod ſi reverâ cuncta ſibi obſiſtentia protruderet, cum ex umbillico terrarum vim moliatur, totam profectò terram à fundamentis excuteret, id autem aliquando eveniſſe (neque id ſanè ſine inſigni mortalium cæde, atque immani terrarum ruinâ accidiſſet) memoriæ proditum haud quaquam eſt. Quin etiam, ut ſemel, vi factâ, ſibi aditum aperuiſſet, cùm ſemper ardeat, ſemper etiam erumperet, & colluceret uſquequaque, deſinit tamen, & ad annos quidem, imò ſæcula. Tandem illiuſmodi ignis natura alia prorſus eſt, & præterquàm quòd urat, noſtro diſſimilis omninò, atque in hoc divinarum rerum interpetres omnes propemodùm conſentiunt. Hic Sextus: Aſſentior facilè. Sic ego meum in animum induxeram. At pergam porrò. Quid de geniis arbitraris? Ajunt enim viſos ibi Cacodæmones, qui ruſticis hominibus in certum diem incendia prædixerunt: eoſque miris oſtentis, atque portentis perterruerunt, nam ut Latinè fatear, quod ſentio, hujuſmodi ego viſis vix fidem adhibendam eſſe puto. Tùm ego: Rectè tu quidem, Sexte: ætatem ſenili cautione præcurris, & ſanè ea res præſens, ut cautio ſit tàm tua, quàm mea, opus eſt, pleraq; enim; quæ de Spectris iſtiuſmodi enarrantur ſomniantium viſa ſunt, & nihil admodum aliud, quàm nebulæ pictæ in pariete: alia verò eorum, qui valetudinis vitio furunt, & melancholici dicuntur, formæ, atque imagines, nonnulla tùm arte, tùm induſtriâ à callidis circulatoribus, ac nebulonibus conficta lucri gratiâ, quæ poſtquàm apud ignavam plebeculam fidem invenerunt, pro certis divulgantur, idem accidit ſæpènumero in prædictionibus, quæ poſt rerum eventus ſerò tandem producuntur quaſi non omnes poſt facta divini ſint. Miror equidem viros quoſdam, qui ſe prudenter, & doctos jactant perquàm magnificè, ità hiſce anilibus fabellis moveri, ac ſi tum primùm exiiſſent è tripode. Crede, mi Sexte, plurimum eſt

An viſi Cacadæmones in Veſuvio? & Unde hujuſmodi, ſomnia oriantur.

eſt vulgus hominum, paucoſque inveniens cordatos, qui, quid inter album, & nigrum ſit, perſpiciant. Enim verò, non inficior, poſſe interdum iſtæc incendia à geniis tùm malis, tùm bonis præſagiri: utqui ex phyſicis cauſis poſſunt illa prænoſcere, quod quidem nos ipſi poſſemus prædicere, ad eum modum, quo eclypſes & Solis, & Lunæ, atque his ſimilia multò antè pronunciamus, ſi aditus in terrarum penitiſſima, ubi abditæ illorum effectuum cauſſæ inſunt, perquàm facilis pateret. Videri item Cacodæmones humana effigie, ingenti ſtaturâ, viſu informi, vultu immani, ac tetro, cornibus fumigantibus, minacibus oculis: atque in hunc modum homines perterrefacere, nec mirum, nec inſolens, verùm, ut dicebam, hujuſmodi viſa, atque oſtenta ſæpènumero ſomnia, meræque imagines, ac pictæ nebulæ, aut conficta figmenta ſunt. Hæc cum dixiſſem, in ſcopulum, in quem jam navicularius cymbam admoverat, exilivimus. Et quoniam tardiſſimè redieramus, ne humidæ nocerent auræ, domum faceſſentes, gradus grandivimus: totumque aſcenſum continenti ſpiritu tranſmiſimus.

CAPUT II.

De imitatione illius loci Homerici, quo poëta in clypeo ab Vulcano Achilli Thetidis gratiâ facto, univerſarum ferè gentium ſtudia deſcribit: eſt autem accomodatum Tormento bellico, in quo univerſa Campania deſcribitur: deque Villâ Pollii Felicis.

Sub Auguſti Kal: dum maximè fervent anni calores, & eo præcipuè, qui fuit æſtuoſiſſimus, Neapoli in Surrentinum noſtrum Purpuratus Præſul diverterat: ut per dies aliquot defatigatum, quâ curis quâ negotiis animum paululum relaxaret, quod quidem ni viri principes qui Reipublicæ ad clavum ſedent, & quorum curæ univerſorum ſalus commiſſa eſt, ſæpenumerò faciant, labori tandem vel invitos ſuccumbere neceſſe eſt. Etenim finitæ cùm ſint hominum vires, & uſquequaque labore, ſtudio, negotiis, ac ſolicitudine conterantur, niſi eas identidem otio, ac vacatione inſtaures, tandem aliquando deficient. Idverò illi cùm modeſtis quidem verbis, ut par erat, ſed efficacibus ſæpiuſculè oſtenderem, magnoperè hortabar, ut ſæpiùs factitaret: & eò præcipuè, quòd locus eſſet genialis, atque inter- **Principi Viro identidem à curis vacandum.**

interventoribus vacuus, & liber omninò ab officiis: quæ plus oppidò tædii, quàm reliqua negotia afferunt. Ille verò: Facerem equidem, animis lubentiſſimis, ſi mihi per provinciam liceret, verùm enim non licet, cùm in dies in negotiis negotia ſuboriantur, quæ mentem aliò avertunt, nec certè fas eſt, quamquam id maximè velis, cujus enim curæ tot populi ſunt, & tanta populorum commoda, quibus opus eſt, ut perpetuò invigiles, haud ſanè frui otio diutiuſculè licet. Non meminiſti illius Homeri?

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
Ὧ λαοί τ' ἐπιτετράφεται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Quod tu in Nauticis Latinè feciſti:

Nam cura ſalutis
Cui commiſſa hominum, & vitæ ſpes dirigit unus,
Non decet in dubiis concedere lumina ſomno.

Niſi mea me fallit opinio, credo te hîc ad illud Homeri reſpexiſſe. Tùm ego: Divinaſti certò. Attamen velim, quæſo, ut Homericum dictum, dignum ſanè tanto poëta, tùm intelligas locum habere, ut meis ego verſiculis plànè, & apertè innuo, cum proximè periculum imminet, & publica in diſcrimine res eſt: minimè verò cum compoſitæ res ſunt, & pacatæ conquieſcunt. Quinimò, ut Reipublicæ ſubvenire queas, tùm maximè, cùm hæc opem, operamque tuam expoſcit, neceſſum eſt, ut ab otio, ac remiſſione corpore ſanus, ac vegetus, animo liber, atque expeditus opitulaturus accedas. Sic enim majus, atque in promptu auxilium ferre poteris, utpote qui habitior corpore, mente vividior. Tùm ille; Sic eſt, non oppedo. Verumtamen opportunitatem nanciſci in tantâ tùm curarum, tùm negotiorum vel varietate, vel frequentiâ perdifficilè eſt oppidò, quin etiam oſtentatam interdum occaſionem ſtatim arripere, ac tenere, minimè commodum. Cui tùm ego: Ità ſanè, id non me præterit, verùm facto opus eſt. Plurima enim ſunt, quæ moram patiuntur; quocircà commodè differri poſſunt: nonnulla, quæ aliis committas, qui vicariam curam gerunt, imò expedit, ut quædam conficiantur ab aliis, quorum explorata tibi fides, ac perſpecta prudentia eſt, ne dum cuncta velis ipſe recognoſcere, ac de ſingulis quæſtionem habere, vel ſuccumbas oneri, vel aliqua te fugiant. Hic ille: Ut quam bellè, & peracutè in villam tuam me non invitas modò, ſed etiam cogis, veniam ex intervallo, ſi quid temporis vacuum habebo, imò promitto me illicò eâ uſurum portâ, quam primam videro. Verùm age, donec devexior dies eat, ſeque nimius calor frangat; lectita mihi Homerum tuum. Cui tùm ego: Faciam

ciam illicò, acceptumque ab armariolo librum, aperui, ut ſors tulit, oblatus eſt egregius ille locus lib. XVIII. in quo divinus poëta Vulcanum inducit univerſarum penè gentium ſtudia, atque opera ἰδέσι ὠραπίδεσσι, doctâ nimirum mente cælantem in clypeo, quem Thetidis gratiâ Achilli fabricabat. Poſtquàm locum omnem percurrimus, Nonne pulcherrimus, inquit, ac poëticus totus quantus quantus eſt? Cui tùm ego: Ità prorſus: neque quidquam eſt, quod in illo deſideres. Et ille; Sed quàm venuſtè, quàm eleganter illum imitatus eſt Virgilius noſter lib. VIII. ſtatimque, ut poëtam Latinum lectitarem limpidâ voce, juſſit. Cùm igitur librum è menſulâ, ubi mihi ſemper ad manus erat, accepiſſem, locum illum placidè ac ſonorè recitavi, vix tandem lectus, cum ſtatim ille: Papæ! ut venuſtiſſimus, æquè, ac delicatiſſimus! illum ego audirem millies, non modò ſine tædio, ſed ſummâ animi voluptate, ad me verò, Videtur mihi, inquit, quid ſimile fieri poſſe in Bellicis tuis, emitere: audendum profectò aliquid eſt, quo tu etiam ad aliquem honoris gradum aſcendas. Tùm ego ſubridens: Feci quidem, ſed tantum ſperare non auſim, ſcio quippè tenuitatem ingenii mei, & quot in ſalebris noſtri hæreant verſiculi. Tùm ille percupidus: Amabo, cedo, ubinam? Et ego: In Tormento Bellico, quod illuſtri, elaboratoque opere inſigniri uſus obtinuit, id verò in Foro Vulcani ab ipſomet Vulcano factum confingo. Et ille: Laudo, ſtudium tuum, quia verò adhuc aliquantiſper expectandum nobis eſt, quoad æſtus magis temperetur, recita, ſodes, locum iſtum: erit profectò tàm jucundus, quàm qui maximè. Tùm ego: Facerem haud gravatè ſi tenerem memoriâ, & verſus eſſent caſtigati ad unguem, Ille verò: Dic de ſcripto, utut ſunt, afficient me, quamvis illaborati ſummâ voluptate, Tùm ego: Si ſic jubes, non reſtito, verum eo pacto, ut de illis judicium tuum, quod ego magni æxtimo, planè feras. Quod cùm ille mihi pollicitus eſſet, ac recepiſſet ad ſe, ego tabellas è truſatili arculâ eductas lectitavi hoc modo.

Homeri locus inſignis, quem imitatus eſt Virgilius;

Et in Bellicis Parthenius.

Hæc ubi dicta, virum Phlegræ in penetralia ducit,
Plurimus arcano quà fumat ab igne caminus.
Namque hic materies, dictu mirabile, nulla,
Nulla vel arſuris præbentur pabula flammis:
Nec Cyclopes alunt torpentem follibus ignem.
Verùm perpetuò gremio telluris ab imo
Per cœcos, vi factâ, aditus erumpit in auras
Quod mirum & magis eſt, non flamma abſumit edaci:
Cuncta licet, tacito ſerpens fervore perurat.

Eſt etenim miſeros idem, qui, Dite miniſtro,
Horrendum ſontes ſub opacis torquet Avernis:
Hùc ubi perventum, cœcas abſiſtere flammas
Vulcanus jubet: & nigrum ſubſidere fumum
Tartara ſub; glaucique gravem depellit odorem
Sulphuris. Eumenio mox curru impoſta tonanti
Oſtendit tormenta: oculis ſitientibus ille
Inſolitum miratur opus, operiſque laborem:
Et cælata novo miratur ſigna metallo.
Namque omnem in medio Campanam Mulciber oram
Sculpſerat, & longæ totum Cratera coronâ
Curvarat, vitreaſque ſinu cælaverat undas,
Mirum opus, & dextrâ dignum, ingenioque magiſtri:

Surrenti ora in Tormento bellico inſculpta, & Campania Felix.

Hic medius gemino ſurgebat vertice in auras
Vesbius, hoc circùm ſylvis redimitus, & illo
Horrida ſub cœlum flammis incendia ructans.
Hinc per Pompejos, & apricas Herculis arces
Cernere erat ſubitâ trepidas formidine gentes
Errare: & refugo nonnumquam viſere montem
Obtutu: ſubitòque oculos avertere flammis,
Non longè dextrâ præcinctus arundine glauca
Per campos leni currebat murmure Sarnus,
Illinc, & Stabias, & amœna in colle vireta,
Et Vicum, & ſemper lætum felicibus umbris
Surrentum, & propter Campeſtria pinxerat arva:
Hîc virides inter ſcopulos, & opaca phaſeli
Antra videbantur vitreos diffindere fluctus.
Et qui fortè ſinu Colomelidis otia Vates
(Vrbis, & ingrati pertæſus jurgia circi)
Dulcia captabat muſcoſo in vertice ad umbram
Conſidens: Zephyrique afflatus mollibus auris,
Difficiles artes, & prælia dura canebat.
Ingenui circùm pueri, pulchræque Camœnæ
Murmure plaudebant læto, ſertumque parabant:
Candidus & ſupra nive mons ſurgebat: ab illa
Dictus & indigenis mons eſt Lactarius, illi
Inque globos, cumuloſque nivem ſtipare videbas
Curâ homines multâ, magnaſque implere lacunas:
Mox opere expleto, menſas ornare, famemque
Perpingui tauro, fuſcoque explere Lyæo
Inde ſinus Polli, Grajæque inſculpta Minervæ
Delubra: & colles venator plurimus inter
Apricos cælatus erat, perque uda vireta.
Ille coturnicem, perveſtigante canum vi,
Baliſtâ, aut ſclopo dimiſſâ glande petebat:

Colli-

Collibus in ſummis expanſo hic rete, ſed ille
Ficedulam certâ ſignabat in arbore nitroque
Ilicet accenſo, cedebat miſſile plumbo.
Vertice ſed ſummo falconem Veſpolus arte
Captabat mirâ, & ſocii clamore favebant.
Hinc æſtu modico præterlabente remotæ,
Spumoſo Capreæ canebant undique fluctu:
Parte aliâ extento vernabant æquore campi;
Per quos vicino veniens à fonte, fluebat
Irriguis Sebethus aquis, hic flumina propter
Plurimus herboſis olitor curſabat in hortis.
Hic olera, hic nitidos flores, hic poma legebat:
Hic ducebat aquam, & ſitientia prata rigabat:
Ille maritabat vites ſolertior, altam
Hic vertebat humum, viridi ſub tegmine fagi.
Ille jacens ſervabat oves, & inertia dulci
Otia fallebat cantu, calamoque canoro.
Dein, ubi vitiferi molli conſurgere clivo
Incipiunt colles, regales ſculpſerat ædes,
Marmoraq; & fontes, vitreaſque in fontibus undas;
Et pictoratos ſignis effinxerat arcus.
Hinc quæ Sirenis longiſſima ſemita ad urbem
Inducit, cincta arboribus felicibus umbra,
Fontibus & poterat liquidis ornata videri.
Poſt ipſos longo colles curvaverat orbe
Mulciber, ipſa velut picto Thaumantias arcu
Verſicolor cœlo ſeſe decircinat Iris.
Horum in declivi, pandique è more theatri,
Pulchram Parthenopen pulchro cœlaverat arcu:
Atque omnem ſolers hìc ille impenderat artem.
Cunctas quippè vias ſua per diſcrimina, & omnes
Illarum flexus palatia ſingula, & ædes,
Et fora porticibus circùm præcincta ſuperbis,
Et turres, atque alta tholis delubra Deorum,
Marmoraque, & fontes poteras, ipſaſque videre
Diverſum hàc, illàc turmatim currere gentes.
Quin etiam portu naves effinxerat: ipſum
Molibus; & magnis, jactiſque in gurgite pilis,
Extructum mediis portum formaverat undis.
Cujus in extremo ſurgens altiſſima cœlo
Nocte pharos nitidam ſpargebat flammea lucem:
Hinc Megaræ turres vitreo præcinxerat æſtu,
Et Lucullanos juxta depinxerat hortos.
Ora videbatur poſthinc & Olympis, ad auras
Felices Zephyri, Soliſque cubilia currens.

Atque diem verſa in medium, qua læta ſalubri
Temperie, & molli Tyrrhenæ Doridos unda eſt,
Collibus ad deſtram longè obvallatur apricis,
Et gelidos: Boreæ flatus, & frigora neſcit.
Hic nitidas pulchrâ cælaverat arte quadrigas.
In quibus invecti proceres, patreſque togati
Captabant placidas Zephyrorum, & Veſperis auras,
Illius ad finem ſub monte inciſa patebat
Crypta, Dicarcheam via quà deducit ad urbem,
Magnum opus, & veterum, ut perhibent, monumenta Pelaſ-
Cujus in ingreſſu dextrâ de parte ſepulchrum (gum.
Vatis Mantoi, laurumque inſculpſerat, illam
Sponte ferunt tumulo innatam; qua nempè ſuperbi
Præcingi cineres poſſent, Maneſque Maronis.
Hinc ſe curvabat medium projectus in æquor
Pauſilypus, ſemperque jugo peramœnus, & undâ,
Illius incurvo quæ litore plurima ſurgunt
Magnifico luxu fabricata palatia, & acti
Fecerat aprico ſub vertice Mergillinam.
Quin etiam querulo meditantem carmina plectro,
Retia dum ſocii ad litus piſcoſa trahebant,
Alta infelicem finxit ſub rupe Lyconem.
Cernere erat liquidis in fluctibus, uda ſecundùm
Litora depictos auro, minioque phaſelos,
In quibus heroes ducebant otia, & auras
Carpebant: reliquum ſterni per litora vulgus.
Pauſilypum juxtà Neſis frondoſa virebat,
Cognita Pellæis & quondam Euplæa carinis.
Inde Dicarcheos nitido cœlaverat ære
Egregiâ Deus arte ſinus, urbemque Dicarchi,
Deſuper incano fumantem vertice Phlegram,
Vulcanique Forum præcinctum rupe: miniſter
Multus ubi nitrum, ſal, ſulphura viva coquebat.
Vitibus, & Gauri juga læta: & valle repoſtâ
Hinc fluctus, Aniane, tuos, tetramque mephitim,
Parte aliâ Bajas, atque alta cacumina montis
Meſeni, & Baulos, piſcoſaque ſtagna Lucrini.
Non longè Elyſios, & opaca effictor Averna
Fecerat, & Phœbi delubra, ædeſque Sibyllæ.
Quin & Romani quæ circùm plurima quondam
Venturo monumenta ævo poſuere ſuperbi,
Et vaſtas medio fabricatas gurgite pilas:
Et quotquot varios medicantur balnea morbos,
Cumæ hinc Chalcidicis urbs olim clara colonis,
Tyrrheni propter fluctus, & colle feraci

Impo-

Impoſta: inque novo pariter ſic ficta metallo;
Inde Pithecuſæ Cumarum ab litore quondam
Ingenti, ut perhibent, metu telluris in altum
Projectæ: Prochyte propior, formoſa viretis:
Longior Inarime Baccho lætiſſima: cœlo
E' cujus gremio turritus ſurgit Epopeus:
Atque indignantem premit alto monte Tiphæum.
Præterea geminas inſculpſerat æquore claſſes,
Quæ totum, quamvis latum, Cratera replebant
Navibus, & pugnam magno fervore ciebant.
Surgentem ad Solem, quæ pugnatura locarat
Se, bombo ingenti reſonabat, & igne coruſco
Sæpius ardebat: vibrare & fulmina in hoſtes
Crebra videbatur, cœlumque obtexere fumo.
Altera, in occaſum longo ſinuata ſub arcu
Quæ gemino ſeſe cornu tendebat, iniquo
Marte premi, proras & jam torquere refractas:
Fulmine nimirum, nimboque oppreſſa tonanti.
Inque illam & cuneos flammarum ventus agebat;
Preſcius, has claſſes, venturi Mulciber ævi,
Finxerat. Eumenio miranti prælia, & artem
Et jam jam cupido Fatorum arcana tenere,
Sic fatur; Tempus veniet, cum Maurica pubes,
Tinacriæ ſpoliis, palmâque inſignis Iberâ,
Invadet Dominam ſignis victricibus urbem:
Et premet obſidio: triplici tùm fœdere gentes
Auxilium Romæ laturæ in bella coibunt:
Nimirum quæ Parthenopes nova mœnia, & arces
Incoluere, tenent quæ claram pyxide Amalphim,
Quæque tuos, Cajeta, ſinus, portuſque frequentant;
Parthenopæus erit dux claſſis: & ille feroces,
Aſpice Centauro ut vectus, premat ignibus Afros:
Atque novis totam tormentis undique claſſem
Diſiiciat: quos roſtra volant diffracta per auras;
Quotque rates pelago merguntur, & igniferum ſal
Quot vaſta in mediis incendia ſuſcitet undis.
Et tot victorem populorum, totque ſuperbum
Oceano latè partis, terràque triumphis,
Prædatorem Arabum, atque ingenti claſſe potentem
Tres tantùm vicere armis ſocialibus urbes.
Nempè tot Auſoniæ ſunt in certamina vires,
Unus amor ſocio cùm gentes fœdere jungit.
Quin etiam, & tempus veniet (ſic volvere Parcas
Accepi) quando ſola hæc concordia priſcum
Reſtituet decus, Imperium Romanus habebit,

Et leges iterum dabit Orbi Roma ſubacto.

Vix dum lectitavi, cùm Cardinalis: Imitatus tute etiam es divinum poëtam perquàm ingeniosè, laudo equidem, imò gratias ago, quo Campaniam noſtram illuſtraſti, & victoriam illam majorum noſtrorum glorioſam ſanè, & inclytam, ſed obſcuram, & à multis ſilentio præteritam, in lucem tàm ſplendidè, tàm magnificè protuliſti. Verſiculi, ſtem in promiſſis, adeò expoliti, ut non modo meo, ſed cujuſcumque quantumvis delicati, ſuffragio ornari poſſint, quare illud velim, ut opus quamprimùm commune facias, ſpero enim illud literatis acceptum fore: & iis vel maximè qui ſtylo facili, & mundo delectantur. Tùm ego: Quoniam in ſummo loco tua eſt apud me authoritas, omnem operam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in illis perficiendis figam, ac locabo. Et ille: Iſtuc abs te expecto: precorque Superos, ut ad id commodam dent valetudinem, quam ſcio hactenus fuiſſe in cauſsà, quin adfectum jam opus, & quidem abſolutum numeris omnibus habeamus. Sed age nunc, deſcendeamus tandem ad oram maris, frigidulis auris animos recreaturi, nullâ igitur cunctatione interpoſitâ, acceptis mecum libellis eruditis, in ſcopulum proficiſcimur. Stabat ibi phaſelus expeditiſſimus, quo ſtatim conſcenſo, juſſus gubernator in Pollii felicis ſinum proram dirigere. Nos interea, ut ſolitavimus, libros eruditos ſublegebamus, nempè ut ipſum otium operoſum eſſet, nec quid temporis excideret ſine lucro, quia verò in Pollii ſinum curſus intendebatur, poſt multa jam lecta, placuit Cardinali, ut Herculem Surrentinum Statii perlegerem. Quæſitum inter lectitandum, quod Herculis templum, quod Neptuni fuiſſet. Cum enim duo inſtructa forent à Pollio, unum in ipſo promontorio Surrentino, alterum ad Occidentem in colle juxta intimi ſinus receſſum, utrum horum Herculi ſacrum fuiſſet, neutiquam præ vetuſtate diſcerni poteſt. Putabam ego illud Herculi conſecratum, quod fuerat in ipſo promontorio. Etenim cum hic ſtagna illa jaceant, quæ circùm teſtudo ad inſtar caveæ ex lateribus inſtructa fuerat, viſiturque id temporis magnâ ex parte integra, ducebam in ipſo lacu habitam olim fuiſſe in honorem Herculis Naumachiam, contra verò Cardinalis ſentiebat: Sed potiùs, inquit, hanc in honorem Neptuni celebratam verò ſimilius eſt: quippè qui marinus Deus, & maritimæ villæ cuſtos eſſet, quam ſententiam, ut comprobaret, illud ejusdem Statii recitavit de Pollii Felicis villa.

Quodnam Herculis, quodnam Neptuni Templũ in orà Surrenti à Pollio inſtructum, inquiritur.

Ante domum tumidæ moderator cærulus undæ

Ex-

Excubat, innocui cuſtos laris: hujus amico
Spumant templa ſale: felicia rura tuetur
Alcides: gaudet gemino ſub Numine portus:
Hic ſervat terras, hic ſævis fluctibus obſtat.

Quod ipſum ex eo efficiebat, quia inibi magnæ domus ruinæ conſpicerentur: antè verò domum excubare Neptunum Papinius dixerat.

Hic Cardinalis antiquarum rerum inveſtigator tàm acer ac ſedulus, quàm qui maximè, Non faciam, inquit, quin locum perluſtrem, omniaque monumenta villæ, vel in paucis celeberrimæ, circumſpiciam: primùm igitur in lacum, ipſum ingredi conſtituit, in quem cùm phaſelo aditus non pateret, oriam quandam, quæ tàm propè erat à ſcopulo, accerſivimus, hac inſcensâ, per anguſtias pertuſæ rupis lacum ſubintravimus. In interiore parte rupis ante ipſum veſtibulum magnus fornix lateritius arcuatus conſpicitur: extatque penè integer, circà verò lacum teſtudo extructa in edito colle, quo lacus præcingitur, ac veluti coronatur. Magnâ pariter ipſa ex parte uſque extat, viſuntur etiam pilæ, totius operis fundamenta, in aquam jactæ opere teſſellato, ex quadratis partim lateribus, partim verò ex lapidibus item quadris, quo opere ipſa eſt teſtudo, & quidquid hiſce in locis præ ſe vetuſtatem refert; quocircà crediderim è veſtigio lacus ad ſummum uſque collis faſtigium teſtudinem olim fabricatam fuiſſe; in ſtagni medio magna extat pila, in qua olim ſalientem fuiſſe, de qua Statius meminit, non abs re putaverim. Ut ſtagnum omne perluſtravimus, quia ex ipſo ſuperior collis, erat fermè inacceſſibilis, idcircò egreſſi, atque iterùm in phaſelum recepti, vicinum promontorium petivimus; In quod, poſtquàm brevi deventum eſt, illicò in ſcopulos exilivimus; cœpimuſque per aſperos, acutoſque lapides non ſine labore, ac periculo (bis enim ego, fallente veſtigio, relapſus) in pervetuſta villæ monumenta contendere. Poſt multos paſſus lentè admodum peractos, propter viæ ſalebras, ſpeculatoriam in turrim tandem pervenimus, cujus ſpeculator, ut Cardinalem, vidit ſtatim obviam venit, cumque humiliter ſalutaſſet, ſe viæ ducem exhibuit, qui mox, ut qui loci peritus, nos per omnia illa monumenta deduxit. Vidimus igitur plurima teſſellata cubicula, ac fornicata: quorum quædam adhuc viſebantur incruſtata, quadam cœmenti ſpecie, quæ marmore ipſo durior æquè, ac lævior, & ut conjecturam de ſe Cardinalis faciebat, quondam etiam candidior; impreſentiarum enim marini aëris injuriâ obfuſcata; nonnulla pariter depicta variis, quà ſignis, quà flo-

Cardinalis Caſtelmus rerum antiquarum Inveſtigator, ac ſedulus.

Villæ Pollii Reliquiæ.

ſculis : quorum colores adeò nitidi, vividique, ut picturam recentiſſimam diceres. His per ſingula curiosè, diſtinctèque luſtratis, in collem ſtagno imminentem, in quo cavea inſtructa erat, progreſſi ſumus. Collis, ut ferè omnis vicinus ager, oleis conveſtitur : circa verò ruinas ædificiorum fruticetis obſitus, quocircà difficilè iter habet, atque impeditum, perrupimus tamen per medios vel dumos, vel frutices, ſternebat quippè ſibi viam cupido rerum viſendarum, quæ cum animum occupaverit, nihil admodum tàm arduum, ac difficilè eſt, quod non ſuperet. Ut igitur compendio ſingula complectar, circa teſtudinem compluria cubicula ſpectavimus, quorum pleraque diſruptis, collapſiſque fornicibus, humo ab imminente colle prolapſa, penè oppleta erant, videbantur nihilominus incruſtati parietes, in quibus pictarum imaginum veſtigia extabant. Poſtquam autem ſingula perveſtigavimus, quoniam jam nox appetebat, in ſequentem diem cætera diſtulimus.

CAPUT III.

De imitatione quorundam locorum Theocriti, & Virgilii ex III. Georgicorum, qua occaſione mentio fit de Authoris Saberide, cujus exordium recitatur: Mox confertur Crateris ſitus cum Boſphoro Thracio: cæteraque villæ Pollii Felicis monumenta deſcribuntur.

Cum primùm à meridiano ſomnulo aſſurrexit Cardinalis, me accerſit, rogatque ſi Veſpertinas preces recitaſſem. Cui tùm ego : Minimè verò. Et ille : Abſolvamus ſacrum hujus diei penſum. Et ego : Præſto ſum, ſimulque è genuali ſcabello, in quo in promptu uſquequaque eſt, codicem accipio. Deindè cœpimus more majorum alternis verſiculis, ego lectitando, ille verò recitando (totum enim divinum codicem memoriæ mandatum habet) Veſperarum preces cantitare, quibus abſolutis, Virgineam pſalmodiam, quam pius Præſul quotidiè in tantâ, & tàm variâ negotiorum multitudine Virgini, quaſi donarium, offerre non prætermittit, illicò recitare cœpimus. Poſteà verò quàm iſtæc ritè peregimus, inter magnam deambulationis feneſtram, & hypethræ arcum conſedimus. Ne verò tempus obduceremus ſine ullo eruditionis lucro, jubet me Theocritum lectitare. Cum igitur fortuitu librum aperuiſſem, in Idyllium illud offendi, quod inſcribitur αἰπόλος. Jam totum pellegeram, cum ille : Quam bellè poëta noſter mul-

Mira Cardinalis Cantelmi Pietas, ac memoria.

ta

ta hujus Idyllii latina fecit ecloga IV. Cui ego : Ità verò: quocircà ipſe de ſe :

Vel quæ ſublegi tacitus tibi carmina nuper.

Tùm ille : Itera mihi, inquit, illa Theocriti, quæ latinus poëta ſubripuit: poëtam verò ipſum mox. Tùm ego, Græcos verſiculos ſtatim recitavi : habebam enim illos in memoria.

Nonnulla Theocriti loca à Virgilio, & Parthenio latinè reddita.

Τύτιρ' ἐμίν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, Βόσκε τὰς
ἆιγας,
Καὶ ποτὶ τὴν κράναν ἄγε Τύτιρε. καὶ τὸν ἐνόρχον
Τὸν λίβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μήτυ κορύψῃ.

Sub hos latinos Virgilii:

Tytire, dum redeo (brevis eſt via) paſce capellas :
Et potum paſtas age Tytire : & inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille, caveto.

Hoc loco Cardinalis : Mi Parthenie (bona venia poëtæ noſtri dictum ſit) ſuaviùs, atque elegantiùs Theocritus, cujus verſus viden', ut delicati, ac ſonori, omnes præ ſe Veneres ac lepores ferant? Cui ego. Admodum, non nego : enim verò eſt quædam nativa Græci ſermonis venuſtas, & quaſi mollitudo verborum, quæ delicatiſſimam reddit orationem. Tùm ille : Sic eſt, verùm pergamus porrò : Nonne & illi etiam elegantiores, ac molliores ſunt?

Ηνὶ δέτοι δέκα μῆλα φέρω τηνῶθε κατεῖλον
Ω̃ μ' ἐκέλευ κατελεῖν τὺ. καὶ ἄυριον ἄλλα τοι οἰσῶ.

Quam illi, quibus hoſce poëta æmulatus eſt?

Quod potui, puero ſylveſtri ex arbore lecta.
Aurea mala decem miſi, cràs altera mittam.

De tuis quid dicam? habent & ipſi leporem ſuum, & digni ſanè ſunt, ut recitentur. Cui tùm ſtatim ego: Rogo, quæſoque, ut omittas, ne videar inter hos ſuaviſſimos olores anſer perſtrepere. Et ille : ſubridens ſtatim recitavit:

Num tibi dura, quia agreſti munuſcula cultu
Nulla tibi miſi? miſi tamen ipſe rubentes
Biſſenas de more roſas tibi dia quotannis :
Et meminiſſe potes : namque hoc cum carmine miſi:
Virgo, noſter amor, tuus hæc tibi mittit Iolas.

Illud verò tuum etiam in hac eâdem eclogâ.

Eſt ſua conſpectu vel inani blanda voluptas.

habet etiam, ut illi leporem ſuum : ſed dicam candidè, pla-

cet magis illud Theocritæum, ex quo accepiſti.

Εςὶ δὲ ἐν κενεοῖσι ρίλαμασι αδέα τέρψις.

Cui tùm ego: Fateor etiam ipſe, verùm enim; ut dicebam, eſt quoddam linguæ lenocinium, quod aures, quarum judicium, ut ait Quintilianus, ſuperbiſſimum, inuſitatâ quadam dulcedine afficit, devincitque ſibi. Deinde ſepoſito in menſulâ Theocrito, Virgilium accepimus: & quoniam ſic illi ſedebat in animo III. Georgicorum perlegi, cujus exordium cum abſolviſſem. Ille: Viden', inquit, ut totum Maronianâ Majeſtate plenum ſit? Hunc tu locum imitatus VII. Nauticorum, & quidem, ni amor erga opera tua facit, ut præpoſterè judicem, non infeliciter. Lectita mihi illud. Tùm ego libello deprompto ab armariolo verſus illos cantitavi. Quos cum audiſſet, Placent, inquit, præcipuè illi.

Ergo age, rumpe moras: vocat alto à vertice Pontus;
Induſque, Gangeſque, & divitis æquor Erythræ:
Et vocat Eſperio ſub Sole Argenteus amnis,
Virginei fontes, auroque inſignis Amazon.
Et vox aſſenſu marium ingeminata reſultat.
Mox ego victrices accingar dicere palmas,
Æternumque tuum proferre in ſæcula nomen.

Auctor olim iuvenili calore Saberidem aggreſſus eſt,

Sed quid de Saberide illâ tuâ, quam olim juvenili calore aggreſſus es? abſolveſne tandem opus? nam, ut video, lento admodum brachio illud agis, Cui ego: Imò de illo cogitationem omnem depoſui; ut enim abſolverem, opus eſſet rem ordiri à capite, id verò nec ætas patitur, nec aliæ curæ permittunt, ſi quid vacui temporis haberem, potius acquieſcerem tuis conſiliis, & Urbis noſtræ hiſtoriam ſcriberem. Tùm ille: Id mihi, ac popularibus omnibus eſſet tàm gratum, quàm quod gratiſſimum, deſideratur quippè omnium ſtudiis, & exciperetur omnibus lubentiſſimis, idcircò ut ad hanc rem animum applices, inque illâ curam omnem, atque operam figas, ac loces, quæſo, & ſic quid apud te authoritate valeo, etiam jubeo. Interea perlege mihi verſus aliquid Saberidis. Cui ego: Haud equidem digni ſunt, qui audiantur, tùm enim vix Muſas à limine ſalutaveram: vix primoribus labris Aganippæos fontes libaveram; quocircà de te conjecturam facere potes, quàm lutulenti verſus defluxerint, & quàm malè dolati; Et ille: Illaborati quamtumvis, illos recita, animus mihi eſt videre, qualis vagiens Parthenii Muſa fuerit: nam quidam veſter in illa eleganti elegiâ ſic habet:

Va-

Vagituſque tuos Ilias ipſa timet.

Cui tùm ego: Verùm iſtæc viri amiciſſimi bona verba, & tota poëtica. Et ille: Sed eruditi, acris ingenii, & minimè aſſentantis. Age verò, qualeſcumque ſint, certum eſt mihi illos audire. Tùm ego: Næ ego audaculus, qui delicatiſſimas aures tuas perquàm ſalebroſis illis verſiculis radam. Ille verò: Quid reſtitas? recita: alioqui non omittam te urgere, tergiverſari tuum non eſt: an futuri ſint, ut mihi aures obtundant, ipſe viderim. Hic ego tandem, ne immorigeratus viderer erga tantum principem, & benevolentiſſimum mei, quos memineram verſus, in hunc modum recitavi. Poëmatis Proœmium.

Victrices acies, magniſque operoſa triumphis
Arma cano, & clarum partis Heroa trophæis:
Et Gangem Latiis, & adactum legibus Indum,
Et reges Chryſæ domitos; iterumque receptis
Seribus, atque Ophyre, totoque Oriente ſubacto;
Fortunata, novos referam tibi, Roma, triumphos.
Magnum opus aggredior: perterrita mole laborum
Mens nutat, quis bella novis agitata ſub oris,
Atque armis certata novis? quis grandia tanti
Facta Viri, & palmas fuſo ex Acheronte relatas;
Vitriceſque poteſt acies æquare canendo?
Magnanimum tu Muſa, Ducem, tuque inclyta facta;
Tuque acies, actoſque animis in funera Manes,
Atque triumphatas utroque ab litore gentes,
Et plauſus memora, & geminæ decora inclyta palmæ;
Primus ad Eoas, qui vaſta per æquora terras
Tot Lojolæas acies, victriciaque arma
Invexit, ſtygio dicturus bella Tyranno.
Dic quoque quantum ille, & terris jactatus, & undis
Vi Stygis, & ſævi memorem Plutonis ob iram.
Et quanta eſt bello paſſus dum litore in Indo
Romulidum ritus, & ſacras poneret aras.
Inferretque Deum Thetidos gemmantis in oras?
Et quos extorres aſtris, cœloque paterno
Avertit longè, nigriſque involuit Avernis
Dira ſuperſtitio, Eoos luſtralibus undis
Elueret populos, ſuperoque aſciret Olympo.

Hic ille; Vagientis quidem Muſæ, ſed quæ ætatem præcurrit, & cujus præcox ingenium. Verum age ad Bellica ſis animum, ac ſermonem transferamus: Facieſne idem in illis, quod in Nautis æque, ac in Halieuticis præſtitiſti? videtur enim mihi Divo tuo bellicoſo illuſtre quoddam donarium, & ut Græci dicunt ἀνάθημα in illi figi poſſe, ac D. Ignatio ἀνάθημα in Bellicis.

veluti

veluti ſuſpendi ad aram. Cui tùm ego: Divinaſti, ità enim factum eſt, neque id ſanè à me præteriri potuiſſet, etenim abſurdum erat in Parentem amantiſſimum in me officium deſiderari. Ille verò: Fac, ſodes, audiam, levabunt profectò calidiſſimi hujuſce diei tædium verſus tui, nam etſi mihi flabello ventulum ſic faciam, tamen præ æſtu penè emorior. Tùm ego: Æſtuoſus ſanè dies, neque in totâ hac æſtate ferventiorem ſenſi: feneſtram iſtam ſolent fermè ſemper auræ, quamquam leviſſimæ, perflare, quæ quidem nunc ſilent omninò; ut ne vel in ſummis arborum frondibus perpauciſſimæ admodum ludant, ſed recitabo jam verſus, ut calores leves; quippè illi tantum frigus ſunt. Hic ille: Spargiſne tu ſales? Cui ego: Jocandum interdum, ut ſeria, agas, ut rectè Anacharſis, mox accepto Bellicorum IX. verſus ad hunc modum geſticulando cantillavi:

Tu pariter vati grandem mentemque, animumque,
Lojola, inſpira, Divus Pater, inque repoſtum
Caſtalidum penetrare nemus, Cyrrhæque receſſus:
Et ſine Parnaſſi niveo per culmina ferri
Subvectum curru, fonteſque haurire beatos
Pieridum, ſacro poſſit quo percitus æſtro
Belligeras animare tubas, & Martia bella
Dicere: pulſa quibus nemoroſa cacumina Pindi
Bella ſonent, totuſque Helicon clamore reſultet:
Horrida & imbelles accendant prælia Muſæ.
Forſitan heroam ſi myrto adnectere laurum
Arbitrio populi liceat, plauſuque theatri;
Tùm te, Dive canam: toto tunc ore ſonandum.
Et tua Mantoâ clariſſima geſta per Orbem
Conabor proferre tubâ, te Seres, & Indi,
Te ſimul Ammerici, & gemino gens ſiqua ſub axe
Reſtat adhuc ignota, ſacris te Numen in aris
Imponet venerata: tuos cantabit honores:
Et ſupplex tibi vota feret, precibuſque vocabit.
Interea juvat inſtructo duo marmora templo
Figere, primitias belli tibi, Dive, futura,
Hinc, atque hinc: medio fulgens ſpirabis in auro
Ipſe laborato, radiiſque incinctus, & oſtro,
Qualis in aſtrigero conſidis victor Olympo.
Sub pedibuſque undas, & terras arduus omnes
Deſpectas, parioque inſculpam talia ſaxo.
Et primùm lævâ, quod fani in parte locabo,
Vulnere te glandis fractum, thalamoque jacentem
Incidam, & palmas Divorum, & facta legentem.
Adjiciam ſummo viſum de culmine cælum

Expan-

Expandi, nitidiſque chorum deſcendere pennis
Aligerum: quos inter erat dux primus Olympi,
Claudere cui terris cœlum, & reſerare poteſtas.
Illum ſyderio depingam rore medentem
Saucia crura: novos & dio flamine ſenſus
Infundentem animis. Dubiâ ſub luce calorum
Præruptos faciam montes, & vertice templum
Virginis: inque genu te pronum, aramque tenentem;
Et galeam, ſcutumque Deæ, gladiumque ſacrantem:
Spes & Fortunæ ingentes, tituloſque ſuperbos,
Non procul incurvâ ſub rupe inſculptus in antro
Squallenti barbâ, vilique indutus amictu
Atque fame, & nimio ſtabis vexatus ab æſtu,
Frigoreque, & rigidis diſciſſus terga flagellis:
Dura rudimenta! at ſacri felicia belli
Principia: hinc lauri centum, palmæque relatæ;
Hinc illa egregii fluxit ſeges ampla triumphi.
Marmore, quæ ſignis dextro ſpirantibus addam,
Hic te delectos cogentem ad ſigna maniplos,
Militiæque novæ lege, & prima locantem
Fundamenta, ſacer terris quo creſceret Ordo
Excidium extremum vitiis laturus, & Orco,
Verùm pacato Saturnia ſæcula mundo.
Præclaros ſculpam Heroas te patre creatos:
Saberiden cladem Stygiùm, Ditique tremendum
Borgiaden, geminos hunc juxta plurimus arte
Appingam juvenes, quos lilia cana coronant;
Quos & olorinis tranantes aëra pennis,
Puraque membra, nivis ritu canentia pingam:
Ponè ſequens rutilo fulgens Antonius oſtro
Ibit ovans: ſocium cui ſe Mavortius addet
Marcellus, patriâ miſſus Sirenis ab orâ,
Trans magnum Oceanum, primique cubilia Solis,
Seras ad extremos, & Japonis ultima regna.
Ibit & ille, ſuo qui te cognomine reddet,
Agmine laurigero Heroum ſtipatus ovantum:
Et tu, quem comitem mox ſunt habitura Deorum
Concilia, immixtus tantis Heroibus ibis
Carole: teque chorus lauro comitabitur ingens:
Ibitis & terno conjuncti fœdere, vos ô
Primitias Latio Patri quos mittit Japon.
Atque alii parvo ſi fas concludere ſaxo
Tot magnas Heroum animas, qui vulnera paſſi
Pro re Romuleâ, ſignis meruere beatis
Aſcribi: & ſacri quotquot docuere magiſtri

Roma-

Romanos gentes ritus, legeſque ſacrorum.
Non tamen inſignes ſaxo ſuper addere palmas
Prætereàm, magnarum & tot miracula rerum.
Hic miris elementa modis parere: fugatis
Æquora nimirum pacari, atque aëra nimbis.
Stare amnes, trepidare ſinum Telluris, & ignem
Nunc pronum obſequio flammarum, & luce coruſcâ;
Impete nunc preſſo in rores abiiſſe tepentes.
Atque gelu, friguſque ſuum domuiſſe rigorem:
Devictaſque acies morborum, & peſtiferam vim,
His addam è tumulis educta cadavera, Mortemque
Horribilem indomitam, formidandamque ſubactam,
Illic Eumenides diſciſſo crine jacentes,
Atque triumphatum Stygiâ cum gente Tyrannum
Tetrum, indignantem, flammaſque ex ore, vomentem
Attonitumque vadis Phlegethonta hærere reflexis,
Inſculpam: geminoque hæc ſcribam carmina ſaxo,
De Mundo, & Luxu, victoque Acheronte trophæa
Partheniæ hæc Patri magno poſuere Camœnæ.
Hæc tibi nunc templo figam donaria: campum
Tu jam miles adi, mecumque accende canoro
Ære animos: ducibuſque præi bellator in arma.
Jam fera bella ſonant Capitolia: jamque bifrontis
Fana Dei reſeruntur: & alto à vertice totis
Montibus aſſurgunt Alpes clamore ſecundo;
Tyrrhenæque fremunt, pulſatæ claſſibus undæ:
Reſponſant longè cava litora, & arma reclamant
Pulſati colles, & totus detonat æther.

Simul ac primùm cantui finem impoſui, ſtatim Cardinalis: Donarium, inquit, inſigne porrò, ac ſplendidum. Divoque tuo non indignum, quo certè quidem auſpicatiſſimum feciſti libri exordium, ſed deſcendamus tandem ad undas: me ſummoperè delectat mare; ſubindè famulum rogat, ſi phaſelus venerat? Et ille: Jam venit, eſtque expeditiſſimus; aſſurreximus igitur illicò: perque pomarium, & penſilem ponticulum perpauculis paſſibus ad mare pervenimus, exin phaſelum ingreſſi, ad luſtranda reliqua monumenta villæ Pollii Felicis proficiſcimur.

* Num Cratere hoc noſtro in toto terrarum orbe locus pulchrior, & amænior?

Intereà, dum totum penè Crateris ambitum præ oculis haberemus, atque illius tùm amœnitatem, tùm pulchritudinem obtutu, atque animo complecteremur: Putaſne, inquit, Cardinalis eſſe in toto terrarum Orbe locum vel pulchriorem, vel amœniorem Cratere hoc noſtro? Cui ego: Ajo enim verò. Et ille: An fortè Boſphorus Thracius is eſt? Et ego; Ita verò. Tùm ille: Sed quam viam

inibis,

inibis, ut id mihi perſuadeas? Et ego : Talis eſt Byzantii ſitus, ut neſcio quid amplius videatur illi natura conceſſiſſe. Siquidem duæ ſunt in conſpectu partes Orbis terrarum, quæ nonniſi anguſto aquarum divortio ſeparantur. Sedet in angulo Thraciæ terræ, velut in ſpeculâ Univerſi ſeptem complexa colles vaſtiſſimo CXI. ſtadiorum ambitu nova Roma, idcircò inter duos Orbes poſita, ut in utrumque facilem haberet excurſum, ac ſua jura proferret. Et jam MCCC. exacti admodum anni ſunt, ex quo Domina gentium, & regina eſt Orbis terrarum, tot verò referta populorum, tot frequens commerciis, ut incredibile cuique ſit. Quippè perpetuò videre licèt per Helleſpontum, & Boſphorum innumeras propemodum naves, dicam rectiùs claſſes integras, quarum quædam ex Europâ, quædam verò ex Aſiâ, quædam etiam ex Africâ ultrò, citròque commeant, ac commercia jungunt quàm longiſſimè venientium populorum, quæ quidem commercia mirificè fovet, ac promovet vaſtiſſimus juxta, ac tutiſſimus portus, qui urbem ab Oriente alluit, & cui vel opportunitate, vel ſitu ampliſſimo nihil admodum eſt, quod accedat, tot verò, tantiſque navigiis continuò pervius, ut maritimam diceres urbem fluctibus innatantem. Hinc verò laxitas Propontidis patet, illinc in anguſtum coarctat ſe Boſphorus, contra verò trans portum Pera eſt, vaſtiſſimæ urbis appendix ampliſſima, è conſpectu autem in Aſiâ Calcedonia reſpondet : nec longè plurimo turritus vertice Olympus aſſurgit, qui tùm poſitu ſuo, tùm ſuis viridans ſylvis amœniſſimum exhibet proſpectum. Hàc, illàc per univerſum Boſphori tractum, (ni flexuoſas anguſtias, parvaque naturæ repugnantis intervalla dicere mavis) placidiſſimi ſinus ſunt, & quammaximè hoſpitales, molles, atque herbidi ſcopuli, & perquàm piſcoſi : exporrectæ hàc, illàc lingulæ, veluti è gemino terrarum Orbe occurſantes ſibi, & per mutua oſcula amplexantes. Cum in medio utriuſque Boſphori fueris prenſare manibus geminos Orbes videris, tranſitu vel bobus meabili : undè nomen ambobus, & tanquam in diſſociatione germanitas concors, accedit vel ea voluptas, quæ tàm grata eſt, quàm quæ maximè ; nimirum audire alituum cantus, canum latratus, atque humanæ vocis inter duos Orbes commercia : videre item maria ultrò, citròque meante fluctu, perpetuò variantia, atque omnis generis piſcium fœcundiſſima. Per Boſphorum enim ab Euxino in Ægæum meant, ac remeant innumeri penè piſcium greges : qui hiemem in Ponto, æſtatem apud nos traducere conſueverunt, quales ſunt Thynni, & Pelamides,

De Byzantii ſitu admirabili, Urbs deſcribitur, & commendatur à ſitu, ab amplitudine, à populorũ frequentia, &c.

Boſphori Thracii deſcriptio.

Ziphiæ item, atque Delphines, aliique non pauci, qui inter æſtus fluentis, refluentiſque pelagi curſant, recurſantque placidiſſimèque laſciventes, quaſi choros ducnnt, ludoſque concelebrant. Hic Cardinalis: Aſſentior prorſus, effeciſti enim, ut mirabile illud naturæ ludentis opus quaſi oculis contemplarer, at ſi præſens eſſem voluptatem etiam perciperem. Verùm enim non negabis nimirum mihi quantum ille natura antecellit, tantundem Craterem hunc noſtrum ab arte, atque induſtriâ illo ſuperiorem eſſe: ſaltem hac ætate, quà minus à barbaris exornatus (credo enim Romanorum Cæſarum tempore fuiſſe ornatiſſimum) imò potius Scythicâ feritate, dejectis veterum monumentis, miſerabilem in modum deturpatus. Hic verò ſinns totus ferè quantus eſt, tot urbibus, oppidis, villis, atque ædificiis coronatur, ut una urbs perquàm ampliſſima videatur, in hujuſcemodi verò coronâ, pretioſiſſimam quaſi gemmam, Neapolim habet: quæ vel ſitu, vel ædificiis quà privatis, quà publicis longè Byzantium exſuperat. Tùm ego: Ità verò: neque id me latebat; atque iſtuc jam jam iturus eram, in hoc enim ipſo ſententiæ omnium conſenſerunt, quotquot utrumque artificis Naturæ opus quammaximè admirandum contemplati fuerunt.

Villæ Pollii Vivaria, & alia Monumenta.

Sub hæc ſuperato promontorio, in Pollii ſinum ingredimur, quem ab ipſo veſtibulo curioſè cœpimus circumluſtrare. Imprimis ipſo in flexu promontorii breviſſimum ſinum, ſtagnum diceres, offendimus, illum olim undique concluſum fuiſſe, & ſcopuli, & pilæ circa os ejus objecta indicio ſunt manifeſtiſſimo, quin etiam fuiſſe ibidem vivaria, vel ipſa loquuntur rudera. Exin verò ſinus Orientale latus, quà ſcopulis, quà rupibus prætextum, circuivimus, in quo pauca admodum veterum monumentorum veſtigia deprehendimus, quem ut primùm ſuperavimus, in ipſam ſinus oram ſpatioſam, & commodam, in qua geminæ id temporis viſuntur tabernæ, deſcendimus, illam lento quidem gradu ob arenam, uſque ad alterum Occidentale latus, & ipſum ſcopulis, & rupibus aſperum, tùm animi gratiâ, tùm vetera perluſtrandi deſiderio peragravimus. Deindè conſcenſo iterum phaſelo, latus ipſum, cautes propter amœniſſimas percurrere inſtituimus. Hìc in receſſu præcelſæ rupis, quæ, reducto in ſeſe gremio, placidiſſimum ſinum efficit, ingens arcus fornicatus apparet, qui præſe ſpeciem ſacelli refert: atque id ipſum ſparſa hàc, illàc rudera manifeſto atteſtantur, ſinus qui, ut modo dicebam, reductis rupibus curvatur; atque idcircò à ventorum debachantium furore ſecurus, & hieme commodus navibus, & æſtate quà umbra,

quà

quà placiditate maris, quà viriditate arborum, eſt amœna amœnitate amœniſſimus, in ipſo pilæ quamplurimæ, quibus olim magnam ædificii molem ſuperinnixam fuiſſe facilè inducor, ut credam, iſtæc verò omnia inſpiciens, & diligenter exquirens: Nonne hic, inquam, Neptuni templum olim fuiſſe veroſimilius videtur? quippè ruinæ vel ipſæ ad id ſentiendum inducunt: & illud vel maximè, quod ſic amico conſpergi ſale, ut ait poëta, facilè potuiſſet. Tùm Cardinalis: His haud quaquam aſſentior: nulla quippè hic inædificatæ domus veſtigia: nec certè quidem in loco tàm aſpero, adituque difficili fuiſſe unquam probabile eſt. Quin potiùs crediderim hic in ſuperiore colle Herculis templum extitiſſe, illud verò, ſpecum quandam fuiſſe, ex quà per ipſius rupis inciſæ gremium in ſuperna, templumque ipſum aſcenſus eſſet: & quà æſtate oblectationis gratià immorari Pollius potuiſſet, quare in ipſam rupem aſcendamus, inveniemus fortaſsè veſtigium aliquod Herculei fani, quod in colle poſitum dicit Papinius. Cui tùm ego: Nihil mihi potius eſt, quàm tibi obtemperare; at quoniam hàc ne capreis quidem iter, in æquiorem illum locum nos corripiamus. Et ille: Rectè admones, in illum igitur gradum inferimus, ex quo, modò erecti ambulantes, modò quaſi repentes, poſt implexos, implicatoſque calles, ex quibus vix nos extricavimus, tandem in collem ruderibus, quæ pronuper eramus contemplati, imminentem, ſummo labore conniſi evaſimus; hunc igitur collem, ubi olim erectum Herculis fanum fuiſſe Cardinalis non levibus conjecturis affirmabat, perquiſitè inveſtigaremus, rudera compluria pervetuſtæ fabricæ, quæ ut ipſamet rudera de ſe indicio erant, ingens olim fuiſſe videbatur, parietinis partim obruta, partim verò fruticetis obſita animadvertimus, quocircà Cardinalis foſſorem, qui non procul in ſuo ruſculo terram verſabat, accerſiri juſſit; effodique humum juxtà ruinas illas ruderum antiquorum in eam enim ſpem venerat, nimirum fore, ut vel monumentum aliquod inſigne, vel numiſma Cæſarum reperiretur. Verùm cum diù foſſor inſudaſſet, nihil omninò præter pilas, ac fundamenta in rupe jacta, deprehenſum eſt. Hoc loco paganus admonet eſſe tàm propè à ſuo ruſculo ſubterraneas quaſdam fabricas & miras oppidò: ibique haud dubiè illuſtre quid monumenti, aut numiſma comperi poſſe, quocircà viſum eſt non abs re futurum, ſi illùc concederemus, nihil igitur cunctati, in indicatum à pagano locum grandi gradu perreximus, qui ſimul, atque nos accepit, per humile oſtium, quippè oppletum humo uſquequaque rela-

Ubi Neptuni Templum, & Herculis?

Subterraneæ quædam, ac miræ Fabricæ repertæ in Villà,

 ben-

bente, in fabricas intramus, erant autem perquàm ampliſſimæ ciſternæ, quarum aliquæ adhùc integræ viſebantur, aliquæ verò vitium jam fecerant: longoque ordine ædificatæ: èq; ſingulis in ſingulas patebat excurſus, ut in omnes intromitti aqua potuiſſet, illas extructas à Pollio ad continendam aquam, cujus indigus collis eſt, rectè Cardinalis opinabatur, quod verò nobis admirabile omninò viſum eſt, vaſtiſſimi erant fornices, adeò ſolidi, & tanta vel arte, vel induſtriâ fabricati, ut immenſos penè cumulos ex aggeſtâ ſenſim terrâ enatos, arboreſque vaſtiſſimas inibi plantatas ſubſtentarent. Hujuſcemodi ciſternæ quamplurimæ non procul à Surrenti pomærio in Veſpaſianorum fundo, magnâ ſpectantium admiratione conſpiciuntur. Romanum opus in quo cum arte certaſſe magnificentia viſa eſt, ingentes quippè, & inſigni opere, elaboratæ, quo in genere, juxtà ac in reliquis nulla gens Romanos ne æquavit quidem, nedum ſuperavit, quæ quidem poſt tot ſęcula integræ omninò uſque manent, incumbenteſque dorſo immenſos truncos ſubſtinent, ut penſiles Semiramidis hortos meritiſſimò diceres. Servatur in his aqua publica, quæ ex Surrentinis collibus, è quibus ſcatet frigidiſſima, per longos canales teſtaceos in illas infunditur. Poſteaverò quàm ſingula curiosè inſpeximus, ad litus tandem deſcendimus, per æquiorem collem, & minus impeditum, quà nos paganus ille deduxerat, quo non ſine mercede dimiſſo, phaſelum conſcendimus: inque Surrentinum dirigi curſum gubernator juſſus eſt, jam jam enim nox diem adimebat.

Ciſternæ nõ procul à Surrento, ingentes, & inſigni opere à Romanis elaboratæ.

C A P U T IV.

Occaſione perridiculæ fabellæ, feſtiva quædam de putato ſpectro narratur hiſtoriola.

Perridicula Fabella de Fele habita pro Cacodæmone.

CUm eſſet apud me Taurinus Juvenis, veſpere ejus diei, qui Virginis triumpho inſignitus eſt, à frugi cœnulâ, perpauculis admodum verbis animi gratiâ factis, cubitum omnes abivimus: & utqui longâ deambulatione defatigati, ſtatim condormivimus. Lucernam verò puer oblitus extinguere, in culinâ accenſam reliquerat, non multò antè conticinium pulſari tintinnabulum ſubaudio: & quia homo ſum levi ſomnus derepentè expergiſcor, hærebam tamen animis, datuſne reverâ ſonus, an eſſem fortè ſomniatus, aures igitur arrigo, & ſuſpenſas teneo, ut clariùs ſtrepitum, ſi fieret iterum, exciperem, cùm illicò reſonare tintinnabulum audio manifeſtiſſimè, quare ilicet aſ-

ſurgo,

ſurgo; injectâque raptim veſte, ad januam tacitus accedo: eductoque peſſulo, forem perpauxillum aperio placidè, nec crepo; atque ad limen parumper ſubſiſto: mox animoſior foribus gradum effero. Cùm ecce tibi ex proximo cubiculo Taurinus adoleſcens timens, tremens, ac penè ſemimortuus præ formidine, cui ſtatim ego ſubmiſsâ admodum voce, Quid trepidas? inquam. Tùm ille: Perivimus miſeri. Ego verò: Adeone citò? Et ille; Numquid non audiſti tintinnabulum? Tùm ipſe: Audivi enim verò: & quidem ſemel, atque iterum. At ille: Totus metu madeo: timeo enim oppidò; ne malus quidam genius domum obſederit. Cui tùm ego: Mitte, quæſo, timorem iſtum; nunquam enim hucuſque noſtrâ hac in domo vel viſi, vel auditi Cacodæmones, ego plus certò à furibus timeo, nam ut ſcis, nudiustertius in tectum agricolæ inſilientes ſcalis geſtatoriis, quas ille ad proximas arbores applicaverat, cuncta ferè lintea, quæ cinerariâ expurgatione mundata ad Solem ſiccanda expoſuerat, nec præ oblivione ſub veſperam collegerat, ſuffurati ſunt. Tùm ille: Si clandeſtini latrones eſſent, neutiquam pulſaſſent crepitaculum, ne fortè ſtultiſſimi hominum vellent ſe manifeſto indicio prodere. Cui ego: Vera prædicas, ſed fortaſsè caſu factum eſt. Et ille: Non certè ſic in animum induco: haud equidem caſu ſit, quod cadit ſæpè. Cùm verò mox ſenſim ſuſpenſo gradu, & vix primoribus digitis ſignantes veſtigia ad flexum uſque deambulationis progreſſi eſſemus ſtatim Sylvium obviam venientem conſpicimus, qui vix dum nos vidit, cùm, Audiſtis, inquit, clangorem tintinnabuli? Cui tùm ego: Maximè: atque idcircò aſſurreximus, hic timet Cacodæmones, ego verò latrunculos. Sub hæc lumen in culinâ animadverto, quare ad Sylvium: Quodnam lumen eſt illud? Ille verò: Neſcio equidem. At adoleſcens: Timeo nimirum, ne ibi malus ſit genius. Interea loci dum hæc diceret, illicò audimus & crepitaculum reſonare vel maximè, & felem altiùs ejulare poſt crepitum, quaſi ex alto cecidiſſe. Tùm ſtatim Juvenis jam penè enectus præ timore: Perii omninò. Tùm ego: Viſne aquam? Ille verò: Mitte nuces; haud equidem jocandi tempus, quando luſtrali opus eſſet, audin' ut felis perſonam mentitus nos territat ſimul, & illudit Cacodæmon? capeſſamus, nos hinc, quæſo, in ſacellum. At Sylvius: Ah, ah, ah, vah, felis, felis eſt, jam memini, quæ vitulam tintinnabuli funiculo appenſam furari adniſa eſt. Cui ego: Et quis ille fuit aſinus, qui tintinnabulo vitulam ſuſpendit? Ille: Ego ipſe. Tùm ego: Bellè tu quidem: nempè ut dormientes

exci-

excitares, ac perterrefaceres, deerat fortaſsè paxillus? At Sylvius: Cum voraciſſima felis ſemel, iterum, ac ſæpius modò piſces, modò carnem devoraverit clanculùm, locum illum futurum ab illâ tutiſſimum putavi, neutiquam enim credidiſſem tàm altè unquam exilire potuiſſe, imò, ſi fortè inſiluiſſet, exaudiendum fore tùm crepitum tintinnabuli, felem illam dii omnes perdant. At ego: De fele ipſe videris, ego de vitulâ ſum ſollicitus, accepto igitur lumine ad locum pergimus, videmuſque diſciſſum vi funiculum, felemque unâ cum carne diffugiſſe. Hic juvenis, cujus in animo hærebat uſque præconcepta ſuſpicio, Aſperſiſti aquam, inquit, nunc paulùm exorior: nam penè perieram præformidine, malè ſit feli, malè ſit agricolæ, qui illam alit noſtris jacturis. Cui ego: Verùm hæ imprecationes nobis vitulam non reddent, illa, ut mea fert opinio, in villici caſam ſe recepit cum prædâ: concipiamus igitur furtum, veteri more, lance, & licio. At Juvenis: de vitulâ conclamatum. Verùm Sylvius: Minimè, inquit, eamus illicò in hypæthram: ibi illam aliàs cum furto deprehendi, nil igitur cunctati in ſubdialem ambulationem irrumpimus, furemque inibi ſe prædâ ſaginantem illicò invenimus, ille, relictâ prædâ, in hortum derepentè deſilivit, nos vitulam penè intactam læti recepimus.

Feſtiva de putato ſpectro hiſtoriola.

Poſtea verò quàm è ſubdivo intra tectum redivimus, ego: Quoniam, inquam, hîc cadit belliſſimè, audite, quæſo, fabulam tàm feſtivam, quàm quæ maximè, narrabo illam quàm libentèr, ut hujuſce juvenis, qui meticuloſus vel maximè, animum perpauculùm exhilarem, contractamque ſpectrorum recordatione frontem, explicem. Tùm ille: Quæſo, ut facias; ità enim fiet, ut læti, ac feſtivi cubitum concedamus. Sylvius verò: Audiam & ego non modo patienti, ſed volenti animo, licet enim tantiſper immorari, dum redeat ſomnus, quinimò læto, & pacato cum ſis animo, facilè ſomnum concilias: minimè vero triſti, & perturbato. Tùm ipſe: Auſculate modò: eſt enim operæ auribus percipere, adeò ridicula auditu eſt. Stabiis degebat adoleſcens quidam non illiberalis, & ut ferebat ætas non mediocriter eruditus, verùm temperamento melancholicus, & ſuopte ingenio perquàm meticuloſus, eòque inſaniæ pervenerat, ut cujuſquemodi noctu ſtrepitum ſive caſu, ſive conſilio domi excitatum, illicò à Cacodæmone ſuſpicabatur, quantulamcumque umbram vidiſſet, aut videre ſibi viſus eſſet (quod in hujuſcemodi hominibus fermè fit) ſtatim ſpectrum arbitrabatur. Quare frequentiſſimè tùm apud præſidem, tùm cæteros collegas conquerebatur, omnem cir-

ca

ca ſuum cubiculum viciniam obſideri, tetriſque geniis obnoxiam eſſe. Illi juvenis timiditatem, timiditatem autem? imò dementiam, quà riſu, quà facetiis partim coarguebant, partim deridebant, atque hoc modo ſe quotidiè deridendum propinabat. Accidit fortè fortunâ, ut noĉte quadam intempeſtâ, cùm omnes cubitum conceſſerant, vento repentè excitato, concuterentur vehementius poſtes ex adverſo cubiculi unius cujuſdam è ſociis, apertæ, ſomnumque interturbabant, ille cum diutiuſculè fragorem toleraſſet, tandem impatiens, leĉto exilit (interrumpi enim ſomnum tàm acerbum cubantibus eſt, quàm quod acerbiſſimum) utque erat unâ amiĉtus ſubuculâ egreditur: ſtrepenteſque à vento fores quantocyùs occludit. Atqui redire mox in cubiculum cùm vellet, perturbatâ ſtatim mente, ſibi in manibus non eſt; anceps igitur animi hæret, fluĉtuat, nec ſatis tenet, quorſum ad ſuas fores redeundum ſit: dextrorſumne, an ſiniſtrorſum: nec conſilii locum habet, nec copiam auxilii: dum ſic incertus animi pendet, inque uno induſio tremit à frigore, ea mentem ſubit cogitatio, ſingulas nimirum ſociorum foriculas prætentare, quoaduſque in patentes offendat, ſecum enim argumentabatur hoc modo: Cæterorum fores oppeſſulatæ cum ſint, quas ergo patere præſenſero, meæ erunt haud dubiè. Hic me juvenis ſic interpellat: Nonne lucernæ lumine, quam accenſam noĉtu in unaquaque deambulatione habere conſueverunt, ſuum ille cubiculum poterat recognoſcere? Cui tùm ego: Fortaſſis illam ventus extinxerat, vel, ut ſæpè ſæpius uſuvenit, ignaviſſimus miniſter aut novum oleum non infuderat, aut ellychnium non eminxerat. Tùm juvenis: Vera prædicas, experimento quippè doĉtus ſum quàm ſupina ſit miniſtrorum ignavia. Sed perge porrò; res enim, ut conjicio, erit feſtiviſſima. Cui ego: Contendam efficere, quod inſtitui, filumque fabulæ iterum ordior hoc modo. Ille poſt excogitatum ſalutare, ut putabat conſilium deambulationis parieti innixus, ſingulas manibus, ut cœcimos eſt, fores prætentat: & quidem leviter, ne ſocios excitaret, tandem cum deprehendiſſet bibliothecæ fores præfeĉti negligentiâ apertas patere, illicò gradum infert, januamque occludit, utqui præ frigore penè obriguerat. Sed quid? vix dum pedem intulit, crepitumque feræ exaudivit (erat enim ex illis, quæ, laxato arcu, ultrò ſeſe obfirmant: vulgus à ſimilitudine baliſtas vocat) cum ſe ille falſum animadvertit, inque jocularium malum inſcientem penè incidiſſe. Hic Taurinus; Væ miſero! ingens quippè cui infortunium ceciderat, non pauca admodum opinor, in bi-

bibliothecarium jeciſſe maledicta . Cui tùm ego : Rectè conjectas, tantam enim iram concepit, ut illi dira omnia comprecaretur. Cùm igitur obfirmatum oſtium per ſe reſerare non poſſet, pulſare cœpit identidem. Obaudivit ſtrepitum pavidiſſimus adoleſcens, ac ſpectrum de more ſuſpicans tremit totus, horret, ſudat, ac penè emoritur. Hoc loco Sylvius; Hinc, inquit, fabulæ feſtivior actus incipiet. Cui ego: Ità enimverò, auſculta modò. Facto mox utut tantiſper animo, aſſurgit, acceptâque ab amulâ, quam ad limen januæ propter genuale ſcabellum, appenſam habere mos eſt, luſtrali aquâ, ſe illâ aſpergit, Crucis ſignum imprimens, munitque adverſus Cacodæmonem. Superos hinc precatur, ut rem benè vertant: bonumque in primis genium, ut malum, quicum ei odium internecinum, fuget illicò, trudatque in Tartara. Deinceps confirmato his precibus animo, ad fores accedit, gradu adeò ſuſpenſo, ut vix in arenâ veſtigium reliquiſſet: pertimeſcebat quippè umbram ſuam, & quemcumqne ipſemet ſtrepitum edidiſſet, ſic porrò aurem arringens rimis admovet, ut faciunt lepores, cùm venantium ſtrepitum præſentiſcunt, ibique ſuſpenſam tenet ac trepidam, ſi fortè rumorem exciperet, & cujuſmodi eſſet diſcerneret: & ſi commodè daretur, erumperet, mox, verò paulatim fores aperit, extraque exporrigit auriculam, attentoque hæret animo, ubi verò ſonitum audivit iterum, extemplò exilit: rectàque ad præſidem convolat: illiuſque fores iterum, iterumque pulſat, at penè diffringit, ille enim, ut accidit nocte concubia, & antè gallicinium indormiebat altiſſimè: quin etiam erat naturâ graviſomnus. Tandem exporrectus, Quis foribus, inquit, tàm protervè injuriam facit? Ille verò: unus è ſociis. Tùm præſes raptim injectâ veſte, fores aperit, viſoque juvene, quod erat, ſtatim ſuſpicatus, ità, non ſine ſtomacho vehementer objurgat: Iſtuc nempè deerat, quo inſaniæ tuæ inſigne dares argumentum, ut perridiculis iſtiuſmodi ſpectris, quæ tute tibi ad libidinem fingis, ſomnum nobis, & quietem exturbares? adeòne miſer inſaniviſti, ut extimeſceres umbram tuam? quoties te admonui hujuſcemodi viſa nihil admodùm eſſe niſi nebulas in tuâ mente à temetipſo depictas? omitte tandem imagines iſtas, quæ reapſe nihil ſunt, & ſi tibi inſanienti ſpeciem offerant, quà perditus inſanias abito hinc, & dormi. Ille verò ad pedes ejus accidens hominem etiam, atque etiam rogat atque obſecrat, ut ſecum ad locum malo genio obſeſſum ſe conferat, fieri ſic facilè poſſe (, ut teſtis ipſe, ſuiſmet oculis videat, ſuis auribus audiat, ſuis etiam manibus palpet,

quod

quod minimè inducebatur, ut crederet, ſic comprehenſâ ſemel rei veritate, ſibi parceret in poſterum omnique moleſtiâ liberaret. Tùm præſes: Næ ego ſtultus, qui deliriis iſtis fidem præſtem. At juvenis urget iterùm, perque Superos omnes obteſtatur, ut exiguum illum laborem ſumeret, quo, ſi nihil aliud, ſe certè ſiniſtrâ illâ opinione levaret. His tandem præſes victus precibus, tactuſque miſeratione juvenis, unà cum illo ad locum pergit, in quo eſſe malus genius credebatur. Vix propiùs acceſſit, cùm ſtatim crepitum audivit, quo audito, illicò ſubſtitit. Deinde ut audivit iterum, pedem refert: & ſimul ipſe incipit extimeſcere, poſtquàm verò tantiſper hæſit deliberans, tandem in juvenis ſententiam deſcendit, nempè facilè credimus, ubi ſuſpicio præcurrit. Jubet igitur excitari reliquos ſocios, eoſque de ſpectro certiores fieri, mox comparari ea, quæ more majorum adhiberi ſolent ad Dæmonem adjurandum.

Poſteà verò quàm cuncti convenerunt experrecti jam ſocii, rem à præſide diſcunt: credunt & ipſi, quod fabulam antè putaverant, uſque adeò facilè perſuadetur error, ut auctores habere cœpit. Hinc ad locum eunt cum Cruce, funalibus accenſis, aquâ piaculari, & iis omnibus, quæ in re tali uſui eſſe conſueverunt. Hic Taurinus ſic interpellat: Ridicula ſanè res: uſque adeò nihil omninò eſt, quod interdum non cadat, ſed perge porrò: expecto avidiſſimè fabulæ cataſtrophen. Tùm ego: Atque jam præſes cum ſalutari ſigno, funalibus cereis, vaſculoque luſtralis aquæ cum ſuo aſpergillo ad locum acceſſerat, certi omnes bibliothecam occupaſſe literarum Cacodæmonem. Principiò præſes acceptâ luſtricâ aquam funditat, crucemque ſignat adverſum genium illum, jam opinione teterrimum, ille verò futurum jam jam geminâ calamitate miſer, ut lumen tàm propè admotum aſpexit, timens nè linteatus deprehenderetur à ſociis, quippè qui verecundus: Tollite hinc, atque amovete lumen, exclamat, verùm voce adeò immutatâ, & fractâ cùm propter frigus, quo algebat, tùm propter ruborem, quem futurum timebat, ut neutiquam ab illâ cognoſci potuerit, imò illi jam ſibi perſuaſum habebant animo eum unum eſſe ex deſertoribus ſpiritibus quocircà inſultant, atque exprobant, ac maledictis proſcindunt. Peſſima, inquiunt beſtia, omniumque nequiſſima, jam intelligimus ex quo ſtabulo ſis, & ex qua ſentinâ emerſeris, nempè odiſti lucem, emigrandum tibi profectò hinc eſt, inque Orcum meritò ob tua ſcelera tibi debitum faceſſendum: nulla tibi cum religioſis hominibus res eſt. Erumpe quatocyùs, abſcede jam, pete inferos bellua teterrima, iſtæc autem ja-

ſtantes loco propinguabant. At ille lucem tàm propè conſpiciens, contentiori voce conatur amoliri. Auferte, inquit, quæſo, lumen non ego, malus aliquis ſum genius, ſed ex vobis unus, hic fortuitò incluſus. Hi verò: Næ nos inſani, qui credamus tibi, cujus eſt mentiri. Atque hic jam exorciſmum ritè auſpicabantur. Ille vero: Satiſne ſani eſtis, qui tàm perversè illuditis, numnam vos cupido inceſſit agere Saturnalia? aut vos ſaniorem mentem exuiſtis, aut ego quidem ſomnior. Hoc loco illi facti metu ſpectri animoſiores clave oſtium aperiunt: & præter omnium expectationem, non minus frigore, quàm rubore trementem, & fruſtrà à ſe dedecus amoliri conantem, ſocium deprehendunt, & quæ tragedia cœperat, in comœdiam tandem deſiit, quanto riſu; narrare non eſt operæ pretium. Hæc cum dixiſſem, læti iterum, atque hilares cubitum conceſſimus.

C A P U T V.

Eſurialis diei prandium adornatur: cujus occaſione quo modo varia piſcium edulia præparentur, ſcitèque condiantur, exponitur, quæſitum mox qui montes eſſent ignivomi, tandem prandium & feſtivè, & frugaliter celebratur.

CUm benè antè lucem, meo more, ſacris operatus eſſem, & horarias preces, & funebrem pſalmodiam ritè recitaſſem, accerſiri jubeo navicularium, ut cymbam, quam in ſinu noſtræ ſpeluncæ ſubductam habebam, deduceret in mare. Enim verò cum futurus eſſet dies, qui Virginis natalitio ſacer eſt, volebam è piſcatoriis naviculis, quæ plurimæ ad oram Surrentinam piſcatum conveniunt, aliquid mihi piſcium comparare, nam è foro piſcario nihil admodum ſperes: adeò enim Surrentini in piſces imminent, quorum appetentiſſimi, ut ne aphya quidem una in terras appellat; ni fortè cùm plenis retibus capiuntur; habebam etiam mecum lineam, & hamum piſcarium, ut relaxandi animi gratiâ tantiſper vel è ſcopulis, vel è cymbâ non tàm piſces fallere, quàm otium. Conſcensâ igitur naviculâ cum Eulalio, qui tùm mecum erat in Surrentino, propter ſcopulos ire pergo, ut placidiſſimas auras, quæ manè juxta illos molliſſimæ ſpirant, liberiùs captarem, ſatias enim jam me tenebat ſtudiorum. Et ſanè poſt continuatam multorum dierum operam laxamento mihi opus erat, & ut

aliquam facerem ſtudendi intercapedinem. Poſtquàm igitur oram omnem ſummâ cum animi voluptate, tùm valetudinis commodo circuiſſemus, jubeo navicularium curſum inhibere, ac piſcatoriam juxtà cymbam ſubſiſtere, ex qua piſcatores quatuor retia deducebant, ab his engraulem peto: acceptumque hamo ſtatim præfigo: demittoque in undas, ſi fortè ſynodontem captarem, ſolent hujuſmodi piſces retia circumcurſare, ut minores venentur, præcipuè engraules, quibus avidiſſimi inhiant, neque verò à captâ ſpe decidi, vix enim hamum demiſi, cum illicò trahi magnâ vi lineam ſentio, tùm derepentè reliquum funiculi, quod erat in glomere, impiger explico, relaxoque, ſic enim penitùs deſcendit hamus in guttura, nec obluctantis vi piſcis linea diſcinditur, poſtquàm autem diù, multùmque reluctatus, tandem ſemimortuus aliquantulum quievit, funiculo reducto, prædam lætiſſimus accipio. Deinde ad piſcatores accedo, & quid bolo illo piſcium comprehenderant, percontor. Tùm illi: Iſto, inquiunt, fermè nihil: verùm multo antequàm alluceſceret, tantum piſcium cœpimus, ut abundè habere poſſis. Quibus ego: Exponite nunc verò, ut gratiſſimos mihi carpem. Tùm illi ciſtam ſatis grandem, ac benè plenam expromunt: & delige, inquiunt, ex tuâ voluntate. Ego verò quoniam Denticem, & quidem grandiuſculum habebam, ſex tantummodò mullos ex piſcibus eligo: & quanti indicarent, interrogo. Tùm illi: Accipe hos quinque item ſcorpios, & has totidem ſoleas. Quibus tùm ego: Illorum mihi opus non eſt. Hic me Eulalius ſic interpellat: Verùm certò ſoleas præſtinabis: quippè illis te libenter veſci profeſſus es in Halieuticis: verſus teneo: inque illarum gratiam recitabo.

Engraules ſynodontis piſcis eſca.

Sed qui Pſittacei freta, quæ felicia curſent,
Dicamus. Dulci ſoleæ pinguedine ſucci
Occurrunt primæ cantanti, quas mihi malim
Apponi quoties Divorum ſacra præimus
Supplicibus votis, vel tempora quatuor anni
Primitiis frugum oblatis, precibuſque ſacramus.

Age igitur; indulgendum ſemel genio eſt: neque ſis adeò ad rem attentus, atque parſimoniæ advertas, ſaltem emito, ſi quid opus facto eſſet. Tùm ego, ut vel leviſſimam avaritiæ ſuſpicionem à me ſegregarem; emam, inquam, tui gratiâ: potiùs enim mihi eſt tibi, quàm meo obſequi genio, hinc ad piſcatores, Quanti? Illi verò perquàm benèvolè: Quanti voles, res tranſigatur arbitratu tuo. At ego: Non mea, ſed veſtra merx eſt; veſtra igitur indicatio. Tùm illi, Habe tibi quatuor argenteis. Quibus ego: Tres ſol-

vam: Tùm illi: cum inter ſe deliberaſſent, meumque ingenium jam noſſent; Habe, inquiunt, verum quæſumus, ut cum comederis nobis calicem propines Soſiani illius veſtri melioris notæ. Quibus ego: Facerem haud gravatè, ni meum prandium caninum eſſet. Hic illi: vultu in admirationem compoſito: Vinum non bibis? an fortè jocaris? Ego verò: Haud jocor, tempus enim jocandi non eſt. Verùm vos bona ſpe eſſe jubeo: ſiquidem cum ad noſtrum ſcopulum applicabitis, dabo vobis phyalam rufi, ut vos mihi propinetis meraciùs. At illi: At dabis vel loram certè, vel ſaltem ſecundarium. Tùm ego. Minimè verò: ſed oppidò bonum, & bimum, idque vobis ſpondeo, promitto, atque in me recipio; illi tùm gratias agere, & ſe in omnem rem paratos eſſe; demum cum pecuniam numeraſſem, navicularium domum redire jubeo.

Jam oram noſtræ ſpeluncæ cymbulam ſubducturi prendebamus, cùm phaſelum curſu concitatiſſimo ad nos contendentem animadverto: nec ſanè tàm propè à litore, quocircà viſorium tubulum marſupio educo, explicatumque oculis accommodo, ut quinam homines forent, exquirerem, tres video in puppi quaſi per nebulas: quos noſtrates eſſe, ornatus ipſe indicium faciebat, ſubductâ mox trochleis cymbâ, ſaxiſque ad latera communitâ, & ad paxillum religatâ, iterùm inſpecto: diſcernoque diſtinctiſſimè noſtros illos homines eſſe, quare ad Eulalium. Hi certè quidem Stabiis veniunt nos de improviſo oppreſſuri, divinavi oppidò cum piſces emerem: alioqui in quas nunc anguſtias conjicerer: Tùm Eulalius: Sic eſt factum, id verò mihi ſuaſori debes. Ego illi: Ità ſanè, mox navicularium cum piſcibus domum præmitto: moneoque, ut aſſervaret cautè; ne vel canis aliquis, vel catus prandio noſtro funus faceret, ipſe verò cum Eulalio in ipsâ ſcopuli crepidine hoſpites opperior. Illi ubi propiùs acceſſerunt, continuò linteo explicato, ut nunc fit; me primùm ſalutant, deinde cum intra vocis excurſum eſſe, ſibi viſi ſunt, nominatim appellantes, lætis, feſtiſq; acclamationibus ſalvere jubent. Ego illos pari amoris ſignificatione conſaluto. Tandem è phaſelo egreſſos perhumaniter accipio, ac totis vulnis complector: & gratias etiam quamplurimas ago, quo me inviſerent, tantoque honore dignarentur, illi contra rogare, ut eis parcerem, ſi me ſtudiis occupatum occupaturi, plurimumque negotii conſlaturi venirent in pervigilio: quando craſtinus non erat ipſis vacuus futurus: purgare item, ſi nihil piſcium ſecum attulerint: cùm neque Stabiis, neque per viam, ne perpauculas quidem aphyas reperiſſent.

Tùm

Tùm ego illis obteſtor perquàm gratiſſimum mihi accidiſſe ipſorum adventum, & ne minimum quidem negotii exhibituros, ſiquidem nihil me antiquius habuiſſe, quàm amicis inſervire, omnemque præſtare operam, atque omnibus proſequi officiis: præcipuè, quorum conſortio ægritudinem animi relevarem, de piſcibus curam omnem, ſolicitudinemque deponerent: eſſe nonnihil domi, quo fami conſulerent.

Hiſce benevolentiæ officiis mutuò præſtitis, illos in rus deduco. Hic placuit tantiſper in calopſide immotari, ut Craterem omnem contemplaremur, ac ſpiritum hauriremus liberius, arduum enim aſcenſum, & mihi obſtructione diutinâ laboranti quammaximè laborioſum, uno ſpiritu confeceramus, mox per Xyſtum in domus atrium venimus; gradibus deinde conſcenſis, ſuperior nos ambulatio excepit. Hic hoſpites ad hypæthræ veſtibulum confabulantes cum Eulalio relinquo: me verò ad curandum prandium in culinam capeſſo. Ubi verò ingreſſus ſum, ignem accendiſſe Fabiolum, inque tripode collocaſſe cacabum continuò animadverto, quare, Bene eſt, inquam, Fabiole: laudo ſolertiam tuam: ſic enim facto opus erat. Ille verò: Quid ſibi petunt hi hoſpites? Ego tùm: Quid petunt? verbo, ut me inviſant, reverâ, ut convivio excipiantur. Et ille: Gaudeo ſummoperè: prandebimus quippè hoc manè opiparè. Cui ego: Iſtuc certè quidem tu, gurges, volebas, at ego Superos rogo, ne id mihi frequenter contingat, ne poſteaquàm brevi decoxerim, hujuſce Elyſii mei ſolum perquàm geniale verrere, vel ipſis Muſis invitis, cogar. Et ille: Non certò tibi deerit pecunia, quæ largè ſuppeditatur. At ego: largè? imò parciſſimè admodùm, certè ſi id ſæpius accidet: hanc pro foribus ſcribam epigraphen: Occupatum me Muſis eſſe. Age verò, omittamus iſtæc: nolo enim moram trahere, ne tardiùs prandium apparemus: multus quippè dies eſt. Cedo, ubinam piſces repoſuiſti? Tùm ille: In penſili creothecâ, nam propter anni intemperiem tota domus ita formicis, ac veſpis ſcatet, ut nihil ſit ab illis ſecurum, quin vereor oppidò, ne etiam in illam, quamvis paxillo ex alto penſilem irruperint. Tùm ego: Rectè cautum, accipe, & huc infer, mox ut allati, inque abaco expoſiti, ego ità fercula diſtribuo: Sex hoſce mullos barbatulos grandiuſculos aſſabimus: & erunt primum edulium poſt ficus, & ſalſamenta. Hoc loco Fabiolus ſic interpellat: Hic mullus, & digito ſimul deſignat, certò lutarius eſt, nihilominus menſam non corrumpet: nam quinque cum ſitis, hic ſuperabundat. Cui ego: Ut bellè com- *Quo pacto varia Piſcium edulia condiantur, exponitur.*

men-

mentus eſt ? ut lepidè argutaris ? Ut hoc nimirum commento vindices tibi mullum ? Tùm ille , ut eſt naturâ promptus : Fac, ſodes, inquit, digito periculum . Tùm ego mullum attrecto, ſentioque præ nimiâ mollitudine mullum reverâ eſſe lutarium ; quocircà : Divinaſti Fabiole, illum igitur tibi habe . Et ille audaculus : Nempè quod palato tuo non ſapit, mihi de illo facis gratiam. Cui tùm ego : Parumne eſt hoc, furcifer ? numquid vis te mulſo, & placentis ſaginem ? an tu Melitæus catellus, quem alam mellis medullâ ? ni majus modeſtiæ ſpecimen præ te feras, lente alam, & fabâ : & pro pane lupinos dabo, verùm redeamus ad inſtitutum. Scorpios hoſce faciemus jurulentos: jus verò condiemus aromate plurimo , uva paſſa , pruno, lauroceraſo, & pineæ nucleo. Hic Fabiolus : Quidni elixemus ? Cui ego : O coquum belliſſimum ! grandiores elixantur, minores, ni juſſulatos facias, nequaquam ſapiunt, quinimò , diſce , ſtipes, jurulenta magis nutriunt, quàm aſſa : aſſa verò magis quàm elixa intellexiſti , aſine ? Et ille: Teneo enimverò : teque præceptore ſcitiſſimus evadam coquus . At ego : Tantulus , tanta ne verba funditas ? Sed pergam porrò . Soleas frigemus oleo melioris notæ. Denticem verò hunc, fructum noſtræ tùm induſtriæ, tùm fortunæ , ſcitè incruſtabimus panificio perquàm delicatiſſimo. Hoc loco Fabiolus : Hactenus de piſcibus , & quidem rectè : verùm de pulte non cogitaſti. Tùm ego : Cogitavi, aſine, putaſne me adeò immemorem, ut te egeam monitore ? Erit hæc candida ex Cerealibus vermiculis delicatiſſimis, ac planis : quos vix in ollam injeciſti , atque cocti ſunt ; rotundos enim grandiuſculos , quos noſtri oleo condiunt, nunquam probavi : noxii quippè iis, qui cacoſtomachi ſunt, & ſumus omnes, quotquot libidinem habemus in libris, idcircò illos ego amygdalino lacte condiam, addam item calaminum mel, & cinnamomum.

His ſic diſpoſitis, furnum ſuccendere puerum jubeo, ipſe verò ſimilam laudatiſſimam, ſaccharumque permiſceo, addo pauxillum ſalis , atque olei defæcatiſſimi , mox frigida ſubigo , intritamque facio , ut Synodontem incruſtarem, poſteà verò ſubactam maſſam partior in æquas partes, lignoque tornatili utramque extendo , inq; ovi , figuram fingo, in una denticem integrum quidem , ſed utrimque ad ſpinam uſque fruſtatim inciſum, impono : circùmque ſalitos fungos adjungo ; quos, ut nimiam ſalſedinem exuerent, aquâ dilueram , dilutum item Thynni ventrem pinguiſſimum, quod ſalſamenti genus, quoniam Tarentini primùm, teſte Athenæo, excogitarunt, Tarentinum vocamus: vulgus

gus noſtratium *Tarantellum* dicit, ſparſim verò olivas Africanas, pruna, cæteraque hujuſmodi infarcio, demum odoramenta cum pipere diſſemino, exin alteram intritæ partem jam extenſam ſuper pono, fartumque ita fingo, ut præ ſe piſcis ſpeciem ferret, ſuperiorem cruſtam inferiori adnecto digito premens, pinnatumque limbum effingo: uno tantùm meatu perexiguo relicto, quà per inſertum calamum ſufflo conniſus buccâ, ut ſic aërem intromitterem, quo inflatâ aëre cruſtâ ſeſe attolleret, ſolidumque piſcem fingeret eductoque ſtatim calamo, meatum claudo, ſi ſecus faxis, aër repentè exilit, ſubſidetque ſimul cruſta, rugaſque induens informis veniet, inſcitiamque pectoris arguet, ſubinde quod circùm intritæ exorbitaverat, cultro diſſeco, fingo ex reſiduo caudam piſci cereali, & branchias item, atque os, oculoſque; geminum quibus inſero piperis acinum vice pupillæ, quæ quidem & artis diligentiam commendant, & convivium exhilarant. Quia verò furnus jam erat ſubalbidus, jubeo educi prunas, verrique ſolum, mox ego infurnibulo piſcem ſubmitto, obducoque ſtatim præfurnium ferreo operculo, quoniam verò iſtuc non reſpondebat exactè præfurnio, & erat pertuſum, quippè vetuſtiſſimum, & ſarcitum nunquam, ego ne calor evaporaret, mappâ attritâ, & benè madidâ, circùm rimas, & foramina arctiſſimè occludo. Cùm autem præ nimio calore, ac defatigatione totus ſudore manaveram, jubeo puerum pinſere Græcas nuces, quas jam calidâ imbutas mundaverat, ipſe in cubiculum me recipio, ut ſudorem omnem, quem laciniâ non poteram, mantili toto detergerem: exutuſque madidam, ſiccam ſubuculam induerem.

Dum è cubiculo pedem effero, intereà loci me hoſpites accerſunt, rogitantque ut tantiſper eſſiderem: Ne, quæſumus, inquiunt in culinâ, prandioque adornando totus ſis: neque noſtrum cauſsâ tantum laboris, & operæ ſuſcipias, pauſillum contenti ſumus. Quibus tùm ego: Imò verò perpauſillum, & hoc malè conditum vobis dabo, ſiquidem, ut ſcitis equidem, qui cibos vel apparet, vel condiat præter me, habeo neminem: & vos me præſcium eſſe noluiſtis, tanti autem vos facio, ut præ veſtro commodo omnia mihi poſt eſſe putem; quocircà eò animum intendam, curamque omnem, ac diligentiam conferam, ut veſtris meritis reſpondeam: ſtatimque aſſideo, & quid eſſet de quo ſermonem haberent, interrogo. Tùm illi: De Veſuvio, inquiunt, in cujus ambuſto vertice alterum jam montem, altero ab hoc incendio, quod nuper contigit, enatum contemplabamur, ut nimirum novâ mole additâ altior aſſurrexerit;

xerit; utque crater ignivomus jam penè totus repletus ſit; Putaſne novâ illum eruptione dejectum iri? Quibus tùm ego: Iſtuc certè mihi videtur veriſimile: ſiquidem ibi perpetuò ignis alitur, qui incendia ſæpenumero excitat. Imò quis neget fore; ut aliquando univerſus mons pereat incendiis? Tùm illi; Probabilia prædicas, id verò avertant Superi, ne in noſtram ætatem cadat. Verùm age, quia compluries alios hujuſcemodi montes ignivomos eſſe, latè per univerſum terrarum Orbem ſparſos audivimus, abs te ſciiè avemus, qui ſint, & quibus in locis ardeſcant. Et Ætnâ, Vulcano, & Phlegrâ nihil eſt, cur labores, tenemus quippè qui ſint; cum penè ob oculos verſentur. Tùm ego: Faciam, geratur mos, ut par eſt, vobis. Illos igitur miſſos facio: quos modò commemoraſtis, ad alioſque recenſendos me converto: ne verò ſim longus non ſine prandii damno, rem in pauca conferam. In reliquâ Europâ nonniſi unus ſupereſt Thule in inſulâ, quæ olim ultimus ad Septentriones terrarum terminus erat. Heclam incolæ indigitant, immenſæ altitudinis, illius vertex æternâ obruitur nive, ac perpetuis nubibus, & caligine oblitus eſt, èque immani montis ſinu continuò erumpunt flammæ, latèque incendia prælucent, plurimi item ex illo fontes manant adeò ferventes, ut ignis vicem apud gentes gerant, illos enim domos derivant, & ad coquendas pultes, immanemque frigoris vim repellendam utuntur. Sunt etiam Lugdunenſi in agro campi quidam, qui ignem interdum, fumum verò ferè ſemper emittunt, in hiſce verò campis non multis ab hinc annis ignem perhibent exarſiſſe, inde verò, quaſi ab Vulcaniis lapidicinis, carbones indigenæ ad domeſticos uſus aſportant. In Aſiâ, quæ ſecunda pars eſt Orbis terrarum, notiſſimus apud Lycios Chimæra mons: de quo fabula triformis monſtri flammas evomentis: quare poëta noſter.

Quinam Montes ignivomi?

Flammiſque armata Chimæra.

In Cappadociâ, quæ minoris Aſiæ provincia eſt, Argæus ardet: in Bactrianâ verò Cophantus: aliique famâ minus celebres ex intervallo in Perſiâ conflagrare perhibentur. Verùm in Orientalis Oceani inſulis, quas Aſiæ Geographi aſcribunt, plurimi ſunt, & vaſtiſſimis incendiis celeberrimi. Primus eſt in Ternate ex Moluccis una: ex quibus inſulis ad nos aromata devehuntur. Secundus in Mauricâ, tùm incendis infami, tùm incolarum imminate, ab hujus vertice perquàm celſiſſimo tanta ignium copia, tantâ vi, tantoque bombo erumpit, tanto item vel cineris, vel lapidum, quà turbine, quà procellâ, ut remotis etiam inſu-

lis

lis vaſtitatis metum incutiat. Tertius eſt in unâ ex Bandanis, Gonapius incolis vocitatur. Quartus in Sumatrâ (Hanc Labadii inſulam cujus Ptolomæus meminit, eſſe plerique putant, mihi eſt maxima Sindarum, de qua in Nauticis.

Contra elata mari, & medio ſub vertice cœli
Maxima Sindarum jacet æquore perlita Eoo.)

Baluanus nomine: qui è jugo tùm immani, tùm aſpero, identidem vel flammâ, vel tonitru indigenas territat. In Tandajâ, quæ non ultimo loco inter Boruſſas numeratur (Has inſulas Hiſpani à Philippo Rege, cujus auſpiciis detectæ, Philippinas appellavere) Veſuvius ſuus eſt, & ſua incendia: & ſuas item agrorum patitur vaſtitates, Java, quam majorem dicunt, (eſt enim minor altera, ut vos non certè præterit) eſt verò illarum una, quas Sindas, Auſtrales nimirum inſulas vocamus, montem totius inſulæ vaſtiſſimum habet, qui anno ab Orbe inſtaurato MDLXXXVI. primitùs ardere cœpit: & quidem tantâ, & tàm ſubitâ eruptione, ut X. millia hominum incendio periiſſe memoriæ proditum ſit. Sunt etiam quidam in Japoniâ; quæ tellus tota ferè ignibus fœta eſt, eoſque perpetuò alit, quippè quæ immenſam penè materiam eorum gignit, quibus igni pabula ſuppetunt; idcircò continuiis fermè concuſſionibus movetur, ac trepidat. In Africâ celebratur Æthiopicum jugum. Græci ab immani altitudine θεῶν ὄχημα, quaſi dicas Deorum currum, appellant. Eſt etiam alter, tùm famâ cognitus, tùm incendio terribilis, Guezevalio factum à barbaris nomen, qui è vaſtiſſimo hiatu, & magno flammarum cuneo, & horrendo cineris turbine perpetuum ignem eructat. Ad Orientem Solem Africæ reſpondet inſula, quam Galli à regiæ familiæ cognomine Borboniam dixerunt; quæ præruptum in montem extuberat, ex cujus ſinu ignem, ignitoſque lapides tanto fragore, nimboque torquet, ut cęlum ruere credas, cunctaque iterum abire in chaos. Ad Occidentem verò Solem altera eidem Africæ reſpondet, quæ eſt una è Fortunatis, Junonis inſula veteribus dicta: noſtro ævo *Teneriffa*, & ab Hiſpanis, & à barbaris appellata, in hac mons ſurgit, altitudine jugi Atlanti ſuppar, major verò incendiis, qui quidem mons, Pico Junonio illi nomen, altiſſimæ inſtar Phari longè, latèque Oceanum prætervavigantibus lumine perquàm maximè conſpicuo prælucet. In Americâ, quæ quarta pars eſt terrarum, & novus Orbis, compluries ardere montes, hi qui vaſtiſſimas illas regiones luſtraverunt, nobis quà ſcriptis, quà verbis tradiderunt. memorantur quidam in Peruviâ, quidam in Nicaraguâ, nominibus tàm barbaris, atque inſuetis, ut illorum memoria mihi penitùs occiderit. At in provinciâ,

quàm gens illa tàm barbara, quàm quæ maximè, *Ciapotulanam* indigitat, mons tollitur tantâ altitudine, ut Caucaſum æquare poſſit, in illius jugo, ingens crater pateſcit: ex quo ignea ſaxa, dicam veriùs, integræ rupes, validiſſimo impetu, ac fragore immani, altiſſimè projectantur.

Sed nolo plura facere, ne plus immorer conſtituto: ne fortè dum de igne ſermo fit, ſit ab igne periculum. Illi verò: quod periculum narras? Quibus tùm ego: Vereor oppidò ne piſcis, paniſque edulium præ nimio furni calore aduratur; quapropter manete hic vos, ego in culinam faceſſam, cùm verò prandium in promptu erit, hùc redibo: aſſurgo igitur, inque culinam me recipio, ſtatimque operculum à præfurnio extraho, incruſtatumque denticem educo, qui jam coctus benè erat: quocircà in arcâ aſſeruo. Exin Eulalium accerſo: jubeoque menſam inſtruere: & illam tùm foliis viridantibus, tùm floribus exornare, ut tali hoſpites apparatu honeſtiùs exciperem. Ipſe intereà fictilem in teſtudinem ſal, tritumque allium mitto, oleum infundo; inque brevi tripode colloco, prunaſque ſubjicio. Intereà dum oleum incaleſceret, frigereturque allium, ſcorpios exentero, ac lavo: mox exoſſatos in efferveſcentem jam oleum injicio, una cum nucleis pineis, pruno, laureoque ceraſo ſicco, cujus non ingrata amaritudo ſapidiſſimum facit juſcum, quod ut abundè haberem, aquam infundo: tandem cinnamomum cum cariophillo, tunſoque pipere ſuperſemino, quæ quidem aromata noxios piſcium humores temperant, ſtomachumque juvant, hac teſtudine operculatâ, in alteram me transfero, in qua tùm primum aqua cœperat ebullire, cum amyodalino lacte gutto mundiſſimo priùs eliquato; edules vermiculos ſenſim jacio, expandoque, atque extrico cochleari: ſi ſeciùs faxis, in globulos coëunt, ut verò brevi cocti fuerunt, è tripode vas extraho, commodoque in loco repono: ne verò frigeſcerent, perquàm paucas admodum prunas circumſterno. His adornatis hoc modo, ſcorpios verſo, ut utrinque nimirum coquerentur, acceptum poſt deinde cochleari nonnihil juſculi, flatu tepefacio: tepefactum verò ſummis labiis delibo experiundi gratiâ, eſſetne ſapidum, necne? Hinc me ad frigendas ſoleas accingo, igitur in ſartaginem plurimum olei non ordinarii, aut omphacini, ſed generoſi largè infundò: eamque pono in alto tripode, jubeo ſimul puerum ſarmentis flammam excitare, dum ipſe ſoleas ſimilia aſpergerem, mox ſimul, atque à calore oleum obſtrepuit, ſoleas jacio in frixorium, verum ore averſo, ne ferventis olei guttæ exilientes nocerent, ut aliàs acciderat, cum primu-

mulùm peritus non benè in culinariam me contuli, ut uno frixæ jam latere, cochleari plano, ac pertuſo ſtatim verſo, tandem educo jam bene coctas: & tandiù inclinato cochleari pendentes teneo, quoad oleum omne diſtillavit, mittoque in lancem.

Hac primâ operis parte ſcitè, atq; expeditè abſolutâ, alteram derepentè arripio, in patellam florem olei, acetumque infundo, miſceoque pauxillum ſalis pinſi, quo iure mullos inungo, inunctamque ſupra graticulam expando, prunaſque ſubſterno, jubeoque Fabiolum jure illo accepto lauri foliis mullos identidem aſpergere: ut ſic pingues, ac ſuccoſi, non verò exucti, atque inaſſati venirent. Ego ad paranda ſalſamenta, quæ in pervigilio vice petaſonis, Nolanique farciminis ſunt, confeſtim propero. Binas ſcutellas expono in abaco: deinde ſalſamentum, quod Græci, quoniam ex humero thynni ſalitur, ὠμοτάριχον vocant, in fruſta quernis foliis ſimilia diſſeco, inque unâ ſcutellarum explico, in alterâ ſalſamentum alterum garo antiquorum non abſimile, quod ex piſcium ovis ſalitis, fumoque ſiccatis conficitur (Græci ob id ὠὰ τάριχα nuncuparunt) in fruſta pariter diſſectum expono, in medio autem utriuſque ſcutellæ olivas ſalitas, & capparis baccas item ſalitas, ſalſilagine prius expreſsâ, largè repono, quæ quidem baccæ mihi ſunt perquàm gratiſſimæ: nam præterquam quod ſtomachum pervellant, atque expetentiam excitent, lienem laxant, ac pituitam per aluum exigunt.

Vix hæc, cùm en tibi hoſpites: quidque agerem, percontantur. Quibus ego: Quamnam horam veſter indicat venter? qui certè, ut ait Comicus,

Solarium
Multo omnium iſtorum optumum, ac veriſſimum.

Venter optimum Solarium.

Et illi: Duodecimam. Tùm ego: Rectè indicat, en ut jam Sol medii diei circulum attigit, quo diem nobis diffindit, quocircà puerum jubeo qualum, ubi ficus in puteo aſſervabantur, educere, ego, & Eulalius nivaria vaſcula verſamus, motamuſque ſubinde, ut tùm aqua, tùm vinum citiùs frigeſcerent, ſciebam enim hoſpites nivatis ſummopere delectari. Poſteà verò, ficubus in caniſtro expoſitis, ſparſiſque deſuper floſculis multigeneris, atque odoroſis: illatiſque in menſam ſalſamentis, Eulalius ſiniſtrâ pollubrum attulit, dextrâ aquale, ego mundiſſimum mantile villoſum: amicoſque invitamus ad lavandas manus. Illi verò renuentes ſeſe ſubtrahere volebant: Neque unquam patiemur, inquiunt, id à te nobis miniſterium præſtari. Tùm ego: Acquieſcite porrò, quæſo, faciam hoc, ac liben-

ter quidem, amicos enim omni officiorum genere proſequi ingenuum decet virum, & antiquis moribus. Et illi: Quando ſic jubes, geratur mos tibi, qui tot nos beneficiis complexus es, ut nos tibi habeas implicatiſſimos. Lotis igitur manibus, prandium, prece dictâ, benè ominamur. Cui ſtatim ac ſedimus, exordium factum eſt à ficis, erant illæ partim optatæ, maturæ æquè, ac pingues, partim purpureæ mamillanæ, meo quidem judicio, omnium probatiſſimæ, exquiſitiſſimæq; quippè calloſæ, non molles, nec adeò dulces, ſed mixtam quandam habent acritudinem, quæ in fructibus perjucunda eſt. Dum igitur ficis indulgerent libenter: Mirum profectò, inquiunt, quod abſque nive tàm frigidæ ſint, quàm quæ frigidiſſimæ; Quibus ego: Id commodi nobis ſine ullo ſumptu puteus affert, utqui gelidiſſimus; ex quo poma tùm ficulnea, tùm cujuſquemodi ſint generis in illo repoſita frigus penitus hauriunt, retinentque diù: quinimò ſaniora ſic ſunt, nix enim, ut teſtatur Ariſtoteles libro Problem: noxia eſt valetudini: ἀπὸ χίονος, καὶ κρυστάλλων ὕδατα φαῦλά ἐστιν. Tùm illi: Invidemus oppidò tibi hanc felicitatem, ac ſolertiam tuam laudamus, qui commodo ſcis uti commodè, noſtri cum poſſent hoc bono frui, ſupini negligunt, id verò accidit partim Præfectorum conniventiâ, partim verò inertiâ Miniſtrorum, qui ut humeris parcant ſuis, bono publico malè, malè autem? imò peſſimè conſulunt. Hæc dum dicerent, intereà loci puer mullos in menſam intulit, illos ego menſæ inſtructor ſingulos ſingulis diſtribuo. Hinc ſoleas ſubminiſtro: quæ quoniam & pingues, & recentes erant, mirificè convivarum palato arriſerunt, pultem ſub hæc candidam, quam ſcutellis ingeſſerat, Fabiolus porrexit, ego deſuper calaminum mel cum cinnamomo largè admodum ſpargo, in hunc enim modum ſcitè conditur puls candida, ſi ſecùs, vix præguſtari poteſt, hanc cum comeſſemus, jurulentos ſcorpios puer appoſuit. Hoc loco amici: Iſtucne illud eſt nonnihil piſcium? iſtuc perpauxillum illud? Numquid majus epulum inſtruxiſſes ſi tibi in proximum menſem diem diſdiſſemus? Nempè noſtrum gratiâ diem feſtum agere vel in pervigilio voluiſti, gratias agimus pro tuâ in nos liberalitate. Tùm ego: Adeone vos ſobrii, ac frugales, quibus perpauca hæc, plurima videantur? At puer ſic amicos interpellat; Supereſt, quod magis miremini. Illi verò; Ludiſne puer? quibus tùm ille: Næ ego ſtultus, qui coram vobis nugas loqui velim? manete, quæſo; mox hunc revertar, ingreſſuſque culinam incruſtatum Denticem accepit ambobus manibus: lætoque rediens vultu, in menſam intulit,

Nix valetudini noxia.

tulit. Illi ſimul, atque Cererem tam ſcitè in piſcem informatam, fictamque vident, curioſi, quis, cedo, inquiunt, tàm pulchrum, tàm opportunum ad te munus tranſmiſit? Quibus ego: Noſtra diligentia, noſtra induſtria: ex qua plus oppidò mihi promitto, quàm ab amicis, ego quod per me præſtare poſſum, neutiquam ab aliis expecto, plerumque amicitia multorum nihil ſanè aliud eſt, ut bellè Tullius, quàm mercatura utilitatum, commoditatumque ſuarum, quapropter illud Ennii mihi eſt in memoriâ fixum.

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promptu ſitum,
Ne quid expectes amicos, quod tute agere poſſies.

Tùm illi: Si ita eſt, ut narras, tu non egregium tantum coquum, ſed piſtorem etiam fingis, quapropter tibi pro hac novâ eruditione gratulamur, mox ſinguli calicem collino rufo benè plenum propinarunt mihi perquàm feſtivè. Tùm ego etſi me contineam à vino, tamen ut tantæ in me benevolentiæ vices redderem, unum illis, ſed dilutius propinavi. Hanc inter feſtivam hilaritatem, mutuaque urbanitatis officia, acetariorum miſcellum pro ſecundis menſis, ut fermè fit, puer appoſuit, quod ego ex lectiſſimis quibuſque herbulis diligenter exquiſitis, atque indiſcretim permiſtis, conflaveram. Erant verò omnes, quæ tùm ſtomacho utiles, tùm palato gratæ exiſtimantur: cujuſmodi lactucæ tenerrimæ, quæ tùm primulùm eruperant è cauliculo, mordaces erucæ, ſia, quæ nimium erucarum calorem ſuo frigore temperarent, anethum, bipennula hortenſis, aliæque hujus generis, qua herbularum varietate, ac delectu convivæ mirum in modum delectati. Atque hic tandem ab epulo quievimus.

CAPUT VI.

Poſt epulum, quæ vera eſſet cauſſa Veſuviani incendii diligenter exquiſitum, atque inveſtigatum eſt.

UT à menſâ aſſurrimus, noſque in amœniorem locum contulimus, ego meo more; Agite, inquam, & quoniam jam corpori indulſimus, par eſt, ut eruditis animum confabulatiunculis recreemus. Tùm illi: Iſtuc magnoperè deſideramus: neque quidquam gratius cadere poteſt. Quoniam verò de Veſuvio inter eos ſermo habitus antea fuerat, illum iterum lubentibus animis in medium inferre placuit. Quæſitum igitur, quæ fuerit cauſſa tam vaſti, ac terribilis incendii, cum verò omnes, quid ſentirem ipſe, per- De Veſuviani Incendii cauſâ.

percontarentur: ego ut amicis morem gererem: Quando; inquam me ſententiam rogatis, dicam equidem, quod ſentio. Quia verò poëtam nacti eſtis, audite, quæſo, ut perpauculis verſiculis, veram incendii cauſſam, ni meus me fallit animus, complexus ſim Bell. II. Tùm illi: Id à te expectabamus: quocircà nihil gratius nobis accidet. Tùm ego verſus ſic memoriter recito.

Hinc docet, ut ruptis nimio fervore caminis,
Vesbius ardentes jaculetur ad æthera nimbos.
Vtque bitumineos, & odori ſulphuris amnes
Evomat eructans, latèque incendia campis
Vaſta ferens, cædem villis molitur, & agris.
Nimirum multo quoniam ſuccenſa calore,
Materia in rapidum vertit ſe foſſilis ignem:
Quæ poſtquàm intumuit: nec jam ſpumoſa tenet ſe,
Inſtar aquæ, rupto quæ defluit aggere ripæ,
Immenſa ex alto ſeſe cratere refundit
In hyeme Incédia frequentiora
Eluvie, & circùm rapidis vorat omnia flammis.
Idque magis, cùm bruma riget; quia frigore brumæ
Dum furit, ima magis ferveſcunt viſcera montis;
Scilicet externi propulſent frigoris iram.

Hic illi: Adeò concinnè, & conciſè, atque ad veritatem accomodatè, ut videaris rem acu tetigiſſe; verùmtamen etiam, atque etiam rogamus, (id autem ſine moleſtiâ tuâ fiat) ut preſſiùs nobis illam explices, atque enucleatè, ut fermè aſſoles. Tùm ego: Iſtùc jam ibam, faciam verò lubens, quando jubetis; neque ego ſic ſum, ut moleſtiæ ducam, quod vobis placere intelligo. Quoniam igitur res in meo foro vertitur, feram, ut potero, judicium æquiſſimum, verùm fretus intelligentiâ veſtrâ differam brevius, quàm res ipſa deſiderat, & eò præcipuè, quod, jam it dies. Veſuvius, qui ad extremam oram noſtræ Campaniæ biceps, quaſi Parnaſſus, aſſurgit, cavernoſus eſt, id verò, ne hæream in manifeſto, per ſe quiſquis conjectare facilè poteſt. Hîc illi; Damus ultro: explorata enim res eſt. Ego verò: Quinimò quidam ſunt, qui immanes ſubter ſpecus hàc, illàc per univerſum Campaniæ tractum extendi: perque hujuſmodi verò cavernas ſubterraneos ignes, ultro, citroque è Veſuvio in Phlegram, atque ex hac in illum recurrere, opinantur, quod quidem verumne ſit, necne, in præſentiâ non diſputo, veriſimile quidem certè, In hiſce verò Veſuvii cavis fodinæ ſunt quamplurimæ tùm bituminis, tùm ſulphuris, necnon & nitri, ſalis Ammoniaci, lapidiſque ſpecularis, metalla vel certè nulla, vel quàm pauciſſima inibi reperiuntur. Iſtæc verò Mineralia, ut novitia deno-

Veſuvius; atq; adeo Campania ipſa cavernoſa, & bituminis, ſulphuris, nitri ſaliſq; Ammoniaci fodinis repletus Mons.

denominatione noſtri dicunt, perpetuò generantur, eodem prorſus modo, quo reliqua metalla gigni, confeſſa res eſt. Tùm illi: Et iſtuc etiam concedimus: nemo enim eſt, qui in hoc tibi poſſit contradicere. Ego verò: Sed pergite porrò mecum. Et illi; En ut te attento ſequamur animo. Tùm ego: At enim liquidum bitumen cum ſit, & ſulphur item liqueſcat, inque ſpumas paulatim aſſurgant: jam verò ubi in magnam molem excreverunt, ignem concipiunt atque efferveſcunt, & magis, magiſque ebulliunt, illis verò, pigra, ac lenta cum ſint, quippe quæ magis tenacia, nitrum, quod magis activum, & ſuopte ingenio volatile, vim ſuppeditat, & quaſi violentos facit animos. Atque hinc fit, ut ambuſta ſaxa, cineres, & quidquid in viſceribus mons habet, repetitis identidem bombis, in cœlum nigro flammarum cuneo ignis intorqueat. Enim verò (; rem vobis exemplo perſpicuam faciam) ut pyrio pulveri nitrum vim omnem, omnemque impertit impetum: ita prorſus hujuſcemodi incendiis idem robur, ac vires ſubminiſtrat. Hoc loco illi: Aſſentimur. Sed age, cedo, quo fiet, ut coagmentata ex illis materies accendatur, atque efferveſcat? an quia per ſubterraneos meatus irrumpentibus è mari ventis afflatur? Ain? Tùm ego: Imò nego. Enim verò etſi nonnunquam in abditos terræ meatus inferre ſe ventos conceſſerim, non tamen ab illis, Vulcaniis veluti follibus aërem accipientibus, tanta ſuſcitari incendia crediderim. Experimur ſanè quotidiè, non eo inficias, ali ignem ventorum flabris, atque augeri: nullâ verò prævia ſcintillâ ſuccendi, obſervatum certè nunquam. Quinimò tantos, ac tàm vehementes per ſecreta terrarum debacchari ventos, ut hujuſmodi incendia creare, atque fovere queant, veriſimile eſt ullo modo. At non inficior poſſe quidem ventos ſæpenumero igneos ſpiritus ita coadunare, ut hi in unum coëuntes, illicò in flammas abeant, ſuſcitentque incendia, non ſecùs enim halitus calidi coacervati in nubibus ignem quamcitiſſimè concipiunt, nec profectò aliter Solis radii globoſis ſpeculis, aut concavis collecti in foco, ut ajunt Optici (eſt autem focus punctus ille, in quo radii è ſpeculis repercuſſi ſibi mutuò occurrunt) ignem derepentè progignunt, & quidem vehementiſſimum. Hic illi: Perge porrò efficere, quod cæpiſti: tenemus enim iſtæc, quippè liquida, & expoſita faciliter. Tùm ego: Idipſum jam moveo. Ut verò ad rem proximè accedamus, & cauſſam, ut ajunt Phyſici, efficientem exquiramus, id, quod Zeno arbitratus eſt, concedere oportet. Ajebat enim Zeno ſparſum in res omnes ætherium quendam calorem eſſe, ex quo motus

Quomodo Materies iſthæc accendatur.

Zeno arbitratur, ætherium quēdam calorē ſparſum in res omnes eſſe; ex quo omnis motus ducit initium.

tus

tus omnis principia deducerentur, hujuſcemodi verò calorem per penitiſſimum terræ gremium eodem fermè modò diffundi, ac permeare, ut per animantium venas fluit ſanguis, ac refluit. Quia verò in quibuſdam terrarum locis affatim illius eſt materiæ, quæ ſuapte naturâ calorem concipit, & conceptum fovet, plus etiam ibidem hujuſmodi caloris eſſe, neceſſe eſt. Jam verò montes poſitu ſuo, ſuâque mole aptiſſimi cum ſint ad plurimas ſinu cavernas continendas, neceſſe eſt in illis magnam etiam copiam illiuſmodi materiæ, bituminis nimirum, ſulphuris, ac nitri contineri, quæ quoniam, reaſpe calida eſt, & facilè accenditur, idcircò argumento planè manifeſto efficitur, in illis ſæpè ſæpius coadunatum calorem in ignem illicò exardeſcere, & conflagrare. Atque hinc ſunt vaſta illa, atque horrenda incendia, quæ in Veſuvio, in Ætnâ, cæteriſque in montibus ingnivomis ex intervallo admiramur. Hoc loco illi: Accedimus vel in hoc tibi, verum unum non ſatis adhuc planè perſpicuum, coadunatum nimirum calorem in illiuſmodi materiâ ex ſeſe erumpere in ignem. Tùm ego: Iſtuc exemplo plano, ac trito conficiam apertiſſimè. In fœno, in ſtabulis, in columbariis item, in quibus plurima jacet ſtercoroſa materies, quæ ſuapte naturâ calida eſt, nonne ſæpènumero ignis accenditur? ſi ita, cur non fieri etiam poteſt, ut in ſulphure, & bitumine ſuâ ſpontè pariter erumpat? Quinimò, ſi ſpeculis, ut ſuperius dicebam, ſtipatus calor, atque idcircò robuſtior, ignem creat: cur non idem in ſulphureâ, bitumineâque materia coacervatus eundem excitabit? eſt igitur in illâ ſuæ ſpontis ignis. Hic illi: Rectè quidem, verùm ſi id tibi detur, eveniret non raro, ut pyrius pulvis, ſine reſte igniariâ, quæ ignem inſinuet, ſuâ ſponte exardeſceret, iſtuc verò haudquam experimur. Quibus tùm ego: Haud equidem id eodem argumento ſequi concedam; certus enim in pulvere calor, qui neque adunari magis, nec major evadere poteſt, quocircà ſuſcipere quidem ignem valet, ex ſe verò edere non valet. Hic illi: Aſſentimur & his tandem: inque tuam ſententiam non pedarii, ſed ratione ducti deſcendimus. Verùm age ſis, de Anaxagoræ opinione quid ſentis? qui, ut te certò ſcire pro certo habemus, ſupernè è nubibus ignem deſcendere commentus eſt: inque penitiores terrarum fibras poſtquam irruperit, incendia ſuſcitare. Tùm ego: Morem vobis geram; & quàm pauciſſimis admodum verbis rem complectar, inclinata enim ad veſperam dies de veſtro vos reditu admonet cogitare. Illi verò: De reditu ne ſis ſolicitus: ſiquidem in diebus hiſce canicularibus veſperti-

In fæno, in ſtabulis, in columbariis ſæpè numero ignis accenditur.

Anaxagoræ opinio, quod ignis, è Cœlo deſcendat, & incendia ſuſcitet; exponitur, & refutatur.

næ

næ auræ erunt nobis perquàm gratiſſimæ : imò etiam ſaluberrimæ. Tùm ego : Si ſic conſtitutum eſt vobis, dicam pluribus, quando jam me ad garriendum induxiſtis. Et ſanè quis unquam uſpiam è nubibus ignis depluit? numnam cum fulmine? inquiet fortaſſe Anaxagoras, ſed ſi ità; jam ignis ille in intima terrarum penetrare potuit ullo modo; quippè in terræ gremium fulmina altiùs non irrumpunt, quî fiet igitur, ut abditam penitùs materiam corripiat? Non rarò admodùm in pyrium pulverem de improviſo illapſa fulmina ignem edidiſſe, do equidem: & dandum profectò eſt. Atqui in pulverem fulmina non penitis incluſum cavis, ſed in ipsâ penè extimâ terrarum ſuperficie offenderunt: quocircà haud mirum ſanè eſt, ſi ſtatim ille in ignem exarſit, abiitque attenuatus in aerem. Quod ſi aliquando cadat, ut ſulphurea materies in ipſo montis vertice excreta ſit, atque aggeſta, (quod tamen vix probabile porrò) tùm igne cœleſti tactam conflagrare, non nego. Hic illi: Habemus vel hæc: atque abs te ſentimus, ſed pergamus ad reliqua. Velit Anaxagoras denſari nubes in terrarum caveis; in hujuſmodi verò nubibus cudi fulmina: mox verò exilire, diſruptâ nube. jam verò illis, ut ex conflictu æris, ac lapidis fermè fit, extundi ignem, negabit profectò nemo. quâ his ratione occurris? Tùm ego: Reſponſio eſt ad manum. Etenim non alia in terrarum ſinu excudi fulmina puto, quàm ea, quæ Cyclopes Jovi fabricant, quæ cum belliſſima poëtarum commenta ſint; quid inde efficiatur, certè intelligitis. Eja verò agite, liberales admodùm, demus etiam illud Anaxagoræ, incluſum nempè aërem in guttas præ nimio lapidum frigore vertere ſe, atque immutare. verùm quo argumento hinc conficiet ſubinde fulmina generari? Ni fortè iſtæç fulmina illa ſint incendia, quorum cauſſam veſtigamus. At ſi ille adunari calorem velit, qui ſic denſior factus, inflammetur, ultrò concedo. Verùm enimverò iſtuc eſt, quod antea & volebam ego, & vos libens mihi dabatis. Tùm illi: Cur non daremus illa tibi, quæ tu manifeſtâ ratione efficiebas? Sed iſtæc ad liquidum explorata: jam porrò videamus cætera. Et primò videris tu quidem nobis Democriti ſententiam non improbare: quippè ab externo frigore adunari calorem ais illis verſiculis, quos modò recitaſti.

Idque magis, cum bruma riget, quia frigore bruma
Dum furit, ima magis ferveſcunt viſcera montis:
Scilicet externi propulſent frigoris iram.

Tùm ego: Mirum in modum gaudeo, quod meis me verſiculis urgetis, ſed facilè me extricabo. In illis enim poëtam, phyſicum hìc fingo: poëtæ verò multa licentiùs di-

dicunt , quæ quidem licentia phyſicos non decet , verùm, quoniam ſimulare meum non eſt , fatendum ſanè , quod ſentio , quamvis enim hujuſmodi incendia ab externo frigore inflammari non conceſſerim , augeri verò , mihi probabile quidem certè : Tùm illi : At quis ſic animum inducat ſuum , ut in intima terrarum viſcera penetrare frigora facilè credat ? Quibus ego : Quis ? Ille certò, qui terras ſpiraculis plurimis patere , & ſuoptè ingenio frigora ſuſcipere planè novit . Tùm illi : Rectè dicis : & ſic ſe res habet . At ego : Ut rem omnem aliquandò planè conficiam, dicam apertè , quod ſentio . Et illi, Age , age eloquere tandem . quid diutiùs nos ſuſpenſos tenes ? Quibus tùm ego : Dicam equidem , neque vos amplius celabo de ſententiâ , quæ dudum mihi hæſit in animo , Veſuvii nimirum in ſinu perpetuum ali ignem , quamvis exiguum , ac veluti conſopitum , qui ſimul ac nova , & major materies ſuffecta eſt , excitetur , augeatur , efferveat , ac demùm in apertum erumpens creet incendia . Tùm illi : Iſtuc ſanè ſuſpicabamur , & non inveriſimile quidem illud , ſed age , quo id argumento ? Quibus ego : Hoc præcipuè , quod , niſi me fallo , vel ipſo igne clarius eſt : Etenim cum omni ferè anni tempore ex illo fumus , etſi tenuiſſimus , evaporet, qui ignis index manifeſtiſſimus eſt , ignem inibi contineri perſpicuè ſequitur . Idipſum videmus in Phlegrâ , in Vulcano, in Ætnâ , cæteriſque in montibus , qui magnis interdum incendiis conflagrare perhibentur , è quibus fumus fermè perpetuus , imò in Phlegrâ aquæ etiam effervescunt ; quapropter ignem in illis ardere manifeſtâ conjecturâ conſequimur . Hìc illi : Aſſentimur prorſus . Perge porrò . Niſi quid tete tenet , nam nos tardiſſimè domum proficiſci voluptas eſt . Ego verò : Nihil admodum eſt , quod me teneat, imò etſi multa eſſent , quæ me aliò accerſerent , illa omnia poſteriora ponerem , ut vobis operam darem , Illi verò . Quando igitur tantis nos beneficiis proſequeris ; dic quæſumus , quemnam in modum nova ſemper materies ad nova incendia ſufficiatur , & tantâ copiâ , ut abundè ſuppetat ? Tùm ego : Iſtuc etiam enodare connitar . Ajo igitur illiuſmodi materiam , eodem prorſus modo generari , quo veteribus erutis , nova in fodinis metalla procreantur , ſimilia enim cum ſint , cur non etiam ſimili modo progigni dicendum eſt ? Nova verò metalla continuò ſuffici , atque produci manifeſtiſſimis experimentis compertum eſt . Et ſanè teſtem unum , qui inſtar multorum eſt , edere ſatis duco : nimirum Ariſtotelem , qui teſtatur videri , vel ipſis oculis in Macedoniæ fodinis aurum manifeſtò renaſci . idipſum

Veſuvii in ſinu perpetuus alitur Ignis .

Nec non in Phlegrâ , Ætnâ quibus fumus fermè perpetuus ,

Aurum , cæteraq; Metalla in fodinis renaſcuntur.

ipſum in aliis etiam exploratum eſt apertiſſimè. ſi ergo nova ſemper metalla gigni, quamvis longæva, concedere experimento cogimur (& rationi conſentaneum etiam eſt) produci ea pariter, quæ adeò longam non petunt productionem, demus etiam opus eſt. Producuntur autem vel ex concreto terræ humore, vel ex tranſmutatione mutuà elementorum, vel certè ex utroque: atque hinc eſt cur affatim ſuppetat: plurimus quippè humor, & plurimam elementa materiam apta ſunt ſuppeditare. Hoc loco illi: Iſta tibi etiam concedimus; quare res planè confecta eſt. Uno tamen, qui hæret adhuc, nos ſcrupulo leva, atque exime. Quibus ego: Veſtrum eſt indicare: conniti verò omnibus viribus meum. Tùm illi: Quoniam immenſam penè materiam mons eructavit, quæ ſi componeretur in unum, plures ſanè Veſuvios efficeret: & tamen de ſuâ magnitudine non multum ipſe amiſit, totam penè cavernoſam Campaniam eſſe, videtur planè ſequi. Tùm ego: Plurimas in monte patere cavernas volens, libenſque concedo: per illas enim ſecretos quaſi ſiphones maris aquam attraxit ad ſeſe, hauſitque affatim: quam mox ferventem, piceamque revomuit, remiſitque iterum in mare. univerſam verò Campaniam interiùs concavam eſſe, immenſaſque ſinu continere caveas, nego enim verò, ac pernego; nonnullos tamen meatus venarum inſtar extendi, ut per omnem terrarum ſinum, veriſimile arbitror. Imò illas eaſdem montis ſpecus novà poſt concretà materià obduci iterum, atque oppleri mea fert opinio, atque non improbabilis. Iſtæc autem omnia nobis fierent notiora, ſi in terrarum abdita lynceis oculis poſſemus introſpicere: Et quid in arcanis illis latens vel agat, vel meditetur Natura, deprehendere. quocircà puto me non abs re dixiſſe Halieut: I.

Mare ſæpè materiem ſufficit Incendio.

Multa latent homines, ſolis quæ cognita diis ſunt.

Hìc tandem illi: Rem totam & acutè, & perſpicuè confeciſti: nec quidquam eſt, quod amplius exquiramus. Supereſt verò, ut tibi gratias agamus quamplurimas, quòd exquiſitis cibis, ac ſcitamentis ventrem, erudit verò quæſtione animum refeciſti. At tùm ego: Imò ipſe vobis gratias agam, quòd tanto me honore proſecuti, complexique eſtis: quæſoque ut vos propediem reviſam. illi verò cum aſſurrexiſſent, ac rogaſſent, numquid Stabias vellem? diſceſſerunt.

CAPUT VII.

Recitatur carmen, cui titulus, Soteria Divo Januario pro reſtitutâ ſalute Regi Catholico.

CUm à quiete meridianâ ad menſulam ſediſſem, ut exaratis jam literis diem aſcriberem, annuloque obſignarem, me ne ſuſpicantem quidem Vellejus oppreſſit, adoleſcens perquàm lætæ indolis, & mihi ſimilitudine morum vel in paucis charus: cumque hilari mihi vultu, atque ore blandiſſimo ſalutem impertiiſſet. Age, inquit, da mihi ſtrenam, & plurimam quidem illam: Rex noſter inſperatò convaluit, præſentiſſimâ, ut creditur, Divorum ope. Tùm ego: O ſuave nuncium! cui, fateor, magna debentur Evangelia. Et ſanè darem, niſi id ante dies quinque jam præſenſiſſem. Tùm ille multâ perculſus admiratione. Quis, inquit, tàm citò famam prævertit? Et ego: Cardinalis Præſul, qui mihi ſignificavit Divi Januarii Sanguinem ſemper hoc anno liquiſſe miro modo. certiſſimus quippè hic fauſtitatis nuncius erat, & Poëtæ nonne divini? Cui ego Divo, intra quinque hos dies, carmen conſcripſi, futurum Soteria; & ſanè tanto calore, atque impetu, ut totum in me Apollinem irruiſſe credas. illud jam tranſmiſſurus eram ad Cardinalem, epiſtolamque obſignabam. Tùm ille: Amabò, inquit, recita illicò, antequam illam ſignes, erit hæc mihi ſtrena plurima, & gratiſſima. Tùm ego eodem & loci veſtigio, & temporis carmen recitare aggreſſus ſum hoc modo.

*D. Januarii Sanguis miraculosè liqueſcens.

SOTERIA
Cum Anathemate
DIVO JANUARIO
Pro reſtituta ſalute
REGI CATHOLICO.
AD JACOBUM CANTELMUM
Cardinalem ampliſſimum Archiepiſcopum Neapolitanum.

HIc ego vos, Muſæ, quotquot fœlicia Tempe
Æmoniæ, & Pindi quotquot nemora alta tenetis:

Vos

Vos quæ Permeſſi, vos, quæ riguos Aganippes
Incolitis fontes, fortunatoſque receſſus
Parnaſſi, Cyrrhæque jugis erratis amœnæ,
Optarim, Divæ, præſentes: nam mihi veſtro
Numine opus, dum magna animus tentare cothurno
Heroo, & totum numeris Helicona ciere.
Aggredior magni laudes, decora inclyta Regis
Auſtriaci, & nitidos cantu celebrare triumphos,
Devictaſque acies Furiarum, & peſtiferam vim,
Præſenti Divûm auxilio, & Pietate ſecundâ.
Ergo agite, & faciles properate ad grandia cœpta
Pierides, dignumque Deo concedite carmen.
Eſt locus Heſperiâ in magnâ, quem nomine Averna
Dixerunt Graji, ut perhibent; quia pervia nullis
Alitibus vada cœca, nitroque, & ſulphure glauco,
Semper & halituum graveolentibus obſita nimbis.
Horrificis præcincta jugis ſqualentia torpent
Stagna, nigro limo, calamoque obducta paluſtri;
Quæ propter tenues campi, rariſſima circùm
Quos veſtit, ſeque ipſa comis vix induit, arbos;
Nimirum triſti rareſcit languida tabe,
Et terræ, & cœli vitio: namque uda mephitim
Peſtiferam gremio tellus exhalat ab imo:
Deſuper & nebulis horret denſiſſimus aër.
Rupe ſub incurvâ, ſaxiſque, & ſentibus horridâ
Eſt ſpecus, informiſque ſitu, & caligine cœcâ,
Atque aditu patet anguſto, quà ſemita mille
Per gyros, flexuſque, & præcipites ambages,
Terrarum ſubter gremium nigra, invia ſerpens;
Ad Manes Stygios, horrendaque Tartara ducit.
Ex illâ nuper (facti certiſſima fama)
Quotquot tecta colunt Diræ Cocitia, furvis
Erupere antris viſuræ lumina, & auras
Hauſturæ ſuperas, ludoſque agitare nefandos;
Namque his Eumenides ſolitæ ſpatiarier arvis:
Hic & concilium Stygiis de rebus habere.
Digna quidem infernis, quæ Diris præbeat ora
Otia, & atroces animos ad gaudia flectat.
Hùc & vicinæ quotquot fumantia Phlegræ
Antra tenent Furiæ, quæque exhalantia peſtes
Lethiferas, Aniane, ſecant tua flumina: quæque
Non procul Inarimes per concava, perque caminos
Ardentes habitant, vaſtuſque includit Epopeus.
Nec non, ambuſto quas tùm de vertice fervens
Intus, & horrendo reſonans tonituque, boatuque,

Et

Et portentifero ſublucens igne, ſub auras
Ructabat nimbo ingenti, rapidàque procellà
Vesbius, anguiferæ venere ad ſtagna ſorores.
Hic poſtquam cunctæ cojere in gaudia Diræ,
(Gaudia pròh Superi! quænam furialia poſſunt
Pectora percipere, æternoque ululantia luctu)
Litore in informi liventia propter Averni
Stagna ſedent: mœſtiſque horrent aſpectibus ora.
Horreſcunt angues implexi crinibus, horret
Lingua, exerta minax, horreſcunt ſibila colla.
Sulphureæ fumant nares: mirabile dictu,
Nigrantes ſpirant nebulas, non aëra: & atræ
Ipſæ etiam fumant aures: ſimul ipſa mephitim
Peſtiferam latè ora vomunt: gravis halitus auras
Corrumpit, putri prorumpens gutture ab imo.
Deſpumant rabie inſanâ, & ferventibus iris
Pectora: rauca ſonans vox detonat: atra furore
Labra fremunt: palletque cavis frons horrida rugis.
Dum ſic horrificæ carpebant otia Diræ
Propter Avernales undas, lucoſque malignos,
Tùm cœtum in medium irrumpens furialis Erinnys,
Hac, horrenda tonans, affatur voce ſorores:
Quid vos hîc, ſociæ, molli torpetis Averno?
Quid ceſſatis adhuc, nequicquam lenta trahentes
Otia? magnanimæ toto cur pectore curæ
Depoſitæ? tempus cur hic laceratis inertes?
Surgite, non hilares fas nunc inducere cœtus:
Non molli indulgere joco, riſuque petulco.
Num quæ res agitur nondum delapſa ſub aures
Eſt, ſociæ, veſtras? potuit voſne illa latere?
Magna quidem, atque ingens: & ni vos fortibus auſis
Ilicet inſurgatis, erit latura ruinam
Ingentem nobis, Stygiiſque penatibus. eheu
Quam ſubitò aſpicio naſcentem creſcere peſtem!
O agite, ò Diræ, celereſque aſſurgite in arma:
Latiùs & neſe diffundat cædite monſtrum.
Principiò facile eſt ſurgenti occurrere morbo,
Qui poſtquam venas victor ſe fudit in omnes,
Non vi, non ullâ poterit ſuperarier arte.
Hæc ubi terribili ſonitu crudelis Erinnys
Verba dedit limphata, metuque exterrita multo,
Avulſit rabie crinem, labiumque momordit.
Tunc Erebi contra, Noctiſque horrenda propago
Solicito perculſa metu, ſic protinùs ore
Inſit Tartareo: Tanti quæ cauſſa doloris?

Ejo

Eja age, fare ſoror, quænam molimine tanto
Res agitur? Toto num Pax componitur Orbe?
Heu! inviſa diu mihi Pax, inviſaque cunctis
Manibus, & rebus ſemper Pax, invida noſtris!
Credo equidem: nam nulla poteſt majore ruinâ
Res Erebi quaſſare domus, atque infera Regna:
Anne, ſoror, fallit mea me ſententia? fallat
O utinam! quantum foret hic optabilis error!
Tum gemitus imo ducens de pectore Erinnys,
Haud equidem, ſoror Alecto, (reſponderat olli
Pro cunctis hæc una loquens) haud falleris, inquit.
Jam jam de cœlo, curru ſubvecta ſuperbo,
In terras veniet Pax æmula: jamque ſonoro
Applaudunt plauſu populi: jamque alta trophæa
Inſtruere, & feſtas meditantur ducere pompas.
Et ni ſe totis opponat viribus Orci
Regnator: ni tota ruat Plutonia pubes
Agminibus denſis in prælia: ni ſimul ipſæ
Inſtruimus contra fraudes, totumque ciemus
E penitis Acherontha vadis, proh! quanta ruina,
Et quantus Diti luctus, cladeſque futura eſt.
His dictis animi Dirarum, & pectora magnis
Exarſere odiis: Furiis furor additus ipſis.
Et ſtimulis præceps rabies, ceu flamine flamma,
Irritata novis, mixtim fremit effera turba,
Murmureque, ſtrepituque, & Tartareo ululatu.
Immani clamore ſonant circùm undique Averna,
Et nigra in cœlum conſurgunt fumida nube.
Atque arva, atque lacus, colleſque ardeſcere viſi.
Ceu cùm nimbiferi turbarunt æquora venti,
Inque adverſa ruunt flantes Corique, Notique
Tùm flabris commota fremunt vada, pulſaq; plangunt
Littora: colliſis & fluctibus alta reclamant
Latè ſaxa: ſpecus Tritonum regna boatu
Reſponſant rauco, & penitis ſonat unda cavernis:
Canentes ſurgunt ſpumæ, rupeſque laceſſunt
Ictibus, & cœlum nimboſâ aſpergine pulſant.
Mox ubi tantiſper Furiarum immane reſedit
Murmur, & in primo rabies egeſta furore eſt,
Concilio in medio conſurgens ignea vultu
Fumifico, caput anguineis horrenda capillis,
Rugoſis, & fœda genis, turpiſſima mammas,
Et putri macie, & diſcincto ſordida amictu,
Audaci ſocias affatur voce Megæra,
Sic ingreſſa; Deæ ſuſpenſis auribus atræ

Atten-

Attendunt: vada preſſa ſilent ſtagnantis Averni;
Et ſtrepitu concuſſa priùs nemora alta quieſcunt:
Ne, ſociæ, dubitate: animos revocate priores,
Et certam palmæ ſpem ſumite: Dis modò cœptis
Annuat, & noſtris Parcæ conatibus adſint.
Rem magnam concepi animo, ingentemque ſorores:
Quæ nullo ſudore ferat, diſcrimine nullo
Egregiam nobis palmam, prorſuſque timore
Eximat, & dubiis det rebus certa ſalutem:
Haud multis opus eſt: non & tentare pericla
Ingenti rerum niſu ſtat plurima: quando
Unius ferri poterit victoria fato.
Unum ego corripiam ſecura: dabit caput unum
Quod non mille darent pugnæ, & diſcrimina mille.
His dictis erecti animi, preſſuſque parumper
Eſt dolor, & ſævi rabies lenita furoris.
Mox omnes noſcendi avidæ: Quiſnam ille, repoſcunt,
Quo ſolo extincto poſſunt tot damna repelli?
Ollis Eumenidum tùm ſic teterrima, rauco
Obſtrepit ore: Animos, mentemque advertite, tantum
Unus qui valeat nobis avertere caſum,
Heſperiæ Rex eſt, hoc uno in cardine nixa
Verſatur rerum moles, hic ſubſtinet Orbem:
Hic magnis regit auſpiciis, hic ſpem fovet omnem
Imperii: hic ſolus pacis, belli arbiter hic eſt.
Proles nulla Viro, terras fulcire labantes
Quæ poſſit, quæ regna metu tot liberet, & quæ
Naſcentes dirimat lites, ſedetque tumultus.
Ergo hic ſi noſtris tollatur fraudibus unus
Quot lites, quot bella omni naſcentur in Orbe?
Et quot erunt motus populorum, atrique tumultus,
Et rixæ, & cædes, exoptandæque rapinæ?
Sic quæ magnifico properat deſcendere curru
Pax, iterum in cœlum refugo pede pulſa redibit.
Sic ſtabit res noſtra, Stygis ſic regna manebunt
Inconcuſſa, nec ullum unquam caſura per ævum.
Hæc dedit exultans animo furioſa Megæra;
Et dictis plauſere Deæ, infandoſque dederunt
Clamores: cunctæque effuſæ in gaudia, feſtos
Innectunt ſinè lege choros, incondita jactant
Carmina Tartareo ritu: ſtridentque, ululantque.
At non ipſa dolis viſa eſt gaudere repertis
Tiſiphone: verùm dejecto plurima vultu
Mente agitat dubiâ, & tandem ſic perſtrepit ore:
Magna quidem meditata, ſoror, quæq; ilicet eſſent,
Haud

Haud equidem inficior, rebus latura ſalutem:
Sed quàm difficilis factu res iſta? paraſti
Sic tu mente? quis hæc tantarum exordia rerum;
Dic age, perficiet? Regemne invadere Iberum
Poſſe putas? ſtructâque audes comprendere fraude?
Falleris, haud tantum noſtris conceditur auſis,
Hic amor eſt ſuperûm, cunctorum hic unica Divûm
Cura eſt: huic totus, quis credat? militat æther,
Hunc Pietas, hunc rara Fides, hunc protegit omnis
Virtutum ſtipata cohors: hunc ſancta tuetur
Religio Romana: ſacris & ſuſtinet armis,
Hunc tot vota, preceſque fovent, fovet Hoſtia: ſacras
Plurima quæ ſemper Superis mactatur ad aras.
I' nunc, & tantum, ſi fas, caput impete; fruſtrà
Auſtriacum in Regem fraudes, fruſtrà arma parantur.
Tum ſic audaci reſpondens voce Megæra
Ingreditur: Tu mente, ſoror, meſtiſſima ſemper
Concipis, & triſti perturbas omine cœpta,
I, precor: atque metus hos decoque: ſola quieſce:
Mecum erit iſte labor, quidquid tentare licebit,
Protinùs aggrediar: nihil &, nihil ipſa relinquam
Intentatum, illum quo perdere poſſe putabo.
Una omnes impendam artes, cuncta una movebo.
Opponant ſe Dii, obſtet mihi Juppiter, eſto.
An Superos hæc cura tenet? teneat, mihi certum eſt
Cuncta ciere, dolos ordiri, & nectere fraudes.
Quid tentaſſe nocet? nonnunquam audacia rebus
Profuit extremis, & quantum fortiter auſit,
Tantum quiſque poteſt. Nec plura effata: repentè
Concilio è medio ſe ſubtrahit, & cita greſſu
Speluncam ſubit horrendam, penituſque repoſtum
Præcipitat terræ in gremium; atq; Acheronte ſub imo eſt.
Eſt Erebi limen juxta, ſtygiamque paludem
Immani ſqualore locus deformis, & horrens
Aſpectu, putore gravis, cœnoque liquenti
Sordidus, & nebulis ſemper fumantibus ater.
Hîc triſtes habitant morbi, febreſque malignæ,
Hîc tabes, hîc dira phtiſis, macieſque, lueſque,
Atque Elephas, ſcabieſque furens, rigidæq; podagræ:
Ulceraque, choleræque, & non toleranda nephritis.
Hîc etiam rabioſa, pudens ſtat Siphilis, aſthma
Stat grave, ſtant vomicæ, ſtranguria, cœca phreneſis,
Iſchias, & varix, cunctorum & maxima Peſtis.
Hùc ubi ſe celeri vexit pede ſæva Megæra,
Ilicet ad ſeſe Febrim vocat, una tot inter

Eſt hæc viſa potens fraudi ſervire nocenti.
Principiò namque illa levis contemnitur: at ſe
Per venas poſtquàm diffudit ſubdola, nullis
Herbarum ſuccis, gemmarum nectare nullo,
Nec docti poterit depelli Pæonis arte.
Haud mora: Tartareo Febris ſaturata veneno
Advolat accita, & quæ ſint mandata repoſcit.
Tùm ſic illa: Tibi niſu ſtat protinùs acri
Magnum opus arripere: atque animis audacibus illud
Perficere extemplò: fraudi mora ne levis obſit.
Eja age, & Heſperium confeſtim corripe Regem:
Atque venenata corpus totum infice flammâ,
Et pereat fac ille priùs, quàm ſentiat Orbis
Decubuiſſe, tenes? ſunt hæc mandata tremendi
Ditis, & Eumenidum cœtus hoc præcipit omnis.
Dixerat, actutum Ditis præcepta faceſſens
Febris acuta volat, rapidoque per aëra curſu
Fertur in Heſperiam: quàque irruit, inficit auras
Afflatu, ſpargit virus, ſuccendit & ignem.
Ut venit, præcelſa petit palatia, & intus
Irrumpens animoſa, ſubit regale cubile,
Inviſa excubiis: regiſque jacentia membra
Occupat, inſinuans ſeſe per viſcera: & imis
Sæva latet fibris, & cæco perfurit igne.
Magnus at intereà Divus, tutela paternæ
Cui data Parthenopes, Regnique, & Regis: ahæna
Quique ſuo, vel ut arce tegit, munitque Cruore,
Talia ſyderio deſpectans vertice Olympi,
Haud equidem tantum Furiis licuiſſe malignis,
Æquâ mente tulit: curæque haud immemor, altum
Sic ſupplex Regem alloquitur Divùmque, hominumq;
Ne patere, ò cœli, terræque æterna Poteſtas?
Quique Stygem ditione premis, Maneſque ſuperbos:
Et morbos nutu, & peſtes diſpergis: & ipſam
Indomitam frenas mortem, cunctiſque benigno
Numine largiris vitam mortalibus ægris:
Ne patere, ut tibi dilectum caput, omnibus & Diis,
Extinctus cadat Eumenidum rabieque, doloque:
Una & Pax illo pereat, ſpeſque unica Mundi.
Hic etenim, ſcis, ſumme Pater, hic maximus ille
Eſt Atlas, geminos humero qui ſubſtinet Orbes:
Mente regit, fovet auſpiciis, virtute tuetur,
Si ruat, ah! caſum remove, quæ protinùs illo
Extincto, Mundi totius vaſta ſequetur,
Tot Regnis unà, & populis lacrymanda ruina?
Per-

Permiſtis quæ pugna foret contraria rebus?
Tempeſtas quæ fœda ageret terramque, fretumque
Jam chaos horrendum video: jamque omnia mixtim
Involvi: atque uno jam jam ruere omnia fato
Ne patere id, Genitor, vivat tibi Carolus: illo
Tot vivant populi, tot ſtent & ſoſpite Regna.
Hic magnum, Pater; ah? moveant tete iſta, Latinæ
Eſt Fidei columen: ſubnititur omnis in illo
Relligio: vireſque illo, decus accipit illo.
Illo & ſub geminos ſeſe auſpice detulit Orbes:
Regna tot, & populos victrix ſibi ſubdidit, & tot
Cardine terrarum defixit utroque trophæa,
Quà Sol perpetuo ſurgit, quaque occidit igne.
Legibus hic, hic armis terra, pelagoque tuetur
Antiquos Patrum ritus, & ſacra: ſuperbam
Hæreſim hic, Stygiis & portentoſa cavernis
Monſtra domat ſemper ſurgentia: vindicat aris
Hic decus, & Latiæ tutatur jura Tiaræ.
Ergo hic Dirarum pereat ſi fraude, malignâ
Correptus febri, quantam (Pater optime, talem
O precor, ò prohibe caſum, & ſuccurre cadenti)
Relligio cladem accipiet? quot monſtra repentè
Aſſurgent? qui ſquallor erit, qui luctus in aris?
Qui ſe ſacra ſuper turbo diffundet? & atræ
Quot tenebræ incumbent Mundo? quot damna ſequentur?
Quantis ſeſe animis, quanta ſeſe efferet ira
Hæreſis? ò quantum rurſus limphata per Orbem
Excurret, liteſque ferens, & triſtia bella!
Ergo age, Dive, precor, Mundi miſerere labantis,
Et Fidei miſerere tuæ, non hic Pater uno
Auſtriaco de Rege agitur: ſed vertitur omnis
Hic Fidei, Mundique ſalus; quæ tota ſalute
Pendet ab illius: tantoque in cardine nixa eſt.
Fac igitur multos Mundo Rex Carolus annos,
Et multos Fidei vivat: pulchraque parentem
Fac jam prole virum: quæ ſpes exſuſcitet Orbis,
Quæ tot Regna metu, tot gentes eximat ortu,
Quem tantæ petiere preces, vota omnia Mundi.
Vix Divus finem impoſuit, cum voce benignâ
Sic contra affatur Genitor, qui cuncta gubernat:
Fata hominum, atq; unus vitam largitur, & aufert.
Pone animis hunc, Dive, metum: mea maxima cura
Carolus: atque illo non eſt mihi gratior alter.
Multa viri virtus, pietas mihi nota, pudiei
Et mores, & rara Fides, & multus avitæ

Relligionis amor: ſacrorum & cura meorum.
Cuncta avibus ſat digna ſuis: ſtant certa nepotum
Fata: ſtat & vitæ curſus longiſſimus illi.
Et quoniam tutela tibi data Regis, amicam
I, fer opem; noſtraſque vices tu Dius obito.
Dixerat, imperio Divus parere Tonantis
Protinùs aggreditur: volucrique ſimillimus Euro
Æthera corripuit curſu, campoſque nitentes
Diſſecat: atque Orbes nunc hos, nunc præterit illos;
Aſtraque nunc hæc, & nunc illa nitore laceſſit,
Jam propior terris ibat, mirabile viſu,
Continuò flammas, & vaſta incendia preſſit
Vesbius in ſeſe, tacitoque obmutuit ore.
Scilicet adventum Divi teſtatus, & atras
Ipſa etiam flammas tenuit, fumumque malignum;
Atque vaporantem compreſſit Phlegra mephitim.
Nec Furiæ caruere metu: nam fulgor ab alto
Ut Dius cœlo fulſit vicinus: & omnem,
Diſcuſſa actutum nube, illuſtravit Avernum;
Confeſtim cæcâ pulſæ formidine Diræ,
Non auſæ aſpectum Divi tolerare tremendum;
Terribiles nec ferre minas, & verba: repentè
Rugitu immani fugiunt: mixtimque per antrum
Irrumpunt pavidæ, penitoque abduntur in Orco;
Victor at ille Febrim vocat ad ſe, & talibus orſus,
Increpat: illa tremens vix ſubſtinet ora minantis.
Ergone tu tantum potuiſti, peſſima, crimen
Audere? & Regem quo non eſt charior alter
Cœlicolis, quo nec terris eſt ſanctior alter,
Corripere, & dirâ confeſtim perdere peſte?
Scilicet, ut totum quateres à cardine Mundum,
Verſares ut ſacra? aleres ut & impia bella?
Ut face Tartareâ, Furiis & agentibus ipſis.
Omnia corriperes, miſceres omnia luctu?
Improba tete ego: ſed præſtat depellere peſtem
Corpore ab ægroto, charoſque mederier artus.
I præceps fera ſæva, nigris & te conde ſub umbris:
Et Regem incolumen, purgataque membra relinque.
Attentata lues aliàs mihi, dira: faceſſe.
Nec mora, præcipitat regali è corpore Febris:
Seque locu ſtygio pavitanſque, tremenſque recondit;
Siderio tum rore fovet languentia membra
Divinus Chiron: certamque inducit in artus
Temperiem, ſolidat nervos, priſcumque vigorem
Reſtituit: centumque habilem confirmat in annos;

Hæc

Hæc ubi, continuò, tenuis velut aura, ſuprema:
Seſe agit in ſedes: diumque relinquit odorem
Atque implet totum divina luce cubile.
Hæc dum diverſa penitus regione geruntur;
Cryſtallo in gemino, Sanguis ſervatus ab illo
Integer, illibatus, & igne rubentior ipſo,
Tempore, quo ſacro Divi de Corpore fluxit;
Mira Fides, ſenſim viſus molleſcere ad inſtar
Roris purpurei: nimirum læta canebat,
Parthenope, cruor ille tibi divinus; amicam
Nam tibi, ſi liquidus, pacem, & felicia: durus
Si rigeat, mala portendit: venturaque bella.
Gaude, optata tibi nunc concinit. En citus alto
Nuncius ut properet: Zephyrus, nec fallor, & ille eſt.
Et feſtivus adeſt, oleâque inſignis Iberâ.
Noſco omen, tibi læta refert, & grandia ad aures;
Parthenope, viden', ut placidis ſe devehat alis?
Vt blando niteat vultu? at molliſſima ſpiret
Gaudia? roriferis ut perflet leniter auris?
Lætitiâ, viden', utque oculi, ut lætum exiliat cor:
Audin', ut ereptum fato tibi nunciet almum
Rectorem Heſperiæ? ut præſenti Numine Divi
Illius accepit, cui ſtat tua cura, ſalutem?
Audin', ut ore canat læto, quod & omnis in illo
Spes Mundo, pax alma, quieſque optata revixit?
O Superi, vos quanta Polo nunc gaudia ab alto,
Letitiam quantam toti demittitis Orbi!
Tuque vel in primis. JANVARI Maxime, noſtram
Hanc qui Parthenopen, regemque, & regna tueris:
Quique manu forti Furias, & Tartara frangis,
Peſtiferamque luem, atque incendia vaſta coerces:
Quas igitur nunc, Divo, tibi pro munere tanto.
Quas meritas toto referemus pectore grates?
Haud equidem, quamquam cupimus, perſolvere dignas
Poſſumus: exſuperant noſtras tua munera vires:
Exſuperant animos, & vota, referre negatum
Si nobis tibi, Dive, pares, has accipe, cuncti
Quas humiles agimus: vultu & dignare benigno;
Et quoniam, tu, Dive, potes, age, grandia cœpta
Perfice: & optatam Regi, Regnoque, precamur,
Da Prolem auguſtam, da Pacem, & gaudia terris;
O age, totius tandem ſpes erige Mundi.
Interea accepti memores monimenta favoris,
Hæc tibi Parthenia referent donaria Muſæ:
Heſperium Pario ſervatum in marmore Regem;

Et

Et Prolem juxta inſculpam, qui parvulus ore,
Atque oculis magnum referat, geſtuque Parentem:
Quæ Puerum blandis foveant amplexibus, addam
Spem lætam, Pacem tranquillam, & Gaudia blanda:
Atque hæc in niveo deſcribam carmina ſaxo:
Inſperata ſalus Hiſpano reddita Regi,
Et Proles conceſſa viro, ſecuraque tantis
Parta quies populis, & tot ſpes addita Regnis;
Et data Pax terris, & Gaudia gentibus, unus
Hoc tantum perfecit opus JANVARIVS Orbi.

Vix recitaveram, cum Vellejus: Beaſti me, inquit, carmine tàm ſonoro, tàm nitido, calebas tu certe quidem: nec ſanè ſcio an alias majore te Phœbus æſtro agitaverit. Verùm enim verò opportuniſſimè factum, ne erga Pientiſſimum Regem, & cui familia noſtra univerſa plurimum debet, in nobis officium deſideraretur: inque communi urbis lætitiâ, ac plauſu noſtra tantum fora ſilerent, quocircà gratias ago, & ſi poſſem habere etiam vellem, quod in totius Orbis gaudiis, atque acclamationibus, noſtræ etiam lætitiæ tàm inſigne argumentum protuliſti, quæſoque, ut in lucem edas: ſpero enim fore, ut exciperetur animis lubentiſſimis. Tùm ego: Faciam, ſi in hanc etiam ſententiam ibit Cardinalis: cujus ego judicium, atque authoritatem magni facio. Hæc cum dixiſſem, aſſurreximus, mox illum in cubiculum induco, ut tantiſper quieſceret, ipſe ad domeſtica miniſteria me confero.

Aloyſius

Aloyſius Albertinus Præpoſitus Provincialis Soc. Jeſu in Regno Neapolitano.

Cum librum, cui titulus eſt, *Æſtates Surrentinæ Nicolai Parthenii Giannettaſii è Soc. Jeſu*, aliquot ejuſdem Societatis Jeſu Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; Nos poteſtate nobis factâ ab Adm. Rev. Patre Noſtro Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali, typis mandari concedimus, ſi jis videbitur, ad quos editio librorum ſpectat. Datum Neapoli die 23. Julii 1696.

Aloyſius Albertinus.

Dominus Canonicus D. Antonius Matina videat, & in ſcriptis referat die 4. Auguſti 1696.

Joannes Andreas Siliquinus Vic. Gen.

D. Januarius de Auria Canonicus Deputatus.

EMINENTISSIME DOMINE.

Surrentinæ Æſtates P. Nicolai Parthenii è S. J. quia præceptorum moralium ditantur frugibus, ac eruditionis, eloquentiæque vernant floribus, pluſquam autumnalem Legentium animis doctrinæ, & ſapientiæ promittere videntur ubertatem. Calor enim in his Æſtatibus vitali minimè incommodat, ſed maledicentiæ, ac invidiæ exterminat hyemes, Scriptoribus quandoque moleſtas. Opus igitur egregium, ac Surrentinum, quod Sirenum labor meritò dici poſſet, magiſque à me admiratum, quam recenſitum, typis deſtinandum cenſeo, ut multiplici editione auctum, in publicam Literatorum cedere valeat utilitatem, Neap. die 25. Septembris 1696.

Eminentiſſimæ Dominationis Tuæ

Addictiſſimus, & Humillimus Famulus Canonicus Antonius Matina.

Attenta ſupraſcripta relatione Domini Canonici Reviſoris, quod poteſt imprimi, Imprimatur, die 3. Octobris 1696.

Joannes Andreas Siliquinus Vic. Gen.

D. Januarius de Auria Canonicus Deputatus.

ECCEL-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Giacomo Raillard ſupplicando eſpone à V.E. come deve dare alle ſtampe un libro intitolato: *Æſtates Surrentinæ Nicolai Parthenii Giannettaſii S.J.* Per tanto prega la ſua benignità à commetterne la reviſione per la ſolita licenza, e l'haverà à gratia da V.E. ut Deus.

Attenta relatione Spectabilis Regentis D. Januarii Andreas Regii Collateralis Conſiliarii, liceat imprimere, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

Gaſcon Reg. Andreas R. Andreaſſi R.

142

Completo

Piacenti